

ANN. XX - FASC. I

Completo

MENSE JANUARIO MCMXXXIII


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pratum subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

“ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXXXIII

Faustis quidem pro Latinitate auspiciis annus MCMXXXIII exoritur: eius enim amicorum novum agmen in Germania, *Societas Latinae* sub nomine, est recens constitutum, nempe ad latini sermonis notionem apud cultos ubique viros latius latiusque ita diffundendam, ut tandem aliquando eius usus communis fiat ad ingenii facultates explicandas ac vicissim communicandas. Qualis autem sermo? Profecto haud multum a celebratorum scriptorum dissonus; nunquam vero qui novis artificiis pariatur.

Neque satis: in Urbe, suadente *Collegio ad studia romana provchenda*, proxime conventus congregabitur, qui de renovando latinae linguae usu peculiares habeat disquisitiones, dum certamina habebuntur, praemiis aucta, latinis dissertationibus colloquiisque agitata.

Consilio igitur nostro, cui interdum vel aegri somniis irrisum est; pro quo, contra, per annos circiter quadraginta, cum *Voce Urbis* primum ac deinde cum hac *Alma Roma* indesinenter et sine remissione sudavimus et alsimus, iustitia denique tribuitur; fax, quam accensam servare valuimus, ignibus novis augetur; qui omnes splendida corona Aliae Matris caput redimant, et ad vividam hanc lucem populos omnes allicant.

Proximum nobis locum repetere, sine superbia, liceat: videmur esse

meriti; eumque non deserere, quum vita aut vires non deficiant, omni ope studebimus, praesertim ut res in tuto posita sit atque permaneat. Scilicet nolumus sub latinitatis specie falsum aliquid induci, quod ad rei familiaris quasi eversionem ferat. Nonne enim audivimus de duplice latinae linguae genere verba fieri: firmam alteram et suo fato functam cum classicis, alteram in progrediendo mutabilem? Quae inde via ad proprium cuiusque animum explendum, satiandum quovis arbitrio, morositate qualibet? Scimus et concedimus, stylos fuisse varios, a celsis ad demissos, iuxta rerum argumenta et materies; itaque varii, et ipso aureo tempore, auctores fuere: sed latinus sermo, latini eloquii structura unum quid per saecula semper constituit, catholicae ecclesiae praesertim documentis servatum, usque ad nostros dies. Neve quis adducat nova vocabula esse novis nostrae tempestatis inventis cudenda: praeter quam quod horum praecipuis nomina vulgo imposita, utpote graeco fonte manantia, latina eadem quodammodo considerari queunt, ita ut tuto adhiberi possint, non aliter ac Cicero ipse nova huiusmodi suo tempore adhibuit, et nunc fuisset adhibiturus; ceterorum pleraque deduci possunt ex amplissima latinarum vocum serie, quae vel id ipsum indigitent, vel parce detortae possint aptari: unum — iamque superiore anno admonuimus — praestat, latina verba late cognoscere, vocabulario ita incumbere, ut nocturna versetur manu, versetur diurna, et vocum sensum penetrare. Id nos per longum vitae nostrae cursum conati sumus perficere; ita nobis non difficile factum est omnis generis argumenta in commentario nostro pertractare, a litteris ad historias, a civilibus rebus ad oeconomicas, a socialibus, quas nuncupant, ad artis quaestiones et praecepta, a doctrinarum omnium notitiis ad res hodiernam vitam attingentes, ipsaque ludicra et iocosa; non quidem nobis temere assumentes cum celebratis auctoribus decertare et contendere, sed unice ita scribere, ut si Romanorum quivis, si quis Latinus vitae redditus fuisset nosque legeret, intelligeret.

Hac mente, novae Societati Latinae fraternalis manus tendimus, quemadmodum superiore anno Polonicae ingenue atque aperte occurrimus, et cum gudio quae sequuturae forte sint excipiems, diem auspicantes, quo foedus latine scribentium per orbem universum maturerit: scribentium dicimus; de loquentium enim non parvae difficultates adhuc superrandae nobis videntur; quae tamen fiduciam habemus fore ut opinione celerius dirimantur.

Nos interim in incoepio nostro firmiter persistentes, pretium annuae consociationis, ut in superiore numero nunciavimus, immutatum anno MCMXXXIII reliquimus; scilicet pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Americae septentrionalis doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summam, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera iam aliquot annis addita est, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos adportaverint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXXII inclusive, sibi cupiant, mittant Italicas libell. 450 si in Italia; pretium duplicatum, nempe libell. 900, si apud exterias gentes.

In mentem autem revocamus, a nobis libros duos editos fuisse ad latine scribentium et colloquentium utilitatem; alterum cui titulus *Parvum antibarbarum*, alterum *Communia vitae* inscriptum: singuli ven. lib. 8; quibus addendae erunt lib. 0,50 in Italia, libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

Pecunia omnis, sive pro consociatione, sive pro librorum acquisitione, ante solvenda est apud drem JOSEPHUM FORNARI, « Almae Romae » Moderatorem, Romae, via del Governo Vecchio 96.

Denique has de subnotatione leges in mente quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimen habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

NOVO ANNO INEUNTE

*Iam, tumida inter Austri
Flabra nimbosi, vetus, en, interiit; citusque
En novus annus, inter
Algidas brumas, oritur, nil meliora prodens.*

*Hac vice sol perenni
In rotas orbem rapiens, vel reparat, fugaces
Praecipitat vel annos,
Damna et aerumnas revehens terrigenis aceras.*

*O, stolidos! et istam
Luctibus vitam studiosi colimus refertam,
Illecebrisque, tamquam
Solis orbati radio, decipimur dolosis?*

*Nam, simul ut gravamur
Mensibus, nutant humeri, deiicimurque tandem
Quo cecidere patres,
Unde, nec terrae dominis, iam dabitur levare.*

*Et Libitina, forsan,
Instat atque urget propior; forsan et ipsa, surgit
Aurea quae dies, quot,
Non senes tantum, validos sed iuvenes, recedens*

*Funere merget atro!
Grande discrimen dubio istud procul; at, puellae
Quis Phrygiae arte pollens,
Utra post mortem capiet nos domus, edocere*

*Sit potis? Hic, aberrans
Quaeque mens defit nec, olens Tartarus an beati
Elysii futura
Nostra sint sedes, valeat, docta licet, profari.*

*Ut renovatur ergo
Annus, et vitae renovemus pariter tenorem,
Tam grave si periculum
Quaerimus vultu placidi, cum maneat, subire.*

*Iudicis ante summi
Ora, cum tantum series nos operum sequatur,
Quod Deus addit horae
O, probi et puri, vitiis edomitis, agamus.*

*Talia sed quieta
Mente dum volvo, miseris! en redeunt theatris
Quae madidae ac soporae
Saltibus turmae, nimiis et dapibus fatiscant.*

*Heu, miseris! quid olim
Et ioci et pingues epulae, quid citharae iuvabunt?
En, feretrum paratur
Quod tribunalit citius vos statuet tremendo.*

Mantuae, pr. Kal. Ian. MCMXXXIII.

A. TRAZZI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

II. - De "concordantia" seu concordia temporum.

I. - Quum uni verbo alterum verbum
subiicitur, alterius tempus pendet tempore
verbi praecedentis.² Quod «concordantia»
seu concordia temporum dicitur; v. g.:

*Timeo ne veniat; ne venerit.
Timebam ne veniret; ne venisset.
Credo, credebam te legere, legisse, lecturum esse.*

¹ Cfr. fasc. sup.

² Ratione tamen habita usus, qui est norma loquendi; nec neglectis aut sensu temporum aut mente scriptentis exprimenda; exemplicausa, quum verbum subjectum est in parenthesis; v. g.: Non *venerat*, quod *sciam* (Cic., *Ad Attic.*, XVI, 2, 4).

Sed hoc omnibus ex partibus considerandum. Hinc sequentes tradimus regulas de concordia temporum coniunctivi, infinitivi et participii.

II. - Quum verbum propositionis principis tempore praesente¹ aut futuro² etiam

¹ *Praesens historicum* (Cf. supra, *De usu temporum*, III, nota) potest haberi tempus praeteriti, et post se tempora praeteriti habere; v. g.: *Servis suis ut ianuam clauderet imperat* (Cic., *De Praetura urbana*, 26, 66). — *Pompeius, ne duobus circumcluderetur exercitus*, ex eo loco *discedit* (Caes.).

² *En locum Ciceronis ubi, variandi causa, nunc praesens coniunctivi usurpat, nunc imperfectum: Ille qui illa pocula non invitus haberet, respondet se Melitae reliquisse. Tum iste scribit ad quosdam Melitenses ut ea vasa perquirant... etc.* (Cic., *Verr.*, IV, 18).

³ Post futurum, quum adest propositio conditionalis «irrealis», ut dicimus, *Tullius ipse regulam generalem non servat*; v. g.: *Si repudiasset, dubitabit* quin ei vis esset attata (Cic., *Pro Sest.*, 29, 62).

exacto effertur,¹ verbum subiectum praesente, iuxta sensum,² aut perfecto coniunctivi exprimitur; v. g.:

Scio, sciam, quid facias, feceris, facturus sis, etc.

Quum verbum propositionis principis tempore praeterito (imperfecto, perfecto aut plusquamperfecto) effertur, verbum subiectum imperfecto, iuxta sensum, aut plusquamperfecto coniunctivi exprimitur;³ v. g.:

¹ a) Quando coniunctivus sequitur post praesens vel futurum infinitivi, videndum quale tempus sit verbi finiti quod infinitivum praecedit, et iuxta illud procedendum; v. g.: *Erras quum putas me impedire quoniam minus scribas — Dicebat se timere ne rex veniret.*

NB. — At post futurum exactum infinitivi sequitur imperfectum coniunctivi; v. g.: *An putas me facturum fuisse ut hoc venires?*

Item, post perfectum infinitivi; v. g.: *An putas me fecisse ut hoc venires?*

b) Imperativus modus sequitur regulam praesentis; v. g.: *Audi quid agam, egerim.*

² Sensus vero verbi subiecti triplex esse potest, scilicet agi potest de re aut praesenti, aut praeterita, aut futura. Quum de re futura agitur, usurpamus coniugationem periphrastica, ut dicitur, ex participio in «*rūs*», cum tempore congruente verbi «*sum*»; v. g.: *Audis quid acturus sim, acturus fuerim.*

NB. — a) Quando verbum caret participio in «*rūs*» (qualia sunt quae supino destituntur et omnia passiva), utimur impersonali «*futurum sit, fuerit*»... etc., cum «*ut*» et congruente tempore coniunctivi; v. g.: *Non dubitas quin futurum sit ut lauder; futurum fuerit ut laudarer.*

b) Si notio futuri indicatur sive per comitans adverbium, sive per verbum antecedens, sive alio quocumque modo, sufficiet ponere, pro coniugatione periphrastica, tempus coniunctivi quod, dempta notione futuri, usurpandum esset; v. g.: *An dubitamus quin, nefario facinore admisso, Romani iam ad nos interficiendos concurrant* (*Caes., De Bel gal.*). — Non video quid prodesse possit, si veneris (Cic.).

Ad electionem autem temporis coniunctivi, examinandum est primum quale sit tempus verbi antecedens; dein, num futurum sit simplex an exactum; v. g.: *Hoc tibi affirmo, si illud beneficium mihi tribuatur (tributum sit), magnopere me gavisurum.* — Caius promittiebat se scripturum quum primum nuntium acciperet (*aceperisset*).

³ Imprimis post «*perfectum historicum*» sequitur imperfectum aut plusquamperfectum coniunctivi; v. g.: *Audisti quid agerem, egissem.*

Usus frequens perfecti historici Latinos assuevit

Sciebam, scivi, sciveram quid faceres, fecisses, facturus essem, etc.

Praesens coniunctivi post perfecta licet usurpare quum significare volumus actionem verbi non restrictam esse ad tempus de quo loquimur, sed ad universa generatim tempora se extendere; v. g.:

Ne libeat gloriari alienis bonis, Aesopus nobis hoc exemplum prodidit (*Phoedr.*, 1, 3).

Traianus rem publicam ita *administravit*, ut omnibus principibus merito *praeseratur* (*Eutr., Brev.*, 8).

Cum ceteris in coloniis duumviri *appellantur*, hi se praetores appellari *volebant* (Cic., *De Leg. agrar.*, II, 34, 93).

Item, quando agitur de re quae necessario ut praesens exhibenda est. Id potissimum occurrit post particulas «*tam, ita, sic, talis, etc.*»; v. g.: *Tam pauca didicit, ut ne legere quidem sciatur.*

Hic homo *ita* bona sua *dissipavit*, ut nunc pauper *sit*.

Quam *sic* spoliata reliquit, ut nunc monumenta victoriae non existent (Cic., *De Suppl.*, 72, 186).

Quidam historici, ut Cornelius Nepos, post perfectum historicum non raro ponunt perfectum coniunctivi pro imperfecto; v. g.:

Adeo angusto mari *conflixit*, ut eius

ad imperfectum coniunctivi post quodvis perfectum collocandum. Itaque, post perfectum, etiam quando agitur de re praesente, Latini fere semper usurpant imperfectum; v. g.: *Diu dubitavi num melius esset. Saepe cogitavi num melius esset.* — Tum ille subito, sciere demens, quanta conscientiae vis esset ostendit (Cic., *Cat.*, III, 5, 11). — Quod hic dies tibi suadet, quo expertus es quam caduca felicitas esset (Q. C., VIII, 14, 43). — Requiescere in sepulcro putat mortuum, magna culpa Pelopis, qui non erudierit nec docuerit quatenus essem quidque curandum (Cic., *Tusc.*, I, 44, 107). — Etiam in indicativo, verbum subiectum quandoque imperfecto effertur post perfectum verbi principis, etsi agatur de veritate generali, ut dicimus; v. g.: *Quae erant prudentiae propria suo loco dicta sunt* (Cic., *De Off.*, I, 40, 143).

multitudo navium explicari non potuerit (C. N., *Them.*, 4).

Tantum absuit ab insolentia gloriae, ut *comminiseratus sit* fortunam Graeciae (C. N., *Ages.*, 5).¹

III. — Quando, post verbum finitum, sequitur infinitivus, usurpatur:

1^o) *praesens* infinitivi, quum actione infinitivi relate ad actionem verbi praecedentis spectatur ut perdurans, vel ad idem tempus referuntur actiones utriusque verbi;² v. g.:

Credo te legere (i. e. tuam lectionem perdurare quo tempore ponitur actio credendi, quia aut nunc legis aut habes consuetudinem legendi).

Scribis te absentia mea non mediocriter affici (Plin., *Ep.*, VI, 7).

Sentiebat id se sine ope deorum facere non posse (C. N., *Lys.*, 3).

Quum suspicarer, multum interesse rei familiaris tuae te quam primum venire (Cic., *Fam.*, IV, 10).

2^o) *perfectum*, quum actione spectatur ut absoluta, seu prior tempore; v. g.:

Credo te legisse (iam legendi actio perfecta est, quum illud credo).

Scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse (Cic., *Att.*, III, 14).

Moleste tuli te senatui gratias non egisse (Cic., *Fam.*, X).

Vestorius noster me per litteras facit certiorem te Roma profectum esse (Cic., *Att.*, IV, 14).

Perfectum infinitivi passivi cum «*esse*» actionem perfectam exprimit; v. g.:

Scio urbem obsessam esse.

Idem perfectum cum «*fuisse*» usurpatur quum in indicativo uteremur plusquamperfecto; v. g.:

Scio urbem expugnatam fuisse, quum rex in castra venit (i. e. expugnationem iam tum fuisse absolutam).

Iubet bono animo esse: *sopitum fuisse regem subito iactu* (T. L., I, 41).

Tradidere quidam *descriptum fuisse* Macroni, si arma ab Seiano tentarentur, iuvenem ducem populo imponere (Tac., *Ann.*, VI, 23).¹

(Ad proximum numerum).

I. Jss.

¹ Alias imperfectum desideratur, praecipue in propositionibus causalibus, concessivis et in relativis, quae causam aut concessionem significant. Item in consecutivis post perfectum, quod perfecti graeci sensum exhibet; v. g.: *Quam siccipoliatam reliquit ut nunc monumenta victoriae non existent* (Cic., *De Suppl.*, 72, 186); aut etiam aoristo; v. g.: *Tantum suil frigus, ut coactus sit nos dimittere* (Cic., *Ad Quintum*, II, 10, 1).

Si de re futura agatur, usurpetur coniugatio periphrastica, ut supra dictum est; v. g.: *Sciebam quid facturus essem.*

² a) Post *memini* ponitur saepe praesens infinitivi de re iam absoluta; v. g.: *Memini Catonem mecum et cum Scipione disserere* (Cic., *De Am.*, 3).

NB. — Intelligi potest actio quasi perdurans, superposito scriptorem in tempus praeteritum se transferre, quasi id etiam nunc perduraret. Nam alias perfectum infinitivi usurpatur; v. g.: *Meministis me ita distractum esse voluerunt* (Cic., *Pro Leg. Man.*, 5). — Saluti civis calamitosi *consultum esse* volumus (Cic., *Pro Lig.*, 5).

² b) Contra, perfectum infinitivi plerumque ponitur post «*contentus sum*», «*satis habeo*», «*satis mihi est*», et similia, loco praesentis; v. g.: *Haec breviter demonstrasse contentus* (Quint., V, 12). — *Contenti sinus id unum dixisse* (PATERC., 2, 103).

NB. — Poëtae passim perfectum infinitivi pro praesente usurpat, saepe solius metri causa.

¹ Post verba *volendi* frequenter infinitivus perfecti passivi cum «*esse*» ponitur loco praesentis, ad celeritatem exprimendam, qua voluntatem sequitur executio; v. g.: *Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, extinctam esse voluerunt* (Cic., *Pro Leg. Man.*, 5). — *Saluti civis calamitosi consultum esse* volumus (Cic., *Pro Lig.*, 5).

NB. — Frequentius omittitur «*esse*»; v. g.: *Hoc natura praescribit*, ut homo homini *consultum* velit (Cic.). — *His omnibus me vehementer excusatum* volo (Cic.). — *Nunc illos commonitos velim* (Cic.). — Patres ordinem publicanorum *offensem* nolent (Cic.). — *Aliis hanc laudem praereplam* nolo (Cic.). — *Patrium extinctam cupit* (Cic.). — (Cf. ALMA ROMA, *De verbis eleganter omittendis*, VIII, anno 1932, p. 75).



PARVA FAVILLA ...

Quemadmodum in physicis rebus, quae mole ingentia apparent, exiguis constant, si mentem ad elementa converteris; ita si principia requiras in iis, quae interdum quassaverunt imperia, bella excitavere atrocissima, humano generi calamitates maximas intulere, exiguam reperies causam, quam nemo subesse, nemo tot parem cladibus iudicasset.

... Saepc

Si quaeras causas, parva favilla fuit!

Scilicet innumerae causae fuerunt, quae, singulae dum considerantur, ineptae prorsus ad effectus quosdam viderentur; attamen hosce interea non praeter exspectationem modo, sed vel praeter opinionem et suspicionem, immo contra, assequuntur.

Nonnulla de re ex vetere recentiorique historia attingamus.

Quid est inter tot excidia, strages, incendia, quae Langobardorum gens in Italiā invexit, quaeque duobus atrocissima saeculis perennavit, et foeminam, imperatorm licet, de Narsete duce iocantem levitate illa muliebri, qua voluisse hunc lanae et lini suis distributorem ancillis? Quas ubi voces rescivit — (atque utinam non relatae fuissent!) — Narsetes: « Dabo », inquit, « imperatrici telam et filum, quibus diu operam duram navet ». Langobardos, quos ille terrore nominis a finibus nostris arcebat, arcessivit; et omnia flammis, rapina, sanguine obruta nostra fuerunt.

Florentiam, Etruriam, omnem fere Italiā vilia praelia saeculis occuparunt. Undenam haec orta sunt pessima omnibus? Ex uno Bondelmontio, qui puellae, quam spoponterat, non praestit fidem. Hinc, Mosca Lambertio in consanguineorum puellae concilio sententiam proferente: « Unicuique facto caput est », adolescens occisus; hinc ad ultionem concursum; hinc ad arma

itum est. Familiae patriciorum, mox qui apud illas erant privati homines, mox qui etiam alieni et externi utrisque, prout ferebant odia inter eos, aemulationes, vindictaeque sub cinere doloso latentes, eruperunt; et omnia sanguine redundarunt

In Salernitanae urbis historia fere eadem, tempore Ruperti regis Neapolitani, reperiuntur. Ibi enim civile bellum decennio exarsit calamitatibus publicis luctuosissimum, quo florens illa civitas miseriis paene innumerabilibus obruta est. Undenam? Eadem ex causa qua Florentiae; nam pro fatali puella inter Sanctomagnos et Capogrossios irae flagrarunt: arrepti gladii, quotidianae in vicis, in viis, in plateis pugnae conserebantur, expugnatae domus hic, illic, expilatae, incensae; flammis, fumo, ruinis omnia occupabantur. Quid autem proximum habet ineundarum nuptiarum fides cum civilibus praeliis, cum laniena civium, cum civitatis subversione?

Pueri, quum latinis elementis operam daremus, apud Cornelium Nepotem legimus Darium, Persarum regem, in Graecos immisisse exercitum, ducibus Dati atque Artapherne, qui classe quingentarum navium, peditem ducentis millibus, ac decem millibus equitum uterentur; interseruisse autem causam se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio.. Causa tanti belli longe alia fuit, quam Marathoniae pugnae occultavit Victoria. Medicus quippe Graecus, reginae servus eique carissimus, patriae caritate quum deperiret, et modum quaereret quo libertatem simul adipisceretur et patriam, herae adesse coepit multa saepe dictans de Graecia subiicienda, deque fics Athenarum suavissimis. Regia uxor viri sui ambitionem, cupiditatem gloriae et latioris dominationis blandiloqua verbis excitare frequentibus. Omne tulit denique punctum, ac tot millia gentium, tot urbes, tot naves perierunt..., quia medicus patrium litus et patrias ficos optabat. Immo videte nunc quo res perrexit. Eo

bello coagmentatur Graecorum civitas, ea pugna Graecia suas noscit vires, et, rata quid posset, dum ultio susceptae cladis Xersem commovet, sola magno regi restit, Europa praevalet Asiae, et iniuriarum ulti Alexander Philippi Macedonis Persidem Graeciae dominationi subigit. Quod quidem ne cogitatione quidem tentasset, nisi, medico illo guloso instigante, prioris et principis belli praeliorumque facultae coruscasset et conflagrassent.

Et quoniam de Macedonia sermo est, octoginta circiter ante Philippum hunc, Alexandri Magni patrem, annis, Macedonum regnum divisum fuit, non iniuria, non magna aliqua causa, sed foeminae vindictam cupientis alloquio. Haec enim Meleagri, qui et provinciae praefectus extremae et magister equitum, uxor, a rege Macedonum non ea, qua par sibi videbatur, urbanitate habita, eo maritum adegit, ut a rege desiceret et adversus arma conferret, regnumque diriperet armis, atque divideret.

Ludovicus XIV, Gallorum rex, quum iudicasset in familiari colloquio de ornatusam fenestrae, quae erat in aede regia *Trianon*, Louvois verba regis aegre tulit. Inde dissensio inter duos, inde bellum, quo Europa penitus arsit, cuique nomen a « successione Hispana ».

A. Voltarius, in libro qui inscribitur *Siecle de Louis XIV*, narrat dynastam Marlboroug negasse reginae quasdam chirothecas nova prorsus arte confessas, eamdemque sparsisse ad contemptum nonnullas aquae guttulas super vestem nobilis foeminae Masham. Quis crederet? Illa de gratia regum decadere; mox erupisse bellum, quo tot regnorum conditio immutata, labefactata et subversa est in Europa.

Narratur insuper aulici cuiusdam ambitioni debitum Galliae excidium a. MDCCCLXX.

Quid si repertum fuerit Sinense quod in eunte hoc saeculo exarsit bellum artibus et lingua dolosae mulieris incensum fuisse?

Novumne est Neronem Poppeae lingua et incitamento; Tiberium Seiani artibus saeviisse?

Absolvam. Immania facta saepe non agentis, etsi potentissima, dextera concitat, sed vilissimi interdum familiaris lingua, sed domestici alicuius, sed amici nequam, quibus longe alia mens, longe alia cupiditas: et ne suspicio quidem incendi, quod ex tam parva favilla sit oriturum.

G. P.

ODORICUS A PORDENONE

Si honores, qui hominibus deferuntur post mortem, ad iustitiae tramitem aequarentur, pauci sane adeo illos altos atque solemnes mererentur, sicuti B. Odoricus a Pordenone.

Sed pauca antea de eius vita gestisque dicenda, ut quae asserimus, liquido pateant.

Villaenovae in oppido prope urbem sito, ex qua agnomen ei inditum, Odoricus ex nobili Mattiussi genere natus est anno MCCLXXXV. Quintum decimum agens annum inter Franciscales cooptatus est, statimque perarduum vitae genus sectatus.

Atque illud in homine est animadverendum, alacrem eum validumque semper fuisse nec umquam ex eius vultu gaudium ac veram laetitiam evanuisse, quam Seraphicus Parens Legifer filii suis legaverat. Hinc laetabundus ardenter exaruit amore animas Christo lucifaciendi, et apostolico zelo flagrans, totam Fori Iulii regionem peragravit, quam fama replevit suae eloquentiae signisque mirandis, quodque magis est, plurimis resipiscentibus seque ad bonam frugem recipientibus hominibus.

Sed caritas Christi, quum est maxima,

ad maiora iugiter perurget; quare Nostrum maturius tetigit atque permovit funesta tot populorum conditio, quos tenebrae horridae barbariae, quos dolenda calamitas errorum atque superstitionum detinebant atque obruebant. Tanta igitur eorum salutis populorum Odoricum incessit cupido, ut triginta vix annos natus, anno MCCCXIV, in remotissima Asiae regna solverit, atque ad Tartaros, ad Indos orientales, Persas, Iaponios, ac Sinenses pervenerit, Sanctum Iesu Christi Nomen ubique praedicans, omnibusque nuntians Mysterium et opus Christianae Redemptionis, uberrimis usqueaque salutis vitaeque aeternae fructibus relatis.

Haec autem dum agit, nullis suam pietatem, nullis studia sua terminis circumscrabit; veluti quum in urbe Tanai, conquisitis exuviis nonnullorum Sodalium, qui anno MCCCXI martyrium subierant, eas secum pie detulit, Saracenis ignem ad moventibus domui, in quam se receperat. At ille in latus se conferens aedium cum sacris exuviis incolumis evasit, igne vorante cetera domus latera multaque alia propinqua loca.

Navigante illo cum nonnullis idolorum cultoribus, tacet de repente ventus, statque defixa navis, nisi vi compellatur. Suos invocant barbari deos, hortanturque Odoricum, ut suum pariter Deum clamet experituri utrum Numen propitium ventum adducat. Flatu autem remorante, invehuntur, vituperant, minanturque se illum in mare projecturos cum reliquiis, ni protinus exaudiatur. At ille impavidus ac quietus invocat Deum, Deiparam exorat et sanctis exuviis mare tangit, statimque secundus adflat ventus, qui omnes feliciter in portum vehit.

Nec minus admirandus quum homines anthropophagos nactus, ita eos diserte pariter atque efficaciter alloquitur: « Miser! Quare non videtis? Canis carnem non edit: cur igitur vos peiores ac viliores bel-

luis ipsis exhibetis? » Arguere quoque ac refellere aggressus est nonnullos opinantes, sicut hodie quoque apud nos, rationales hominum animas in bruta trasmigrare, quamquam eos ab errore removere nequidquam valuit.

Postremo, apud Indos et Tartaros demoratus, eorum multos verae fidei luce collustravit; agmen praeterea Nestorianorum nactus haereticorum, ad Ecclesiae simum reduxit.

Sexdecim post annis, laetabundus, quod viginti Infidelium milia sacro fonte abluerit, in Italiam reversus est. Constitit Pisis, Utinumque regressus, descriptisque variis ac multis itineribus suis, ibidem decessit xix Kalendas Februarias anni MCCCXXXI; cuius cultum eidem vulgo tributum Benedictus XIV confirmavit anno MDCCXXXV.

Haec vita, haec praeclara gesta incliti Viri: qui nos docet quam intime senserit vocem Servatoris edicentis: « Ite, docete omnes gentes»; quam ardenter illum excitaverit exemplum Seraphici Patris, qui primus verbo atque opere aura apostolorum tempora redintegravit in mundo; quam alte persenserit verum illud bonum, quod una Christiana Religio cognita atque culta apta est ad proferendum apud gentes. Qui ad hunc excelsum consequendum finem processit, imo convolavit, in orientales plagas, et itinera atque opera aggressus est, quae vel audacissimum quemque terrorerent. Quando maritima itinera adeo erant periculosa, ut qui ea suscepissent, vita saepissime periclitarentur, Odoricus solvit in nondum exploratas et impervias Asiae plagas, quod vel cogitatu mentis alienatio videretur; in eam namque una vix Veneta gens, Marco Polo duce, nuper erat progressa anno MCCLXXI-MCCXC; atque, mirum!, ea, quae Marcus Polus, quaeque Odoricus de Asiae regionibus memoriae prodiderunt, cohaerent invicem, seseque complent...; et quamquam nonnulli Odorici narrationem parvipendunt, me tamen

teste, qui intentum animum ad eius studium adiunxi, ea concors est et recentioribus exploratis respondet.

Igitur, brevi elapso tempore a prioribus exploratoribus, multoque antea quam homo Liger animos adderet nautis antipodes revisendo, Odoricus eiusmodi aggressus est maritimum iter, quod illum inter audacissimos statuit nautas. Tantam audaciam, tantam virtutem, atque excelsum animum huius Franciscalis Sodalis quis animadverterit, bene aptare homini poterit Horatii illud:

*Illi robur, et aës triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit, præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Adriae
Maior, tollere, seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
Infame scopulos Acroceramnia?*¹

Sed maiores difficultates, horribiliora monstra manebant Odoricum in barbaris terris, inter gentes diversas, suspiciosas et feras.

Dici vix potest qui ei subeundi dolores caeli malignitate, soli asperitate, carentia saepe cibi potusque, obnoxius non semel belluarum morsibus hominumque insidiis, qui illum saepius ad mortem usque cruciaverunt, adeo ut in Italiam reversum vix eum agnoverint Sodales atque amici, vultu omnino et faede commutato propter labores atque dolores toleratos. Quae tamen omnia dulcia atque accepta Odorico fuere propter Deum, cuius notitiam et amorem inserere hominibus voluit, qui tam longo mari terraeque spatio aberant a germanae fidei sede.

¹ HORAT., *Od.*, I, 3.

Quisnam igitur non admiretur hanc animi celsitudinem? Celsitudo pura atque serena, quae civilium et Christianorum morum scons est atque mater, non sane comparanda speciosae illi atque fictae, quae nihil omnino confert ad aequos et sanctos fovendos ac promovendos mores.

Honor igitur atque laus Odorico a Pordenone, dignus qui celebretur veluti praeclarissimus Evangelii Praeco in extremis veteris orbis finibus, veluti magnus civilium morum auspex et vindex praestantissimus.

P. FERDINANDUS AB AVILLANA, O. M. C.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE RECENTIORE BIOLOGICA CURATIONE, QUA
TUBERCULOSIS PRAEMUNITUR.

A Lancisio usque ad nostram aetatem vexatissima est quaestio de pestilentis aëris morbo, qui italicice *malaria* vocatur, et de tuberculosis concursu. Potius enim quam observationum disciplina perducti, incerto quodam animi stimulo permoti, nonnulli huius morbi studiosi, pestilentis aëris morbo concurrente, in melius magis quam in peius aegri phthisici validitudinem inclinare sunt arbitrati.

Anno 1927 libellum edidi, quo summam novam exposui sententiam clinicis, anatomo-pathologicis, radiologicis, epidemiologicis constantem experimentis, pestilentis aëris morbum, quum aut incoatur tuberculosis aut ingravescit, vim resistendi afferre solitum esse.

Pervestigationes et experimenta, quae in dies crebriora fiunt, apte absoluteque

inter se congruere et cohaerere demonstrant istologicam reactionem a pestilentis aëris morbo exortam, quam primus in pulmonibus animadverti, et clinicas, bacteriologicas, radiologicas notas, quae vim resistendi ac singularem quandam contentiōnem prae se ferunt, qua corpus, vel potius corporis textile quoddam, quod reticulum endotelium appellamus, cum Kochii bacillo congrediatur atque proelietur.

Pestilentis aëris morbum anno 1929 ipse in tuberculosis variae laborantes primum inoculavi, ut idem morbi curriculum eademque signa patefierent, quae iamdiu in naturalibus casibus animadverteram, quorum causa et pathogenesis tantum pestilentis aëris morbo adscribēbantur.

Haec pestilentis aëris morbi inoculatio, quae curatio artis praeceps ac rationibus, non empiricorum doctrinis nititur, neque collassotherapy a se prorsus submovet, praesertim quum de excavationibus agatur, ad sanitatem aegrotos paucorum mensium spatio reducit, resistendique vim singularem affert, si quis in posterum in eundem recidat morbum.

Quae vero in tuberculosim inoculatio, quam *Endo-bio-stimulo-therapiam* appello, ex eo quod in stimulo consistit rerum biologicarum et endogenarum, quas malaricus in sanguinis plasma immittit, est curatio quaedam omnes priores complectens et comprehendens curationes, naturalemque assimilans medendi rationem propter illud pathogeneticum adminiculum et adiumentum, quo tuberculosis curriculum a pestilentis aëris morbo inchoatum mesenchimaticorum curriculum imitatur.

Quos si natura sua sponte maxima reactionis ope corpora ditavit, ad eandem virium potestatem haec inoculatio illos reducit, quos huiusmodi vires deficient, vel quibus omnino propter nativas vel ascitas causas desint.

P. GAROFOLI.

NOTITIAE.

DE RECENTI EDITIONE GEOGRAPHIA PTOLOMAEI.

Speciali nota dignam putamus editionem maximi operis geographicī Ptolomaei, quae nuper a Biblioteca Vaticana facta est, et decimum nonum volumen constituit in collectione, quae selectos codices photographice reddit, et quatuor constat tomis. Textus et tabulae sunt ex codice urbinate octogesimo secundo, qui saeculo duodecimo adscribitur et, ut videtur, aegyptiacum papyrum saeculi septimi reproductum.

Huiusmodi tabulae nunc primum eduntur per reproductionem phototypicam, et quidem in propria forma, idest quinquaginta per septuaginta centimetrorum.

Revñus Dominus Achilles Ratti, nunc Summus Pontifex Pius Papa XI, tunc Ambrosianae Bibliotcae Praefectus, iam initio huius saeculi peculiarem graecorum codicum Ptolomaei valorem primus cognovit et r. p. Fischer e S. I. indicavit.

Per triginta fere annos P. Fischer instituit in colligendis quae de Ptolomaei opere geographicō exstant in codicibus per Europam dispersis, quorum princeps facile appareat urbinas octogesimus secundus, et hunc reddere curavit, simul addendo quae ex aliis complementa digna visa sunt.

Quae per tot annos P. Fischer collegit, exstant nunc in volumine quingentorum et quinquaginta quatuor paginarum, quodque maximum constituit commentarium de Ptolomaei opere geographicō.

Quae doctrinae adiumenta ex hcc opere proveniant, apparent praesertim in iis quae P. Fischer habet de mensuris tum caelestibus tum terrestribus a Ptolomeo allatis, de ratione Ptolomaei in eis deducendis et describendis, de geographia mathematica, quae praecipue in *Almagesto* continetur, deque ethnographia, quae in *Tetrabiblion* exstat. Quae geometricam delineationem respiciunt, inveniuntur in γεωγραφική ὑφῆ-

γνώση, quae introductionem et illustratiōnem tabularum Ptolomaei constituit, et nunc tam opportune et plene a P. Fischer editur.

Opus completur etiam commentario critico-paleographicō textus, a Pio Franchi de' Cavalieri studiose redacto.

NOTIFICATIO.

Pontificia Academia Scientiarum « Novi Lyncae » biennale praemium decem milium libellarum italicarum, quod a Pio XI, Sodali suo feliciter regnante, nomine exornatur, anno MCMXXXIII adiudicare statuit.

Opus criticum donabitur circa *Sistematica solutionum equationum differentialium* quod, inter ea quae proponentur, omnium nobilissimum evaserit.

Intendit autem Academia theoriam solutionum periodicarum, vel alterius systematis solutionum promovere vel ampliari, vel ad quaedam practica problemata applicari.

Ad novum hoc certamen docti viri cuiuslibet Gentis invitantur his legibus, ut opera vel anglico, gallico, germanico, hispanico, italicō vel latino idiomate exarata nec prius edita, et tribus exemplaribus digitorum pulsū (idest *dactylographice*) transcripta, ad Pontificiam Academiam Scientiarum ante Kal. Nov. a. MCMXXXIIImittantur.

Nulli vero ex Pontificiae Academiae Scientiarum Sodalibus Ordinariis, sive Romae residentibus sive alibi incolentibus, praemium adiudicari licet.

Auctoriis fit facultas apponendi nomina sua scriptis, vel dictum quoddam, vel aliud signum quod repetendum erit super involucrum, nomen auctoris continens sub sigillo.

Exitus certaminis, auditio iudicio virorum ab Academicorum Coetu ad hoc designatorum, opportuno tempore pronunciabitur,

ut praemii collatio per Ipsum Summum Pontificem in solemni primo Academiae Conventu novi Anni Academici, qui locum habebit mense Decembri eiusdem anni, fieri possit.

COLLOQUIA LATINA

XIV.

Iter et Equus.¹

PHILIPPUS, MICHAËL, MARTINUS, PAULUS,
PUER, RUSTICUS.

PHILIPPUS. - Vultisne proficiscamur, animi gratia, Tusculum?

MICHAËL et MARTINUS. - Nihil malūmus, die praesertim sereno, a ventis silenti, tum etiam feriato in nostro pedagogio.

PHIL. - Ego habeo asturconem.

MICH. - Et ego equum meritorium.

MART. - Ego et Paulus ferrivia discedemus.

PHIL. - At non erit nobiscum iter.

MART. - Scilicet equitare nescimus.

MICH. - Conducite rhedam.

PHIL. - Quin imo lecticam. Nonne ci-
sium sufficiet?

MART. - Bene ait Philippus. Vadam ad carrucarium.

PHIL. - Vide ne sis in exspectatione.
MART. - Illic sum, et h̄c sum.

PHIL. - Eia, puer; frena equum meum, et insterne. Quid? Manno indis lupatum?
Orna potius frenulo illo levi cum bullis

PUER. - Hui! nec oream habet, nec aureas.

PHIL. - Si scirem qui fregisset, ego illi frangerem... Supple quae desunt ex hoc fune.

PUER. - Erit deformē.

¹ Ex colloquis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PHIL. - Abi, insane: quis videbit extra urbem?

PUER. - Antilena est dissuta.

PHIL. - Sarcias ligula adstrictoria aliqua.

PUER. - Non habet postilenam.

PHIL. - Nec est opus.

PAULUS. - Magnum equitem et exercitatum! Delabetur ephippium ad collum, et effundet te supra caput.

PHIL. - Quid ad me? Lutosa est magis via, quam lapidosa; inficiar coeno, non cruentabor. Sed si haec omnia apparanda, non hinc discedemus ante vesperum. Adduc equum, qualicunque ornatu.

PUER. - Paratus est; concende. - Ah, quid agis? Pedes dexterum ponis priorem in stapeda?

PHIL. - Utrum ergo?

PUER. - Sinistrum; et habenas sinistra manu rege; dextera cape hanc virgulam, quae erit pro calcaribus

PHIL. - Non indigo: calcanei erunt mihi pro calcaribus.

MICH. - O equum molestissimum succassatorem! Ossa mihi omnia contuderit, priusquam perveniamus in oppidum.

PHIL. - Quid malum est stratum istud tuum? Clitella est, ut puto.

MICH. - Paulo minus.

PHIL. - Quanti, quanti?

MICH. - Nummis ducentis.

PHIL. - Equum ipsum cum suo victu et vestitu tanti non emerim; nec enim videtur mihi equus vector, nec ephippiarius; sed iumentum sarcinatorium et iugale, aut dossuale. Animadverte, ut passim offensat!... Vel in chartam, vel in latum culmum impingeret.

MICH. - Quid tu de eo dicas? Pullus est adhuc. Sed garrias quae voles. Vides tu hunc equum? Is qualis est me vehet... aut ego illum.

PUER. - Ungulam habet tenerrimam miser.

PHIL. - Nec aliud quidquam te admonuit unoculum erro ille, qui tibi locavit?

PUER. - Rogavit ne duo insiderent equo, alter in strato, alter super clunes, utque in equili diligenter ei substerneretur.

PAUL. - Nimirum eget misellus, qui latera habet nudata carne.

PHIL. - Quid agitis vos? Michaël, ubi nam vehiculum illud vestrum?

MART. - Auriga petit hodie altero tanto plus quam quanti alias eum compensavimus.

PHIL. - Cum rhedariis est vobis res? Genus hominum est quidem mite, manusuetum, come, urbanum!

PUER. - Bigae ducem me vobis praebeo.

MART. - Ne tamen praecipites nos agas.

PUER. - Nolite timere; operi assuevi.

PAUL. - Pace tua, hominem suae artis praefero.

PUER. Sit; me meus equus, et ipse indomitus, dorso recipiet. Equitem admirmini peritissimum.

PAUL. - Quid si automobilem covinum¹ conduixerimus?

MART. - Maius erit profecto pretium quam quod pro vehiculo a nobis est requisitum.

PAUL. - Si essendum² nobis occurret!

MART. - Praestat summam transigere cum furcifero illo.

PHIL. - Sed appetit iam meridies. Michaël, eamus: sequatur qui poterit. Invenient nos ad Galerum Purpureum; ea est taberna diversoria sita ad dimidium circiter viae.

MICH. - Qua egrediemur?

PHIL. - Per portam Lateranam Appia, ac deinde Tusculana via.

¹ Covinus apud Romanos fuit rhedae genus, unde que clausum, quo ad iter faciendum praesertim utebantur. Fuit qui ex Martiale (Ep. XII, 24), coniecit illum non ab externo auriga, sed ab homine intus statite fuisse ductum.

² Hoc vocabulo latine vehiculum nunc exprimi posse puto, quod camion vulgo audit.

MICH. - Imo iam initio teneamus semitam ad sinistram: via iucunda est et placida.

PHIL. - Minime vero: nil commodius et tutius, quam via regia; nam transversis amitteremus iter, praesertim quod trames ille, nisi me fallit memoria, est valde sinuosus et ambagiosus.

MICH. - Oh! Puer est iam nos assequutus!... Ubi sunt Martinus et Paulus?

PUER. - Rhedarius iratus, quod non quantum postulaverit accipiat, duxit eos via salebrosa; equus, dum magna enititur vi rotas in alto coeno haerentes extrahere, temonem et helcia confregit. Tum canthi revulsi sunt cum clavis, et ipse rotam sufflaminaverat imprudens, bili excaecatus. Nunc ea reficit, vectores diris devovens atrocissimis.

PHIL. - Quae capiti illius sint!

PUER. - Puto eos, cisio relicto, transituros in sarracum, forte transiens, et sine onere iter habens Tusculum.

PHIL. - Coniicio quid futurum sit; non pervenient illi Tusculum ante serum diei.

MICH. - Quid tum? Sumemus diem crastinum totum ad reficiendum animum. - Aspice, ut fluviolus ille leniter labitur: aquae plane crystallinae inter scrupos aureos. Quam iucundum murmur! Audis lusciniolam et carduelim? Profecto territoriorum hoc amoenissimum est.

PHIL. - Quod spectaculum potest esse huic par? Mirifice his omnibus redintegrantur animi. O pratum miro artificio vestitum!

MICH. - Nempe ab admirabili artifice.

PHIL. - Quam suavem odorem spirat!

MICH. - Huc, huc; ad sinistram flectito, ut evites coenum tenacissimum, in quo graduarius tuus statim unguem amitteret. Quam contrarius hic campus, obsitus situ, squalidus, cariosus, horrens petris, et spinis armatus.

PUER. - Nonne vides esse agrum ruderatum ex villa ruinis? Et alioqui fru-

mentarius est. Hyberno pulvere, verno luto, magna farra, Camille, metes!

PHIL. - Quaesum, Michaël, cantilla versus aliquot, ut soles.

MICH. - Placet.

*Felix ille animi divisique simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuso
Solicitat, non fastosi mala gaudia luxus.
Sed tacitos sint ire dies, et paupere cultu
Exit innocuae tranquilla silentia vitae.*

PHIL. - Versus facetissimos et gravissimos! Cuius, quaesum, sunt?

MICH. - Non agnosti?

PHIL. - Non.

MICH. - Angeli Politiani.

PHIL. - Vetustiores putavi, et habent gratiam antiquitatis. — Suspicer nos deerasse.

MICH. - Heus! bone vir, qua itur Tusculum?

RUSTICUS. - Aberrastis. Obvertite equos ad bivium illud et tenete viam quam rodit fluvius; ea vos non sinet falli: recta est et simplex usque ad vetustam querum; inde ad manum hanc vos praecipitatote.

MICH. - Habemus gratiam.

RUST. - Bene ambulate. Ducat vos Deus

MICH. - Malim currere, quam sic ab equo isto concuti.

PHIL. - Tanto coenabis avidius.

MICH. - Immo vero non potero coenare, delassatus et confractus toto corpore: ciuitas quaeram de lecto, quam de mensa.

PHIL. - Sede coniunctis curibus, non divaricatus; minus senties laborem.

MICH. - Hoc est foeminarum; at faccerem, nisi metuerem derisus et sannas praeterereuntium.

PUER. - Sistite, oro, parumper, dum hic faber ferrarius calcet asturconem meum, cui excussa est solea dextri pedis.

MICH. - Ah! praeter spem venit occasio corpori meo recipiendi animam!

Quam spes frustratur, non spes, sed poena paratur.

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARACHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[13]

Tum incursum est in aggereum glaciem.¹ Visae sunt ingentis magnitudinis balenae² et aves antarcticae, thalassidromae et procellariae.³

¹ Sub caelo polari terra assidue tegitur congelatis nivibus grandinibus pruinis, eaque « mediterranea » glacies vocatur, a nobis: *Inlandeis*. Quae quum eisdem causis, secretione scilicet atmosphaerica, in margine continentium, in vadis littorum, effecta est, *Schelfeis* est. Nam *Schelf* est ea ora maris quae semper fluctibus tegitur usque ad initia aquae profundioris. Porro illam glaciem « litoralem » vel « litoream » nominem. Quae glacies adstricta est in arcticis maribus, vocari solet *Feldeis*, i. e. « campestris » vel « aequorea » glacies. Haec aestuum accessu et recessu, marinis meatibus, tempestatibus contracta est *Scholleneis* vi vocis Germanicae glacies « fragosa », vel, si dicere licet, « fragmentaria » vel « fragmentata ». Ista fragmina partim abripiuntur calidam versus terrae zonam et appellantur: *Drifteis* vel: *Treibais*, « Quae agitatur glacies », quam Menge meus haud inepte « fluitantem » glaciem nominat. Partim illa fragmenta inter se pressa cumulantur in aggeres, quos aggeres nostres: *Packeis* nominare solent, quos Latine haud scio an fas sit « aggereum glaciem » cognominare. Hoc genus navibus regiones polares adeuntibus saepe pernicie fuit. Non vides, optime lector, quam mihi necessaria sit encyclopaedia et Gallice et Hispanice aut Italice scripta; nam quotiens ex illis Latinis radicibus via temptanda in Latina vocabula Latinis vocabulariis nunquam cognita, saepe vel detestanda? Et cerno animo stare vacuas sub quibusdam tectis et rei vehiculariae ministros paratissimos hoc transportare, quo etiam aegrius tanto commodo careo.

² Balaenopterae Siebaldi genus, quod sic ab ipso Scotto describitur: Principio parvum gibbus ex undis emergit. Extemplo emicat in aërea frigora cana nebula in altitudinem metrum duorum. Nauseosus rancidi olei odor relinquitur. Tum crescente gibbere immane dorsum appetet coloris cineracei secundum spinam leniter tumens. Ex eo exstat parva pinna similis hamo. Brevi deinde belua recipitur undis.

³ Ex eo genere avium sunt procellaria glacialis, gigantea, capensis. Thalassidromae Germanice vocantur *Sturmschwalben*, hoc est « hirundines procellariae ».

Reliquis eius anni, qui fuit 1910, diebus navigaverunt ita, ut modo proveherentur, modo sic inclusi tenerentur glacie, ut ignem interciperent, ne maior gratis absumeretur copia carbonum. Interdum homines in glaciem egressi vel labebantur calceis nivalibus¹ vel exercitationis causa trahebant onera. Etiam canes educebantur. Non raro Scottus timuit, ne prohiberentur antarctide diutius. Ad calefaciendum lebetem, quum ignis extinctus erat, binis opus erat amphoris carbonis fossilis. Quum tantunden satis esset ad navigationem totius diei, ignem restingui tum erat utilius, quum in spatium viginti quatuor horis longius eodem haerendum erat vestigio. Sed quis diceret tantum morae futurum? Die natali Christi quinque punctis superatus erat gradus undesepagesimus. Eum diem tales fuisse ipse narrat Scottus: « Natalis Christi est dies, sed vividior fere haec est eius diei imago, Glaciatis tenemur aggeribus, nubes non alte pendentes obscurant caelum, quae interdum leves nivium crystallos demittunt. Est, ubi minores apertae aquac lacus umbram efficiunt, sed illud molestum, umbram in transitam duci regionem. Reliqua loci facies alba nebula est. Claudimur, inquam, et neque velis neque vapore quidquam proficimus.

¹ *Ski*, vox Norvega, quid aliud appellas Latine? Ego hic verti nostrum *Schneeschuhe*. Sunt autem tabellae angustae, satis longae, tenues, ante repandae, quac alligantur calceamento.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANNALES

De bellico aere alieno.

Statuto tempore, idest superioribus Idibus Decembribus, Italia, Anglia, Tseco-slovakia, Finlandia, Lectonia et Lithuania bellicum aes alienum pro sua cuiusque parte Civitatibus Foederatis Septemtrionalis Americae solverunt; non idem fecere Gallia, Belgica, Polonia, Aestonia et Hungaria, miseras civitatis suaec conditions preferentes. Quam quidem causam pro Gallia multi in dubium verterunt, eoque magis quod Henriot, gubernii praeses, si iterum protestatus fuit, onus alias sibi impositum Gallicam nationem sustinere ultra non posse, auctor tamen apud popularium legatorum coetum fuit, ut et hodierna rata pars penderetur, fide habita de proxime sequenti debitorum retractatione. Quamquam ne sub huiusmodi conditioni quidem populi legati solvendae pensione assenserunt, ita ut Herriot coegerint ad munere suo se omnino abdicandum. Ei Paulus Boncour successit.

Ex Germania.

In Germania novum administratorum collegium suffectum est, cuius Schleicher Cancellarii munus assumpsit. Is inducias unius mensis requisivit, sperans fore ut intra hoc tempus partium contentiones componere posset. Tempus vero iam est elapsurum, neque optata meta appareat. Quid inde? An legatorum coetus a recentibus comitiis electus tertio dimittetur? Credendum utique est, Hitlerum ipsum minime hoc facto contentum esse posse, quem forte factionem et simul auctoritatem suam imminutum iri viderit. Profecto gravissima Germaniae rei publicae tempora currunt!

In ultimo Oriente discrimina.

Inter Iaponios et Sinas nova incendia flagrarunt. Illi enim, semper publicae securitatis sub specie, Jehol provinciam, Mandchouriae ad occidentem sitam, et Shanghaikwan portum armata manu, frustra resistantibus Sinis, occuparunt. Dictant eos illuc intendere, ut regionem ipsam a vetere Sinarum civitate distrahant, quam sui iuris partim facturi sint, partimque tutelae maximarum totius orbis gentium concrederant.

* * *

Ex Hispania.

Nec melior rerum conditio in Hispania offeratur, ubi seditiones late per civitatem omnem in dies exoriuntur, a «Communitarum» factione excitatae, quae nulli violentiae parcit. Igniferis globis praesertim utitur, ut innocentium civium internecione terrorem ubique incutat; nec satis esse gubernii copiae videntur ad eos repellendos.

* * *

Ex arce Vaticana.

Inter tot rerum eversiones et hominum odia, en Sanctissimi Patris Pii XI vox, sollemniter ex arce Vaticana manans, populos ad poenitentiam remissionemque vocat per iubilarem annum, a die II proximi mensis aprilis praeter ordinem indictum, ad saecularia sollemnia celebranda a generis humani redemptione a Deo per Christum peracta. Audamus singuli paternam invitationem: in Christo enim et per Christum vera pax et tranquillitas ordinis a mundo universo unice invenietur!

POPULICOLA.

Cuncti se scire fatentur
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
VERG., Aen., XI, 344.

VARIA

De Iaponia.¹

Quem vulgo Iaponem vocant, eae praeципue tres insulae sunt, circumfusis aliis minoribus, interfluo eripo disiunctae. Prima et maxima, in satrapias aut regna tria et quinquaginta dividitur; eius caput est urbs *Meacum*: inde insula tota denominatur; alteram *Ximum* appellant: haec satrapiis regnisve censemur novem; nobilissimas habet urbes *Vosuquin* et *Fu-naium* regni Bungensis. Tertia dicitur *Xicocum*: satrapias aut regna continent non plus quatuor: insignis maxime *Tosa* urbs regni cognominis. Ita Iaponis vel regna, vet satrapiae (sunt enim complures, in quas vocabulum regni minime convenit) in universum numerantur sexaginta sex. Totius terrae longitudo ferme in ducentas, uti ferunt, leucas excurrit; huic nequaquam respondet latitudo; decem tantum alicubi patet; summum triginta non amplius; de ambitu nihil certi proditum est.

Iacet ab aequatore in arctum a trigesimo gradu ad trigesimum fere octavum. Ab oriente obversa est novae Hispaniae, centum et quinquaginta leucarum intervallo. A septemtrione, Scythes vel Tartaros, et alios ignotae feritatis populos, ab occidente adspicit Sinas, varia pro litorum flexu excursive distanti: siquidem ab urbe *Liampo*, qui Sinarum regnis in ortum est limes, ad Iaponis insulam *Gotum*, quae prima inde navigantibus occurrit, leucas numerant sexaginta; ab *Amacano* autem, occiduo Sinarum emporio, ubi Lusitani ferme negotiantur, ad eamdem *Gotum*, leucarum ducentarum nonaginta septem traiectus est. A meridie, vasto mari interfuso, inexploratas habet terras, e quibus

casu nautas olim quosdam in Iaponem delatos fama est, neque inde solvisse. Tellus maxima ex parte nivalis ac frigida, neque admodum fera. Septembri mense oryzam (is cibus est communis omnium), quibusdam etiam locis Maio triticum metunt; neque ex eo panes more nostro, sed genus quoddam offae seu polentae conficiunt. Salubris caeli temperies: aquae boane, calidas etiam alicubi medicos in usus emicare cognitum est.

* * *

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Iuris diluti poculum.**Oryza Mediolanensium more condita.**Segmenta vitulina in Iunonio vino decocta.**Scriblita ex faseolis.**Tracta cum fragis mulso confectis.*

* * *

Locosa.

Tuccius in schola.

Geometriae prima elementa postquam Magister exposuit, Tuccium interrogat:

— Quas igitur lineas rectas appellabis?

Noster optime respondet; Magister in sinu gaudet, et instat:

— Rectas autem aequis intervallis inter se distantes ...

— Quae... quae ferriviae iter indicant.

* * *

Aenigma.

Olfacio, clamo, moneo, quoscumque fidele, Captivum tueor, liberiusve sequor.

Aenigmata in superiore fasciculo mens. Decembribus MCMXXXII proposita his respondent: 1) *Caepa*; 2) *Somnium*.¹ Ex MAFFEU historiis.


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C.DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE** collectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

PIO PAPAE XI

XI ANNUM PONTIFICATUS EXPLENTI

*Quae Babylon quondam, quae Memphis regna superbae
Vastis in Aurorae plagis,*

*Orbe tremente fero sunt impete condere visae!
Quid? igne vix refulserat*

*Axis, et infringens ruerat iam fulminis ictus!
Quot vero gentes postea*

*Magnus Alexander rapidis sibi subdidit armis,
Cui totus orbis non satis*

*Esse videbatur! Tandem, duce Caesare, Roma,
Qua maius unquam cernere*

*Nil almus potuit sol, quod sibi nomen adauxit
Mundo triumphato potens!*

*Sanguine at ista modo, funesta et caede parata,
Mavortis execrata ope,*

*Non opulenta diu, non aevo invicta steterunt,
Sed mole lapsa sunt sua.*

*At, Pie, sceptra tibi minime terrena gerenti,
Sed caelitus palam data,*

*Is timor esse nequit. Tu non in corpora puta,
In abdita imo cordium*

*Imperia exerces, parvo nec in orbe potestas,
Ut vulgo, cogitur tua.*

*Tu caeli claves volvis pariterque revolvis,
Ipsasque Manium fores*

*Saepius attingens, potis es reserare piandis.
Non, ergo, falso principes*

*Exsuperas omnes triplici diademate cinctus,
Et publicis conventibus*

*Non ostro indigne, byssō vestiris et auro.
Virtutibus tamen tuis*

*Spectandus magis. His, tanta ditione potitus,
Quam gentibus mirabilis*

*Omnibus exoreris! quanta gravitate decorus!
His, quam potentiam Crucis*

*Et Christi nomen, non vi munitus et armis,
Felix in orbem provehis!*

*Nam, pius ac mitis, bonitate insignis et omni,
Amore quosque amplecteris.*

*At, simul et fortis, leo fis invictus et acer
Cum iura vindicas Dei.*

*Quae gravis aerumna, immanis qui luctus in orbe
Cui mox levamen non feras?*

*Providus hinc Pater, innumeris de pectore curis
In prolis aestuas bonum;*

*Hinc vigil et Pastor, secura ad pabula ducens,
Pericla praecavens gregi;*

*Errandique expers, omnes praecepta salutis
Magister inclytus doces.*

*At pacem in primis, pacem contendis et urges
Qua civitates indigent.*

*Nemo neget, Pie; Tu, bonus, es mala tempora nactus
Ut munus impleas tuum!*

*Post etenim belli rabiem quo sanguine tota
Europa adhuc perfunditur,*

*Quoque, simul, rerum tam foeda incessit egestas
Ut ferre vix ullus queat,*

*Nunc iterum populi bellum meditantur et arma
Torvoque spectant lumine,*

*Vindictae studio vel suspicione macentes,
Dolosque nentes invicem.*

*At, Pie, Tu iusti iustus pensator et aequi,
Favore neutros prosequens,*

*Optima quosque mones; prudensque quieta suadens
Vota obsecundas gentium.*

*Ast illud tibi praecipue tribuetur honori,
Nomenque tradet posteris*

*Foedera quod gemina Italiae cum Principe nuper
Componere est Tibi datum.*

*Nam, si dira prius rapuit discordia mentes,
Utrimeque damna comparans,*

*Iam, virtute tua, cuncta, en conversa novantur,
Secundiore et alite*

*Libera relligio varios vocat undique coetus
Fidelium, ac probe instruit*

*Exercetque sacris ut sacra ad proelia ducat,
Mystis iuvanem additum*

*Quo Italiae cives clari probitate parentur
Caeloque digna pectora.*

« O, euge, euge Tibi » certe cantabitur olim,
« Prudentiae laus sit tuae

« Patria namque Deo sic tandem est reddita nostra,
« Itemque patriae Deus »!

Mantuae, nonis Febr. anni MCMXXXIII.

A. TRAZZI.

IN "INTELLECTUALES" QUI DICUNTUR

Intellectuales profecto barbaricum verbum est; sed nullum aliud invenimus par gallico illi *les intellectuels*, et quod idem valeret. Barbaricum dixi verbum; nam, quem ad homines referri nullo modo possit — (sunt enim propria et usitata vocabula, ut *intelligentes, perspicaces, aliaque multa*) — eos, quos significari et declarari volumus, minime demonstrat. Nemo mediocriter doctus dubitat, quin «imponenda nova novis rebus nomina¹ sint; sed hoc in genere certae sunt regulae,

Et nova factaque nuper habebunt verba fidem, si Graeco fonte cadant parce detorta,

ut est apud Horatium.² Quare si continet nova verba proferre sine necessitate et nulla grammaticae et communis usus ratione adhibita, confitendum est non solum animos eorum, qui illa parunt, sed magis eorum qui temere et non sine ardore aliquo usu recipiunt, esse perturbatos. Olim magno in honore erant haec nomina: *parnassiani, symbolistae, decadentes*; nunc maxime pervulgatum est illud *intellectuales*, vel potius gallice: *les intellectuels*.

Atque haec quidem de rei nomine. De ipsa autem re difficile dictu est paucis verbis qui proprie *intellectuales* dicantur. Neque enim ita appellantur qui litteris operam dant, neque qui bonis artibus, neque qui philosophiae; nam his omnibus sunt propria et certa quasi nomina. Qui denique illi sunt? Quo facilius definiantur, dicendum est primum, quid commune inter sese habeant; deinde quo a ceteris mortalibus differant.

Intellectuales igitur ubique fere sunt: in Gallia, in Italia, in Germania, in Hel-

¹ Cic., *De Fin.*, III, 1, 3.

² Epist., II, 3, 52.

vetia, iidemque inter illos, qui aliquid studii et opera ad vitae societatem et cultum conferre se praedicant, uti philosophos, poëtas, artifices et ephemeredum scriptores, reperiuntur. Atque hoc commune inter se habent, quod a sua quisque recta via aliquantum deflexit, propterea que, quod vehementer arripere conatus est, nunquam est consequutus. Ii italicice optime *spostati* appellati sunt; gallice *déclassés*. Quare multos reperies, qui a vera digressi religione, nullis vinculis impeditis ullius certae sacrae legis, suo utuntur iudicio: multos invenies a rei publicae administratione deflexos, qui a publicis negotiis exclusi aut temporibus aut electorum voluntate, summa vi ingenium in ipsa ipsorumque gestores torquent. Quot autem sunt qui mala carmina fundentes, sibi tamen sumunt, ut praetereuntium digito monstrantur? Quot reperiuntur qui gloriam sibi comparant turpissimis scriptis, quae ad animos effeminandos plurimum valent? In illis omnibus nulla certa doctrina est, nulla vera eloquentia, nulla sana ars, sed potius nescio quid circulatoriae iactationis et petulantiae; nam iudicii sanitatem non habent, non habent speciem pulchritudinis eximiam quandam; venustatem, convenientiam partium et quae sunt his similia non bene sentiunt. Conscientur autem et praedicant se vehementer diligere virtutem, leges, homines; sed omnia ad sua referunt commoda. Huc adde, quod appellantur nomine quod ipsi assumpserunt. Quae omnia si perpenderas, nihil esse tam dissimile, quam *intellectuales* illi qui dicuntur, hominibus vere intelligentibus et doctis, qui aut de re publica, aut de religione, aut de litteris et bonis artibus mirifice meriti summo honore habentur, facile iudicabis. Illi sunt leves, impudentes, superbi; praedicari se volunt et nominari; contemnunt omnes qui in sua verba non iurant; iidem gloriae — si qua est gloria — iacturam ne mini-

mam quidem facere vellent, ne patria quidem postulante. Contra, homines qui intelligentes et docti proprie dici possunt, sua doctrina haud effraenati, minime gloriantur, fugiuntque superbiam et arrogantiem. In his prestantissimi philosophi, poëtae, physici, graves et severi homines in re publica exercitati, magnum studium multamque operam, nulla fere adhibita intermissione, in veri investigationem conferunt; atque tum incredibili quadam voluptate perfundi se sentiunt, quum aliquid pulcri, aliquid veri, in medium proferre possunt. Quod iis, qui seipso *intellectuales* appellant, nunquam vel raro contigit.

Ceterum id hominum genus, praeter nomen, haud novum est; nihil enim, — ut est in pervulgato illo proverbio, — nihil sub sole novi. Nam et sophistae, quibus Socrates sese acerrime opposuit, et Athenienses illi, in quos Demosthenes gravissimis verbis invehitur,¹ et qui — ne plures commemorem — saeculo XVIII labente in Gallia suis scriptis civium animos vehementer perturbantes omnia ad extremum verterunt, nonne cum illis qui barbarico nomine, ut supra diximus, *intellectuales* vocantur, sunt comparandi?

D. T.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

De "concordantia seu concordia temporum."²

IV. — Infinitivi

10) *futurum simplex* usurpatur, si actio infinitivi, tempore posterior, consideratur ut *perdurans* relative ad actionem verbi antecedentis; v. g.:

Credo (nunc) te lecturum esse (postea)

¹ Cfr. Phil., I, 49.

² Cfr. fasc. sup.

(Actio legendi posterior est actioni credendi, sed relate ad hanc actionem erit perdurans).

Animadvertebat totum exercitum *peritum* (C. N., *Ep.*, 7).

Addit se prius *occisum iri* (Cic., *Att.*, II, 20).¹

20) *futurum exactum*, si ut *absoluta*; v. g.:

*Credo te lecturum fuisse.*²

¹ a) *Futurum simplex infinitivi passivi* constat ex infinitivo impersonati «iri» et supino. Itaque semper immutatum manet; v. g.: *Vaticinatus est madefactum iri* minus triginta diebus Graeciam sanguine (Cic., *De Div.*, I, 32).

b) Pro futuris infinitivi potest fieri circuitio per impersonale «fore ut» «futurum esse ut», cum eo tempore coniunctivi quod constructio postulat; videbitur prout actio verbi secundarii est diverse praesens, futura aut praeterita relative ad actionem verbi primariae. En schema:

Futurum simplex: *Credo, Credidi fore ut legas, legaris; Credebam, credideram fore ut legeres, legeris. — Credo, credidi fore ut legeris, lectus sis, fueris.*

Futurum exactum: *Credo, Credebam, Credideram fore ut legisses, lectus esses, fuisses.*

Hac circuitio praecipue tum adhibenda est, quum verbum utroque vel alterutro futuro infinitivi caret.; v. g.: *Video te velle in caelum migrare, et spero fore ut id contingat nobis* (Cic., *Tusc.*, I, 34). — Nunquam putavi *fore ut* supplex ad te *venirem* (Cic., *Att.*, XVI, 18). — Puto *fore ut* te *poenituerit*, quum reversus eris — Ptolemaeus mathematicus (= astrologus) Athoni persuaserat *fore ut* in imperium *adscisceretur* (Tac., *Hist.*, I, 22).

² Dicimus etiam: «Credo, Credebam... etc, epistolam *scriptam fore*», nonnullo sensu discrimine a «credo... etc, *fore ut scribatur*». Hoc enim significat: «Post tempus aliquod *scribetur epistola*»; illud: «Post tempus aliquod erit *scripta*». V. g.: Quid noster Hirtius, quid Caesar meus agit? Quos spero brevi tempore societate victoriae tecum *copulatos fore* (Cic., *Ad Fam.*, XI, 8). — Sperare videor Scipionis et Laelii amicitiam *notam* posteritati *fore* (Cic., *De Am.*, 4).

Ante futurum infinitivi; «*fore*» superfluum est. Quandoque tamen legitur, at raro; v. g.: *Fore venturum* (Cic., *Ad Att.*, V, 1). — *Facturos fore* (T. L., 6, extr.).

Sed in conjugatione periphrastica cum «*esse*» et participio in «*dus*», potest aliquando poni *fore*, sensu diverso ab infinitivo *esse*; v. g.: *Instare hiemem* (di-

3º) Usurpatur *futurum exactum* infinitivi, etiam quum actio verbi infinitivi non absolute ponenda est; sed, si ponatur, posterior tempore foret actioni verbi finiti.

Hinc, futurum exactum infinitivi consequiam sub conditione futuram indicat, post propositionem conditionalem in plusquamperfecto coniunctivi; v. g.:

Sic velim statuas, me haec eadem *sensurum fuisse*, si mihi integra omnia ac libera *fuissem* (Cic., *Fam.*, I, 9, 8).

Theophrastes dixit, si hominum aetas *potuisset esse longinquier, futurum fuisse ut*, omnibus perfectis artibus, omni doctrina eorum vita *erudiretur* (Cic., *Tusc.*, III, 28).

Nisi (= si non) nuntii de Caesaris victoria *essent allati*, existimabant plerique *futurum fuisse ut* oppidum *amitteretur* (Caes., *De Bel. civ.*, III, 101).

Puto, *etiamsi* (= etiam si) Scadius tum in spelunca non *fuisset*, saxum tamen illud *casurum fuisse* (Cic., *De Fat.*, 3).

V. – Participium *praesens* usurpatur, quum eius actio, vel relate ad tempus quo quis loquitur, vel relate ad tempus verbi principalis, spectatur ut perdurans;¹ v. g.:

Timens latrones, thesaurum abscondo, abscondebam, abscondam, etc. (omnibus temporibus); i. e.: Ego, qui *timeo*, abscondo, etc., vel: Ego, quum, quia... etc., timeo, abscondo; quum *timebam*, abscondebam; quum *timebo*, abscondam... etc.

Participium *perfectum* usurpatur, quum eius actio spectatur ut absoluta; v. g.:

Patria *pulsus*, pueros doceo, docebam, docebo, etc.; i. e.: Ego, qui *pulsus sum*, doceo, etc. vel: Ego, quum, quia, etc. pul-

cebat consul: aut sub pellibus *habendos milites fore*, aut *differendum esse* in aestatem bellum (T. L. XXXVII, 39); i. e. in oratione directa: Aut *debet* milites sub pellibus *haberi*, aut *debet* differri bellum.

¹ Hoc non valet quum participium usurpatur tamquam adiectivum et solam qualitatem exprimit; v. g. *Retinens sui iuris* (Cic.). — *Profusus sui* (SALL.).

sus sum, doceo; quum pulsus eram, docebam; quum pulsus ero, docebo, etc.

Adeptus victoriam, ab exercitu recedo, recedebam, recedam, etc.

VI. – Participium *futuri activi* usurpatur, quum eius actio, relate ad tempus quo quis loquitur, vel relate ad tempus verbi principalis, spectatur ut futura;¹ v. g.:

In Galliam *transitus*, *huc venio, veniebam, veniam, etc.*; i. e.: Ego, qui *transibo*; *venio, etc.*; vel: Quum, quia, etc. *transire volo, venio; quum transire vollebam, veniebam; quum transire cupiam, veniam, etc.*

Participium *futuri passivi* in casibus obliquis plerumque usurpatur ad significandam passionem perdurantem, loco participii praesentis eiusdem vocis, quod deest;² v. g.:

Peritus reipublicae *regendae* (= quae regitur).

Occupatus sum in litteris *scribendis* (= quae scribuntur).³

S. Leonardi in Helvetia.

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

¹ Huius participii genitivus pluralis non occurrit apud autores, excepto genitivo «*futurorum, futurorum*».

² a) Adiectivum verbale in «*dus, da, dum*» generaliter subaudit aliquam obligationem. Propterea «*amanus*» et «*qui amatur*» non omnino idem sonant.

b) Notio autem futuri, quam cum notione perdurantis passionis saepè coniungit hoc participium, a reliqua constructione pendet; v. g.: *Consilium recuperandae libertatis*. — *Missus ad naues comparandas*.

³ Vel minus eleganter: *regiminis* reipublicae, in *scriptione litterarum* (Cf. ALMA ROMA, ann. 1930, p. 149. IV, 3º).

Proprium est magnitudinis verae non se sentire percussum: sic immanis fera ad latratum canum lenta respicit; sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus iniuria persistit; qui irascitur, motus est.

SENEC., *De ira*, III, 5.

DE FABRIBUS INDUSTRIIS ET MERCATORIIS ORIGINIBUS URBIS

Si quid unquam commentarii nostri haberi proprium oportet ingenuo veluti ac nativo iure, quodcumque id est quod attineat vel quomodocumque pertineat historiam Urbis. Quid dicas igitur si fuerit aliquid pertinentatum quod Urbis ipsius genituram vel geniale fatum cominus aut intimius explorarit? Arcanum equidem tunc noscimus illud tangi, quod Ioannes Pascoli, inter poëtas aetatis nostrae latinos facile princeps, hisce complexus est, ut nemo melius:

«... namque aliquid sancti sub terra vivere certum est
Ipsius in Romae natali monte quadratae ...»¹

Non igitur ultra cunctam nonnulla proferre de Periclis Peralii, urbevetani, novissime edito libro, qui inscribitur: *De fabrilibus industriis et mercatoriis originibus Urbis*.² Viri quidem clarissimi, eiusdemque olim custodis Perusini etrusci musaei, arcana illud, quod diximus, attinet Peralianus liber undique, illudque nimirum quod est summa ratio cur et nostro huic commentario, Romae inscripto, ex tot titulis nominibusque Urbis, *Almae* nomen adductum fuerit. Alnum namque est «quod vitam et nutrimentum quoquo modo praefert vel tuetur». Atqui, quaecumque Roma aluerit atque effuderit per omnes gentes civilis semina vitae, certum est vitalem vim eduxisse ex prima illa Roma, quam, ad Tiberis ostium non agricolae tantum, neque tantum pastores, sed artifices etiam nautaeque multis artibus variisque condiderint.

Haec itaque est praecipua novi libri vis eademque nova scriptoris mens; neque

¹ *Hymnus in Romam*, sub fin.

² *Romae, Sindacato Arti Grafiche*, 1932. — (L. 10).

insolita forte neque nonnullis inaudita, legenda tamen et addiscenda plurimis; cuique autem historiae vel antiquitatis studioso viro pernoscenda atque aestimanda. De qua igitur Iosephus Zuppone Strani, doctor egregius, in Vaticano diario *L'Observatore Romano*, IV Kal. Febr. scribebat:

«Urbis initia — haec ille italicice, quae nos latine reteximus — Peralius non certe postulat ex una artificum colonia mercatorumve manu, sed illud demonstrandum instituit, et bene assequitur, agricolarum pastorumque pagos et compita prima per Rammensium, Titiensium, Lucerumve metallarias tribus ut fuerint bene citoque munita, ita brevi et late superata fuisse». Ex iis igitur, post multas vicissitudines, equestris ordo coaluisse adstruitur: *Kuretes* — ceu notat ille — Cretensium metallaria in arte vocati; *Kureiate*, in Eugubinis tabulis, in Georgica, et in Aeneide *Chalybes*, iuxta illud Vergili:

*At chalybes undi ferrum virosaque pontus
Castorea, citium palmas, epirus equarum, etc.*¹

Qui scribimus Peralii libro in latinam linguam redigendo aliquam operam dedimus, idque maxime fecimus in animadversionibus latine reddendis, quas libro praeposuit studiose non minus quam amice Vincentius Burontius, rei publicae legatus ad Italorum opificum conlegia lictoriis fascibus foederata. Damus quidem, ut non minus libero calamo citati viri fassi sunt, sive glottologi doctoris sive philologi auctoritatem nobis adserere nos velle nullam; attamen ab ipsis amici laboris exordiis, non minus laeti quam libentes eo convenimus quo, sub dissertatione fine, rem totam citatus etiam doctor in Vaticano diario deducit. Nam tutum, certum totius rei manet denique fulcrum: focarias omnes industres artes apud omnes gentes habitas esse sacras, a Prometheo videlicet

¹ Cfr. *Aen.*, VIII, 446, et X, 174; *Georg.*, I, 58.

fabuloso ignis raptore ad historica usque tempora semper. Non enim in Iliade tantum — ut alter ille Peraliani libri commentator notare pergit — heroum arma nūminis manu finguntur. Nec magis insolitum est metallurgicam artem miraculo vel prodigio solere conscribi aut sacerdotum conlegiis tradi, aut ritibus et cultu donari. Nam vel hodie in regione Thibetana *Lamorum*, qui dicuntur, conlegia eam ipsam artem solliciti sibi retinent et sacram servant sibi. Quid vero de inauditis Peralii coniecturis aut sententias si et citatus ille e Vaticano diario animadversor et prope et trans ipsa nostri dicta, quamvis miranda multis, pro sua doctrina, facile decurrat? Quid si Rammensis Romae, vel Rameae, etiam in Ilvani ferri fodinis nonnulla semina agnoscat, Vergiliana nempe in:

*insula inexhaustis chalybum generosa metallis?*¹

Idque bene ille audet, etsi Peralius suam contineat indaginem deducatque tantum per rauderum foveas et acervos, queis primi illi Tiberini ostii incolae praesidio sacro usi fuerint. Quorum videlicet putei carceresque ferro servando conditi vel apud Velini fluminis casum reperti sunt, vel ad Sublucanum lacum.

Praesidium tamen princeps glottologicas illationibus Peralianis Eugubinae tabulae fuere, quae ostendunt multis iam aevis ante Urbem conditam, artium disciplinam omnium sive industrem sive mercatoriam late floruisse in regione illa Italiae media, quae inter Tyrrhenum mare Ilvamque insulam, hinc Tiberis fluminis cursu, inde autem Appenninis montibus continetur, et usque ad vertices Eugubinos et ultra protenditur. Quam regionem ipsos vel ante Etruscos bene notantur diu coluisse Tyrrheni, Ilva insula ita dominati, ut temperandi chalybis artem docuerint

primum Etruscos deindeque Latinos. Nam, ceu ibidem legimus, fabrefactis ex chalybe gladiis ferrea Gallorum tela, acie tamen hebetes, Camillus vicit. Quae quidem cum Vegetio consentire videntur docente (*Milit.*, 12) Romanos non caesim, sed *punctum* ferire assuevit; neque minus Horatio vati, Romuleac stirpis vim ferramque victoriam splendide canenti, quae

*Duris ut itex tonsa bipennibus
Nigras feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Dicit opes animunque ferro.¹*

Non haec igitur sunt fabulis danda ferrea originis nostrae argumenta, sed certae historiae; non secus a connubio illo Sabiniorum Romanorumque, agricolarum nempe et artificum, Peralio quidem certissimo non minus quam animadversoribus eius, qui fingere sibi nequeunt yearum artium neciam Romam quibus totum deinde subegit, non secus ac legibus, orbem.

«Quare — haec nempe Burontius in animadversionibus iam citatis — non pastorius ullus neque ruralis habitus, vel si liceat dicere, cultus, in Tiberina palustri valle, operibus ullis suis primis, iisque ineptis ac rudibus, aut tantam disciplinae nascentis lucem, aut tantum utcumque humanorum civiliumque morum profectum promere valuissent, quanta tamen a prae-historica, quam dicimus, aetate nostra atque ex eius late multipli quamvis occulto labore nobis innotuere ...» «Neque (ibidem), tutam ullam constituerent certaque simul et variam civilis regiminis artem, seu ratam exploratamque dominii legem sive eam religiosam, sive publicam, sive denique mercatoriam vel pecuniariam, quae videlicet futuri imperii semina essent.»

Itaque si Eugubinarum tabularum a Peralio proponitur nova quaedam interpretatio, eo res pertinet, ut conlatis callide

¹ *Aen.*, X, 176.

¹ *HORAT.*, *Ode*, IV, 3.

Oscarum inscriptionum hoc illuc verbis, omne denique illustretur, ceu Burontius idem libens notat «quum operarium illud communis vitae genus ac fabrile, tum mercatorium quod per mediae totius Italiae regiones, Etruscos nempe et Umbros, Latinos et Campanos late iam seruebat et undique, dum Roma nascitur».

Nec tamen incompertum uterque novi libri commentator habuit, non paucos doctos viros futuros, «qui acri sua subtilique sententia Peralium eant obiurgatum sive ob non depulsas incertitudines multas, sive ob proposita nimis audacter et confidenter non pauca, vel nonnulla nimis libere accepta aut intellecta pro arbitrio».

Putavit tamen et unus et alter Peralianae doctrinae intimam veritatem nemini denique aut unquam esse delendam «quandoquidem — haec Burontius — auctor ipse effectis iamdiu per veteres traditiones fabulis vim hanc novam et veram veritatis reddere bene audax valuit, perque antiquas imagines res ipsas, unde illae effluerint, detegere scivit, divitem nempe veterum operum artiumve multiplicem vitam».

In quam eamdem sententiam visus est et alter ille devenisse quem nominavimus, Peraliani libri in Vaticano diario laudator, quum innuit et ipse rei intimam vim, eamque vitalem, non tam in iis abscondi, quae delineavit auctor propositaque, quam in iis potius quae delineando promisit, quaeve vix proposita spondit. Nam sive qui viri docti sequuti eum fuerint, sive qui ei contradixerint, nova illa semina varie foecunda vario labore facturi erunt; quin immo votum disceptando implebunt, quod et nos ab inita vix cum auctore litteraria illa cooperatione fecimus nostrum: fore ut ipse auctor hunc sibi coepit quantocius resumat, idque Romanis innovandis fatis nova semper felicitate aliquid non leve addat, adiiciat.

Quod si iam liceat novam prospicere sortem, sive eam proximam sive forte re-

motam adhuc, quae Italicas gentes, post unitatem Romanis auspiciis nondum a saeculo recuperatam, rursus maneat, Peralianus hic totus labor non absque praecipua rei significatione erit in lucem editus huius renovatae fortunae. Non secus enim atque hic idem Peralius dramatico poëmate, quod inscripsit *Habe Roma!*, celebratum intendit sacrum tempus, quo Etruscorum omnis humanitas, captis Vulsciis, in Romana fata migravit, ita ille idem nostrarum originum prima vestigia retractans, nationi nostrae fatalem semper inditam vim rursus ostendere voluit coniungendarum virium, opum, artium omnibus populis aut gentibus in idem et unum. Quod nempe praebuit Romano imperio primum, mox Christianae ditioni condendae et undique dilatandae perenne fulcrum, iuxta et Vergilianum vaticinium modos et artes dedit eas semper dicendi, quae Christi regis pro solio sunt: Iustitiam et Pacem.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

“Lenticula” an “Obiectum?”
“Rotula dentata” an “Pinnula?”

In *Palaestram* tractus, ibique a duobus gladiatoriis impetuīs,¹ in quem primum me convertam? Profecto ad te, GONZÁLES CLARISSIME, qui sine obliquis orationibus, sine incongruo clamore mecum agis. Quod si in contradicentes omnes ingenue liberaliterque me gerere semper studui, eo

¹ Quae in litteras cl. v. Emmanuelis Jové de tank bellica machina latine exprimenda animadverti in ALMAE ROMAE fasciculo mens. Novembris MCMXXXII (pag. 172 et seqq.), ea in menstruam *Palaestram latianam* Februario mense Cervariae editam cum salsis Iovaei ipsius notis relata sunt, et epistola cl. v. Ildephonsi Gonzáles.

magis tu comitatem hanc mereris, qui licet locum praestantiorum adversus meteneas, hac tamen quaestuosa condizione tua minime abuteris.

In primis vero considerandum tibi praebeo, me — quidquid Iovaeus aliter sensit — revera currenti calamo scripsisse.

Res ita se habuit.

Iovaei litteras non quidem per *Palaestram* vestram superioris mensis Ianuarii accepi, sed per publicum cursum, dactylographice exaratas, ac Cervaria datas vii Kal. Novembr. MCMXXXII; quibus perfectis, antequam eas ALMAE ROMAE — (ex qua eodem mense Novembri vulgatae sunt) — prelo committerem, et earum ipso in folio, statim animadversiones illas meas addidi, ferramentis usus, quae prae manibus essent. Quum autem, sub finem, meminisset socii cuiusdam nostri communis, qui tum quum de ista *Palaestra* vestra loquutus sum, valde est miratus quod temperato sermoni meo Iovaeus « iratus » respondisset; quasi opportunitatem nactus, morem gerere socio illi volui, meque cum Iovaeo aliquantulum oblectare. Fata sic tulere, ut sales mei insontem te offendenter, — quandoque bonus dormitat Homerus! — et ita fuerint repercussi, ut in anachronismi foveam me proicerent.

Concedo igitur — ecquid non? — *lentem* et *lenticulam* non potuisse apud Romanos vitrum ad astra, eoque minus ad bacteria speculanda, sonare; at contendeo, imo pro certoteneo, ipsos, qui lentis nomine figuram significabant, quae in re quapiam lenti esset,¹ si Galileiana instrumenta et quae inde sequuta sunt, usque ad microscopium et ultra, habuisse, futurum fuisse ut ad eorum crystalla *lentium* et *lenticularum* nomina applicuissent, potius quam novum vocabulum crearent; eo magis *objectivum* illud tuum, quo tum ex radice (cfr. *obiex*, *obiicio*, et sim.), tum ex ipsa desinentia,

(per *ivum* enim aliquod ad aliquam rem pertinens — cfr. *activum*, *furtivum*, *festivum*, etc. — indicabant), profecto longe alter sensissent. Adde et hoc, quod non minoris ponderis est; per hodiernam italicam vocem *obietivo* et similia in aliarum gentium sermonibus, ad quas te referebas, non quidem opticorum instrumentorum lentem minimam, sed integrum crystallorum ad speculandum complexum, quippe plura plerumque sunt, designari.

De *pinnis* et *pinnulis* item; quae vocabula rei cuivis non orbiculatam formam exhibenti tribuere, immo vero, et semper, acutam.⁴ Quod si hispanica vox *piñón*, quam mihi obiicis, gallicae *pignon* et italicae nostrae *pignone* respondet, per has et Galli et Itali nos omnia utique et solum significamus, quorum vis latinae voci *pinnae* (*pinnulae*) ut supra, subiiciatur; nec unquam itaque prodentata microscopii rotula *rechamum* movente adhiberemus.

Priusquam dicendi finem facio sinas a te, humanissime, quaeram utrum et tua sint *Colloquia inter scholares*, quae vidi ultimum etiam hunc *Palaestrae* fasciculum ornare. Mihi equidem gaudeo, quia late reproductas illic comperi phrases et formulæ a me in opusculo, cui titulus *Communia vitae*, collectas et publice propositas ad latina colloquia instituenda; tibique ago gratias, si rei auctor fuisti; si contra, commentarii collegae alii debita sint, reddas tu illi meo nomine gratias, precor, easdem; quamquam non te celo, desideravisse me prius opusculi mei rectionem illam, quam post librum istuc dono missum exspectabam, nec unquam, nisi me effugit, in *Palaestra* inveni.

Fausta omnia ac felicia tibi denique ex animo adprecor, et a te porrectae dextrae mea dextra respondens, do fidem, amici-

¹ Hinc etiam pinnalis = acutus (Cfr. FORCELLINI, vocab. *pinna*).

tiam tuam non modo a me non recusari; imo etiam magnopere appeti.

Salutem plurimam Iovaeo dicas, eumque certiore facias me, ne nimium hodie spatium occupem, proximo mense cum eo... digladiaturum!

Salve et vale.

I. F.

Ad rerum integritatem, litteras referimus clarissimi González:

ILDEPHONSUS GONZÁLES C. M. F.
JOSEPHO FORNARIO cl. v., S.

Me officium adgit verique amor ac studium, nonnulla ut rescribam tibi de eo paragrapho, qui novissimus adjuncta in annotatione tua venit. Rei causam tu, pro tua sapientia, perpendes.

Duo, pace tua, ille paragraphus peccat: primum quod hominem insolentem lassat; deinde quod seram, eamque non ita solidam, reclamationem proferat. Et enim in nostrum Em. Iové tu avito quodam respectu invehiris, cum egomet ipse fuerim, qui te, duabus fere abhinc annis, in Palaestra, moderatiore certe quam potui animo, impugnavi. Perge igitur, porro eum tibi addictissimum habere atque semper vocare « o rerum dulcissime »; iis enim in rebus seu nominibus, de quibus lis erit, sententiarum discrepantia, cordium adferre disjunctionem nullatenus debet. Haec tibi adscriptus officio exposui. Nunc autem de reliquo in me tuo paragrapho dicam.

Sic ipse scribis: « spero futurum ut inde mihi non succenseas, quemadmodum tibi contigit quum *pinnam* a telescopio tuo reieci ». Alicuius tu si impugnare sententiam succensere vocas, adsentior equidem tibi; sed id tibi erat probandum, quod de successione mea adfirmas. Te reieci *pinnam* dicis; at *pinnulam* reieci. De *telescopio* hic agis; me autem de *microscopio* dixisse, memento. Re quidem vera et *pinnulam* et alia reieci de

microscopio meo vocabula; verum nihil aliud quod sciam ea, qua decebat, lege de mea responsione, pulvere iam obruta, quam nunc obiter improbas, dixisti.

Prosequitur ille tuus paragraphus: « contentus lentem speculatoris (speculatorii?)¹ illius instrumenti minimam appellari *lenticulam*. Nulla adest ratio, cur appelles « l'objectif » lentem minimam, cum naturam instrumentorum sequatur. Sic in microscopio « l'objectif » est minus quam « l'oculaire », sed in telescopio contrarium evenit. Hinc *lenticula* non quadrat cum « l'objectif ».

Et addis: « Aculeato nimis dente me tu carpsiisti de noto frutice ludificans ». Ea meae responsionis erant verba: « Nec ideo dumtaxat est impugnanda vox *pinnula* (vocis piñón etymologica versio), quod in lingua Plinii et Columellae longe aliud sonet; ne alia exempla adducam, animo illud adverte, quod *pinnula*: pinna (merlo) = lenticula: lens (lenticchia) ». Quibus, rogo, in verbis ludificatio adest? Quibus acrimonia sermonis? Nihil hoc loco de usu *fruticis* verbi.

Sic vero finis adnotationem: « at, tuo impetu tractus — (αιχθεις ne?) — minime fortasse cogitasti, eiusmodi legumen ob ipsam lentis formam *lenticulam* vulgare nomen accepisse! » Nihil de impetu, de quo loqueris, nec probas. Quod ad *parvulam*, de qua dicens, *lentem*, idem ea est, aut multum fallor, ac « parvulum vitrum speculatorium ». Iam vero, si res sic habet, anachronismo non exiguo laborat adsertio tua. Non enim lens (legumen) neque *lenticula* (legumen) sumpsit nomen a lente (speculari) neque a *lenticula* (speculari) sed e converso. Romanis enim lens numquam, quod sciam, sonabat vitrum speculatorium.

Atque hic finem facio ac spero futurum, ut in posterum non alium verbis tribuas sensum, ab eo, qui ex illis immediate emergat. Tuæ tandem dexteræ meam libertissime porrigo dexteram, tuamque amicitiam retinere me non recusabis. Vale.

¹ Utique; *speculatorii* typis exscriendum erat.

¹ Cfr. FORCELLINI, vocab. *lenticula*.

**SAPIENTUM PERVESTIGATIONES
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE**

NOTITIAE.

DE RADIUS COSMICIS.

In ascensu quem prof. A. Picard, die decima mensis augusti anni MCMXXXII, complevit, ad decem et septem metrorum millia altitudinis perveniens, mensurae intensitatis radiationis cosmicae, quas instituit, duplum finem persequebantur: variationem intensitatis in relatione ad altitudinem, et variationem in relatione ad directionem.

Quoad primum, exitus confirmarunt quae iam e Regeneri observationibus deductum fuerat, nempe intensitatem radiationis augeri cum altitudine, sed pergradientem, decrescentem et ad minimum attingentem.

Quoad alterum, intensitas radiationis non videtur pendere a directione, sed aequa distributa esse per gyrum.

Ultimum tamen hoc effatum accipendum est, si in uno eodemque punto terrestris latitudinis experimenta ducantur.

Si enim, ut recentius A. H. Compton inquisivit, mensurae fiunt in locis varie dissitis, apparebit origo intensitatis ab ipsa latitudine, ita ut ibi intensior sit radiatio, ubi maior sit angularis distantia a polo magnetico.

DE CONVENTIBUS INTERNATIONALIBUS TELEGRAPHICAE ET RADIOTELEGRAPHICAE.

Iam a die tertia mens septembbris MCMXXXII convenerunt Matriti plus quam sexcenti legati ex omnibus Nationibus, ut de communicationibus telegraphicis et radiotelegraphicis agerent.

Redigenda sunt conventiones et regulae, sed nec desunt quaestiones a doctrina agi-

tatae, ut quae de propagatione undarum et de distributione intensitatis radiationum, quae a Van der Pole et aliis in inquisitionem ducta sunt, antequam de distributione frequentiae inter stationes ageretur.

Nec silentio praeterit centesimi anni recordatio, a quo Samuel Morse ratio communicationis telegraphicae adhuc extans primus statuit.

Exeunte enim mense octobri, plenarius conventus habitus est ut felicissima Morse inventio celebraretur.

DE RADIODIFFUSIONE.

Ex notitiis editis ab «Unione Internazionale de Radiodifusione» apparebatur numerus apparatum ad undas recipiendas, ad trecenties quinquagies centena millia computandus.

Durante anno millesimo nongentesimo trigesimo potentia totalis stationum conferebatur ad tria millia et quingentos *chi-towatt*; nunc vero Europa una hunc numerum transcendent.

Pecunia in hisce rebus exercita ad plura millies centena millia francorum aureorum computatur, atque pretium apparatus receptionis ad aliquot decies millies centena millia aestimandum est. Numerus autem personarum rei inservientium ad quinquaginta fere millia ascendere videtur.

Quae autem per radioemissionem eduntur, non sunt tantum musici concentus, vel orationes et ludus in audientium recreationem, sed etiam de variis disciplinis notitiae, horae praecisatio, tempestatis conditio-nes, instructiones et cultus documenta, sive in negotiis agendis, sive in agris colendis, et in industriis exercendis.

In Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis adest et peculiaris coetus, cui titulus: *The National Committee on education by Radio*, cuius cura est dictiones cultum et educationem respicientes fovere, et radiodiffusionum materiam censurae subiicere.

DE ATMOSPHERICIS.

Perturbationes quas apparatus receptionis experimur, et quae nunc simpliciter dici solent «atmosferica», iam abhinc aliquot annos sunt obiectum inquisitionis.

Generatim observationes non respiciunt nisi frequentiam perturbationum. Instrumenta quae ad hoc inducuntur sunt apparatus receptionis aptati ad frequentiam viginti vel triginta chilocyclorum. Singulae perturbationes automatice inscribuntur.

Maxima frequentia fit circa horam tertiam post meridiem; vespere ad minimum pertingit, et perdurante nocte iterum increscit, dum oriente sole ad minimum iterum deducitur.

Atmosferica quae sic periodice distribuuntur videntur e longinquo pervenire probabiliter a regione tropicali.

Procella perseverante in aliqua regione, atmosferica irregulariter, sed constanter, adsunt.

DE TELESCOPIO GIGANTI CONSTRUENDO.

Iam aliquot mensibus *Institutum Technologicum* Californiae in studium attulit propositum construendi telescopium, cuius speculo ducentorum unciarum diametrum, id est quinque fere metrorum, futurum sit.

Distantia focalis erit 3,3 in ratione ipsius diametri.

Numerus nebularum, quas usque nunc novimus, poterit sextuplex fieri per huiusmodi instrumenti vim.

CIRCA SOLUTIONEM EQUATIONIS KEPLERI.

Pasqualis Sconzo per successivas approximaciones functionum implicitarum iuxta methodum a Gourzat inductam, ad solutionem equationis Kepleri pervenit.

Haec solutio — de qua loquitur in *Atti della Pontificia Accademia delle Scienze* mensis Decembris MCMXXXII — permittit

etiam determinationem erroris in assignatione anomaliae excentricae in quolibet gressu ipsius iterationis.

DE TRANSFERENDA ET AMPLIFICANDA SPECULA VATICANA.

Brevi Specula Vaticana ex horto Vaticano transferetur ad Pontificias aedes oppidi vulgo *Castelgandolfo*, ad quadrigenitorum triginta metrorum altitudinem supra mare positas.

Ratio praecipua, quae Summum Pontificem ad rem tanti momenti movit, est nimia lucis diffusio in atmosphaera Urbis Romae, a lucernis electricis effecta, quae magis magisque Observatorium circumcingunt, ex qua photographia sideralis, observationes photometricae stellarum ac praecipue tenuium nebularum cosmicarum saepius visibilitatis limen vix praetergradientium, non levibus subiacent impedimentis.

Simil visum est Summo Pontifici speculatoriam turrim novis iisque recentissimis dotare instrumentis, quibus munita, inter eiusdem generis instituta dignum sibi queat locum vindicare.

Praecipua instrumenta haec erunt: refractor visualis cum lentibus apertione 60 cm. et distantiam focalem 600 cm, habentibus; cui accident duae machinae metricae positionum, et apparatus photometricus cuneo munitus.

Aderit et telescopium duplex, constans ex refractore astrographicō lentem obiectivam habente quadruplicem cum apertione 40 cm., coniuncto cum reflectore, cui speculum diam. 60 sit.

Hisce addentur instrumenta omnia auxiliaria, scilicet: duo prismata obiectiva, habentia apertione 61,50 cm. et angulos refringentes 4 et 8 graduum, quae utrique telescopio aptantur; machina astro-spectrographica, spectrophotometrica cum descri-

ptione automatica, machina ad comparanda laminas photographicas per illuminacionem alternatam, item ad comparanda spectrogrammata, apparatus ad positiones stellarum exacte metiendas; item ad determinandas magnitudines photographicas.

Speculae annexum erit laboratorium astro-physicum ad investigationes spectrales, quae iuvent ad explicanda phaenomena observata per reflectorem et astro-spectrographum.

Erunt etiam quae suppeditura sint ad photographice retrahendas, ope reflectoris, nebulosas obscuras P. Hagen.

Instrumentum princeps erit magnus apparatus spectrographicus cum prismatisbus et lentibustam vitreis quam quarzicis.

Insuper qui experimenta aget, uti poterit optimis instrumentis secundariis ad perficiendam analysis gasiorum incandescientium in conditionibus physico-chimicis maxime diversis.

DE NOVA SERIE INSECTORUM ORIENTALIUM.

Prof. Longinus Navas, Lyncaeus, in adiiali Consessu huius Academiae obtulit publicandam duodecimam seriem insectorum orientalium, in qua enumerantur insecta Asiae et Oceaniae quae pertinent ad neuroptera, mecoptera, ephemeroptera et tricoptera, et novae trigintaquatuor species et genus unum describuntur.

DE NOVA SPECIE CHRYSOCLOAE.

In eadem sessione Paulus Luigioni, Lyncaeus, obtulit novam speciem *Chrysocloae* ex regione aprutina, quae similitudinem refert cum *Gloriosa* Fabr., quae in Alpibus frequens invenitur, cuique nomen dedit *Chrysocloae Marsicanae*.

DE NOVO PARASITA IN CAMALEONTE.

Professor Franchini, Lyncaeus, Athenei tichenensis doctor, invenit in tribus camaleontibus — *Camaleon vulgaris* —

ex Tripolitania allatis, novum quoddam protozoon parvum, a quatuor ad septem micron longitudinis per unum, vel unum cum dimidio latitudinis.

Caracteres morphologici huius parasitae et experientiae inoculationis suadent illud pertinere ad *haemogregarinas*; et distinctionis causa nomen proponitur: *Haemogregarinae camaleontis nova species*.

Huiusmodi parasitae inveniuntur non tantum in extrema parte intestini, ut generatim apparere solet, sed in toto apparato enterico, usque ad partem piloricam.

ANNALES

Genevenses conventus

Genevae, postremis hisce diebus, conventus plures habiti sunt. Primum legati ex universo orbe de universa re pecunaria disputationes egerunt ut prospectum compararent de argumentis in plenario coetu ad rem indicto tractandis; quae prout sequitur statuta sunt: Rationes pecuniariae et crediti: pretia; capitum motiones; internationalia commercia; aestimationes et politica foedera; productionis et commerciorum compositio.

Plenarii eiusdem coetus quasi. proemium erunt colloquia, quae Washingtoni proximo mense Martio sicut inter novum Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae praesidem Roosevelt, et Europaearum nationum legatos, de bellicis debitis recognoscendis; eoque magis quod idem Rooseveltius monuerit in negotiacionibus iis nordicam Americam taxationum immutationem esse repetituram quae aeris alieni imminutionem aliquo modo compensatura sit.

Conventus alter a Societatis Nationum supremo Concilio habitus est; qui in finium controversiam animadvertisit inter Colum-

biam et Peruvianam civitatem exortam, itemque in dissensionem Anglorum inter et Persarum regnum, de petrolei quadam concessione. De discrimine autem inter Sinarum et Iaponiae civitatem decrevit Mandchouriae statum recognoscendum minime esse, ita ut Sinarum imperium et in illis regionibus permanere debeat. Id quidem Iaponiorum animum prorsus non explet, « iuvenum nationalistarum » prae-sertim, qui actionem minitantur ad patriam suam a Nationum societate retrahendam. Spes est ut eorum qui ad publicae rei gubernacula sedent prudentia, huiusmodi deliramenta facile sit victura.

Denique « generalis — quae vulgo dicitur — Commissio » coetus pro armorum imminutione constituti, labores suos resumpsit, Henderson praeside; qui, licet professus sit non paucas esse adhuc difficultates superandas, sibi tamen persuasum habere declaravit ad certum exitum tandem iri peruentum. Interim disceptatio de Gallicis in re propositis vehemens producitur: gravibus argumentis Angli, Belgae et Itali iis obstant.

* *

Novum in Gallia administratorum collegium.

Neque minor in Gallia interna discordia est de oeconomico discrimini remediis affrendis. Quae administratorum collegium rogabat, reiecta questuose sunt, ita ut collegium idem apud reipublicae Praesidem munus suum remiserit. Novum suffectum est, eique praepositus Deladier, qui in praecedenti bellicas res moderabatur, in quo etiam officio permansit: Boncour exterritorum magisterium tenuit.

* *

Germanicae res.

Hitler est tandem suum finem asse-
quutus. Quum von Schleicher eiusque collegae a munere abdicassent, quia — ut

ajunt — impares fuissent conciliandis partium animis, nec reipublicae praeses Hindenburg iis nova comitia habendi facultatem tribuisse, Hitlerus Cancellarii munus obtinuit et novum administratorum collegium creandi. Quod brevi reapse composuit, cum Von Papen, cui acerrime prius adversabatur, pace conciliata, simulque cum aliis ipsius partis sue dissidentibus, quos omnes ad varia ministeria regenda deputavit. Ubi primum ad rerum gubernacula sedit, « Communistarum » factionem insectari coepit diurnorum et actionis libertatem severe coercens; legatorum coetum legibus ferendis, Borrussicumque publicum coetum et concilium dimisit. Hinc cruenti conflictus, qui passim perdurant adhuc.

* *

Americana constitutio immutata.

In Civitatibus foederatis Americae septentrionalis rei publicae disciplina ita immutata est, ut minueretur trium mensium spatium inter novi praesidis electionem et supremi magistratus occupationem. Itaque in posterum novus electus magistratum ipsum inibit non quidem die IV mens. Martii, sed die XX Ianuarii; Congresusque, qui illic vocatur, die IV mens. Februarii congregabitur.

POPULICOLA.

VARIA

De annulis¹

Veteres non ornatus, sed signandi causa annulum secum circumferebant; unde nec plus habere quam unum licebat, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret, quae signaculo continetur. Ideo ius annolorum famuli non habebant. Imprimeba-

¹ Ex MACROBIO, VII, 13.

tur autem sculptura materiae annuli, seu ex ferro seu ex auro foret, et gestabatur ut quisque vellet, quacumque manu, quolibet digito. Postea usus luxuriantis aetas signaturam pretiosam gemmis coepit insculpere, et certatim haec omnis imitatio lacessivit, ut de augmentatione pretii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum est, ut usus annularum exemptus dexteræ, quae multum negotiorum gerit, in laevam relegaretur, quae otiosior est, ne crebro motu et officio manus dextræ pretiosi lapides frangerentur. Electus autem in ipsa laeva manu digitus minimo proximus quasi aptior ceteris, cui commendaretur annuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit, nec in sinistra cessat nec minus quam tota manus in officio est; unde et apud Graecos *avtixieip* vocatur, quasi manus altera. Pollici vero vicinus nudus et sine tuitione alterius adpositi videbatur, nam pollex ita inferior est, ut vix radicem eius excedat. Medium et minimum vitaverunt ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum, et electus est qui ab utroque clauditur et minus officii gerit, et ideo servando anulo magis adcommodatus est.

Cerva et Vitis.

Quum fugeret cerva insequentes venatores, oculuit se sub vite. Venatoribus autem paullulum praetergressis, quod putaret se cerva iam esse in tuto, secura animi, carpere pampinos et mandere coepit. Quorum motus ac strepitus venatores convertit; qui, ut res erat, arbitrati sub vite bestiam aliquam latere, accurrunt, et visam cervam iaculis configunt. Quae moriens: « Merito — inquit — hoc mihi evenit, quae violare non dubitaverim servatricem meam ».

Docet fabula, ultionem Numinis non effugere eos, qui pro beneficiis malefacta repandant.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pasta regia iuscuso madida.
Soleae eliae italicō more conditae.
Iecur anserinum concreto iure obtectum.

Tomacula bovina ad craticulam acta,
cum acetariis.

Savillula, variorum fructuum liquamine repleta.

Locosa.

Tuccius, quum mater ovum in frizio ei comparat:

— Ah! si aliquot menses exspectasset, non parvum hoc ovum, sed pullam mihi suppeditasset!

Tuccii pater cerasarum sportellam domum contulerat; paulo post earum numerum valde imminutum invenit. De filio suspicatur, eiusque edacitatem reprehendere volens, clamitat:

— Heu illi, qui cerasa comedit! Earum enim nuclei atro veneno imbuti erant

Cui Tuccius nucleus exhibens: — Ne timeas, pater mi; nucleorum enim nullum absorbui!

Aenigmata.

I.

Est nova nostrarum cunctis captura ferarum,
Ut si quid capias, id tu tibi ferre recuses,
Et quod non capias, tecum tamen ipse re-

[portes.

II.

Alo, sustineo, gremio gestabo, terenti
Meque aspernanti quod tibi do repeatam.

Aenigma in superiore fasciculo propo-
satum his respondet: *Canis.*

LIBRORUM RECENSIO

GUilielmus Busch, *Max et Moritz facinora puerilia* Monachi, edid. Braun et Schneider, MDCCCCXXXII.

Facetus libellus narrat ioca vel dolos duorum puerorum, qui mulierculæ gallinas interimunt coctasque arripiunt; reciso ponte, in rivum impellunt sartorem, quem, balneo aegrotum, uxor, ferro politorio sanat; magistri pipam pulvere explosiva implent, qua explosa, ipse semivivus et deformatus exit; melolonthas iniciunt in lectum avunculi, qui eas tandem longo labore, interficit; per caminum ingressi, pistoris cristas populantur; in furnum intrusi et cocti, evadunt tandem et gulam explent; postremo saccum lacerant, ut farina exeat agricolæ, qui pueros in saccum initit, in molam fert, qua in farinam, anatum alimentum, mutantur; nemo eorum mortem deflent, sed iure punitos esse aiunt.

Auctor utitur brevibus versibus, vel potius cantilenis, Christianorum more rimatis aut adsonantibus, atque facili et ad parvulos accomodata arte lepide lascivit ac gestit; præterea facta prope centum iocosis figuris ornantur et illustrantur. Libellus, iuxta Italorum puerorum intellectum et animum, nimis puerilis videtur, atque narrata nimis improba atque ita saeva, ut mores non ornent sed viuent; at exemplum nimis demissis et inhumanis argumentis imitari iuvabit, atque nostris pueris puellisque proferre; nam libelli eiusmodi latinae linguae studium laetius reddere discipulosque, iucunditate, allicere possunt.

Luiot Casiello, *Ionae vatis somnium*. Carmen in Batavo certamine laude ornatum.

Poëta ab antiquo Testamento materiam sumit. Ninive, Nocui (diabuli?) opera, civilibus discordiis laborat. Deus (Christianorum an Iuppiter?) caelestes convocat, atque post orationem Iustitiae et silentium Clementiae, per nuntium prophetam Ionam, in otio degentem, iubet Ninivi subvenire. Hic aufugit,

sed a ceto voratus et postea apud Ninive (urbs longe a maris litore abest) reiectus est. Ibi somniat Elisabetham de sterilitate queri, deinde Mariam, a Deo missam, advenientem ut futuram matrem Christi, salutare et novum aevum celebrare. Interea Ninivis cives (ut in Ant. Test. scriptum accepimus) ab Iona monitos, peccatorum poenitet atque veniam a Deo petunt.

Nemo neget pondera rerum et fastigia poësis, sed nobis minus placet incomposita narratio, ita ut somnium Ione, non caput rei, sed male connexum episodium appareat; nec minus displicant anachronismi, quibus antiqua et nova, pagana et Christiana (ut poëta ipse, in inscriptione, Goethe auctore, confitetur), inconcinna mixtione contaminantur, ita ut conceptio ipsa Mariae, Gentilium more adumbretur:

*Quae tota aethereas hausit per pectora flamas
Totamque implevit fecundis flatibus alvum.*

Poëta exametro utitur tanta peritia et facilitate, ut mendis omnino carere videatur: Vergilium magistrum et ducem, et unum Vergilium imitatur; sed tanta in hoc morositas, tot sunt verba, locutiones, emistichi, qui a Vergili carminibus producuntur, ut *Aeneidem* quandam perlegere videatur, vel potius silvas (veniam petimus), quae Medio Aevo miro labore, componebantur.

*Urbs antiqua fuit quondam Niniveque vocata
Structa vigens solido cyclopea moenia saxo
Dives opum valde, studiisque asperrima belli.*
(Vers. 2-4).

Sed tanta est peritia, doctrina, ars poëtae, ut maximam optimarum rerum spem nobis præbeat, dummodo nexum magis compostum eligat atque artem suam severa disciplina moderetur, nec non Musam a servili Vergili imitatione vindicet. Nemo dubitet quin, quam primum, se ipsum superaturus sit.

Conversioni carminis quae italicis modis accedit, fidelitatis satis inest; concinnior Musa passim desideratur.

Anconae.

JUNIUS GARAVANI.

DE ROBERTI SCOTTI

[14]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

« Relinquitur ut etiam haec feramus. Saltem navis in tuto esse videtur. Et glacies adeo tenuis est, ut nihil pressu passuri damni simus. Nullae minantur ex propinquuo glaciei altitudines. In animo fuerat navigare occidentem versus, ubi faciliores esse solent viae navibus. Sed enimvero nulla unquam nolis tantis impacta est difficultatibus. Experiarne me ad orientem convertere? Haud scio an brevi nihil aliud sit reliquum.

« Et tamen hac condicionis nostrae iniquitate una est hodie omnium, qui in nave sunt, laetitia. Cenatio tribunorum versicoloribus vexillis ornata est. Ante meridiem res Divinas¹ perpetravimus clare sonantibus per hunc glaciatum campum sacris carminibus. Festi diei cena haec fuit: promulsidis loco sorbitio lycopersici² et elixa pectora pinguinorum.³ Deinde proposita est assa bubula, *plumpudding*,⁴ parvum artocreas, asparagus. Secutum est vinum Campanum, vinum Lusitanum, alcoholici liquores;⁵ ordo igitur ciborum prorsus festivus. Quinque horas tribuni

mensae assederant laeta subinde concinentes cantica. Inferioris subsellii viri circiter meridiem epulati sunt eodem fere ordine esculentorum, sed potio fuit cervisia et vinum frumenti, *whisky*. Neque his abesse visa est hilaritas.

« In hoc glaciato campo iuxta navem nostram tres sunt greges pinguinorum, omnino undequadranta, quos etiam in hac glacie victimum invenire necesse est. Hodie vesperi vidi larum quandam ex iis quibus « megalestris catarrhactes » nomen est, subsidentem in margine glaciati fragminis, ubi pinguini parabant quietem nocturnam. Subito incipiunt tumultuari neque est dubium, quin de inviso hospite interesse significant. Postremo conferta acie in hostem procedunt. Primus pinguinorum quem paucis passibus abasset, non ausus ad ipsum hostem accedere, pedem rettulit, et quamvis alii instarent, primus nemo eorum cum laro congredi voluit. Qui interim sedens in glacie dissimulabat pinguinorum conatus quidquam ad se pertinere. Sed quum illi se admovissent proprius, in alterum nitentium latus volitare instituit. Qui statim conversi in hostem eodem usi genere pugnandi non ante cessarunt, quam larus ex eo se loco subduxit. Vere lepidum erat videre timidos expellendi conatus pinguinorum, festivum spectaculum, quod singulis motibus certae videbantur subesse affectiones animi quas facillimum erat ex humanis affectionibus interpretari.

¹ Alio loco de eo cultus Divini genere dicet ubrius.

² *Solanum lycopersicum* Linnaeus significat, quod verbo Hispanico vel Peruano *tomate* est.

³ Indulgebis mihi hoc nominis, praesertim quum videris inrepsisse in hodiernas linguas. Docti eas aves « spheniscos » nominant totamque familiam « spheniscidas ». Vivunt in maribus antarcticis et in terris illis maribus vicinis. Pernicissimae sunt ad natandum mergendumque; quam in rem digitis pedum eorum natura membranas natatorias addididit, quae apud Gallos *palnure* est.

⁴ Eius cibi nomen Latinum nec novi nec invenio.

⁵ Etiam hoc fateor « liquores alcoholicos » tentamen esse vocis, non vocem reddentem Gallorum et Germanorum: *liqueurs*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. Iosephus FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANN. XX - FASC. III

MENSE MARTIO MCMXXXIII

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Martio MCMXXXIII

Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De modis verborum.

§ I. - *De indicativo.*

I. - Indicativo utimur ad affirmandum actionem existere tempore sive praesenti, sive praeterito, sive futuro;² v. g.:

Lego (= exsistit *nunc* actio mea legendi).

Legebam (= exsistebat actio illa *tali vel tali tempore clapsi*).

Legam (= exsistet actio legendi aliquando, *tempore futuro*).

II. - Solent nostrae linguae vernaculae cum nonnullis constructionibus coniuncti.

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Quum verbum in indicativo antecedit negandi particula, videtur illud primo intuitu negare existentiam actionis, sed affirmat re ipsa existentiam actionis negatae; v. g.: *Non curro* (= exsistit in me status hominis non currentis).

b) Quum interrogantes indicativo utimur, de actionis existentia interrogamus.

c) Affirmatio mitigatur cum adverbii «*paene*, *prope*» vel «*propemodum*»; v. g.: *Paene dixi* (Cic., *Ad Attic.*, V, 20, 6). — *Prope* oblitus sum quod maxime fuit scribendum.

d) Latine modus indicativus nostri coniunctivi locum tenet in hisce formulis: *Testis est* (= sit) Graecia. — *Declarat* (= declarat) Epaminondae virtus. — *Cuius rei exemplum est* (= sit) mors Epaminondae.

ctivum usurpare, quia rem ut possibilem vel optabilem spectant. Quae constructiones latine gaudent indicativo, quia res spectatur ut exsistens. Scilicet:

19) Quum verba *debo*, *possum*, *convenit*, *oportet*, *necesse est*, *utile est*, aliaque cognatae significationis, item conjugationes periphrasticae ex adiectivo verbali in *dus*, *da*, *dum*, cum verbo *sum*, usurpantur ad exprimendum actionem quamquam fuisse necessarium, optabilem... etc., nec tamen fuisse positam, tempora praeterita horum verborum ponuntur in indicativo;¹ v. g.:

¹ a) Sic dicimus, v. g.: *Hoc facere debemas* (= debuisses) — *Haec via tibi fuit* (= fuissest) *ingredienda*. — *Mecum fuit* (= fuissest) *officium legatione vitare periculum*.

N.B. — 1) Semper usurpatur praesens indicativi, quum similius verborum notio exhibetur ut exsistens tempore praesenti; v. g.: *Debes* (= deberes) esse diligenter. — *Oportet* (= oporteret) te venire. — *Infinatum est* (= esset) omnia percurrere. — *Possum* (= possem) persequi oblectamenta rerum rusticarum (Cic., *De Sen.*, 16, 59). — Sunt alii multi diserti, quos persequi *longum est* (= esset) (QUINT.).

2) Verbum *debo* cum infinitivo raro usurpatur; v. g.: *Virtutem colere debo* (minus recte); mihi collenda est virtus (multo elegantius).

b) Saepè ab historicis ponitur tempus praeteritum indicativi pro plusquamperfecto coniunctivi, quum, ante vel post propositionem conditionalem, ex coniunctione «*si*, *nisi*, *etiamsi*» et plusquamperfecto coniunctivi constantem, exprimitur conditionis se-

Aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate populi romani (Tit., Liv., V, 4).

Debuisti, Vatini, etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sestio, tamen mihi ignoscere (Cic.).

Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat (Cic.).

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem (Verg.).

Quid potuit Cleomenes facere, istius avaritia navibus exinanitis? (Cic., De Suppl., 41, 107).

Tiberius Gracchus vitam, quam gloriissime degere potuerat, immatura morte finivit (Vell., 2, 3).

Hoc (= studium eloquentiae) multo vehementius erat retinendum et studiosius adaugendum (Cic., De Invent., 3, 4).

Hoc, etiamsi senex non essem, fuerat sentiendum (Zen.).

quela; v. g.: *Iam fames, quam pestilentia tristior erat, ni annonae foret (= fuisset) subventum (T. Liv., IV, 52).* — *Pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles (Tit. Liv., II, 10).* — *Caesar paene Ethiopia tenus Aegyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset (Suet., Caes., 52).* — *Peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium opprimere Brundisii Caesar potuisset (FLOR., IV, 1).* — *Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem consulem incidisset (FLOR., IV, 1).* — *Romani effigies Pisonis traxerant in Germanias ac divellebant, ni iussu principis protectae forent (TAC., Ann., III, 14).* — *Temere fecerat Nerva, si adoptasset alium ac Traianum (PLIN., Pan., 8).*

NB. — 1) In qua constructione interdum quidem actio concipitur ut exsistens, quum sequela conditionis iam exsistens considerari potest, quod in prioribus exemplis efficiunt adverbia **iam, paene**. At plerumque eam solum animandae dictionis causa historici ex conditionali quasi existentem sistunt, ut in ceteris exemplis.

2) Cicero hanc constructionem raro usurpat, idque vix alter quam cum verbis *«debo... etc.»*, de quibus in praeccepta; v. g.: *Debuisti, Vatini, etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sestio, tamen mihi ignoscere (Cic., In Vat., 1).* — *Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio (Cic.,*

Melius fuerat promissum patris non esse servatum (Cic.).

2^o) Post pronomina et adverbia indefinita *quisquis, quicumque, utut, utcumque*, et cetera ex repetitione pronominis vel adverbii, aut ex adiectione encliticae *cumque* orta, per se spectatur actio ut exsistens,¹ ideoque ponitur indicativus,² v. g.:

Quoquo modo sese illud habet, haec querela vestra, Tubero, quid valet? (Cic., Pro Lig., 7).

Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes (Verg., Aen., II, 49).

Quocumque aspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae (Cic., Parad., 2).

Totum hoc, quantumcumque est, totum est, inquam, tuum (Cic., Pro Marc., 2).

Patria est, ubicumque bene est (Cic.).

§ II. — De imperativo.

I. — Ex duabus imperativi formis³ *lege, legito.*

1^o) prior exprimit:

Pro Mil., 11). — Nisi servos manumisisset Milo, etiam tormentis dedendi fuerunt (Cic., Pro Mil., 22).

3) Pariter post propositionem conditionalem in imperfecto coniunctivi positam, sequela interdum effertur imperfecto indicativi, loco coniunctivi, etiam a Cicerone; v. g.: *Contumelias onerasti, eum quem patris loco, si ulla in te pietas, esset, colere debebas,* — *Si Romae Cn. Pompeius privatus esset, hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat diligendus atque mittendus (Pro Leg. Man., 17).* — *De illa immortalitate reipublicae sollicitor, quae poterat esse perpetua, si patriis vivetur legibus (De Rep., 3).* — *Omnia matura sunt: victoria, praeda, laus. Quae si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicae subvenire decebat (SALL.), — Si uno genere bene dicceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam (QUINT.).*

¹ Quamvis dubium videatur in pronomine aut adverbio indefinito subauditum.

² Idem observatur post repetitum *«sive»*; v. g.: *Illo loco libentissime uti solo, sive quid mecum ipse cogito, sive quid aut scribo aut lego (Cic., De Leg., II, 1).* — *Mala consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate (Cic.).*

³ Personas quae imperativo desunt supplet praec-

a) imperium⁴ sive mandatum quod est statim exsequendum; v. g.:

Genus ipsum cognoscile (Cic., Verr., II, 4, 11).

Perge, Pomponi. (Cic., Brut., 74, 258).

b) praeceps, hortationem, consilium, preces, votum... etc.; v. g.:

Vive memor lethi (Pers., Sat., 5). (Praeceptum).

Nosce animum tuum (Cic., Tusc., I, 22). (Consilium).

Parce, quaeso, viribus tuis. (Hortatio).

Vivite felices. (Votum).

2^o) posterior usurpatur

a) in certis locutionibus; v. g.:

Maxima exspectatione nos venisse scito (Cic.). — Habeto.

sens coniunctivi; v. g.: *Anemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis, praesentes fructus negligamus, posteritatis gloriae serviamus (Cic., Pro Sest., 68, 143).* — *Hoc quod coepi primum enarrerem (TER., Heaut., 273).* — *Meminerimus etiam adversus infimos iustitiam esse servandam (Cic., De Off., I, 13).*

NB. — 1) Tertia persona imperativi non usurpatur nisi in legibus; v. g.: *Nocturna sacrificia ne sunto.* — *Non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto (Hor., Ars poet.).* — *Noxae poena par esto (Cic., De Leg.).* — *Regio imperio duo sunto, iisque consules appellantor (Cic., De Leg., 3, 3).*

Alias usurpat tertia persona coniunctivi; v. g.: Paterfamilias disciplina bona utatur, primus cubitu surget, postremus cubitum eat (CAT., De re rustic., 5). — *Valeant, inquit, cives mei, valeant, sint incolumes, sint florentes, sint beati, stet haec urbs praelatura mihique patria carissima (Cic., Pro Mil., 34).*

2) Ad iubendum, prima et tertia persona coniunctivi praesentis usurpantur; v. g.: *Anemus patrem — Suum quisque noscat ingenium (Cic., De Off., I, 31, 114).* — *Surgamus, inquit (Cic., De Or., III, 71, 230).*

Ad prohibendum, prima et tertia persona praesentis aut perfecti: v. g.: Ne difficilia optemus (Cic., in Verr., III, 4, 7, 15). — *Si qui voluntatibus ducuntur, ne attingant rem publicam (Cic., Pro Sest., 66, 138).* — *Impii ne placare audeant deos (Cic.).* — *Moratus sit nemo quominus, ubi visum fuerit, abeant (Tit. Liv., IX, 11, 13).*

¹ Imperativus quandoque sensum permissionis habet; v. g.: *Liberi atque incolumes desiderate, dum patria est (Tit. Liv., XXII, 50, 15).*

b) in legibus; v. g.:

Hominem mortuum in urbe ne sepe-lito, neve urito (Cic., De Leg., II, 23).

c) in propositionibus primariis a quibus secundaria pendet quae ad futurum respicit; v. g.:

Si de me ipso plura dicere videbor, ignoscitote (Cic., Pro Sest., 13, 31).

d) in mandatis ad quae exsequenda aliquid temporis conceditur; v. g.:

Ad me litteras, ut quam primum laetitia afficiar, mittito (Cic., Ad Fam., III, 9, 2).

Vos eam rem suo, non nominis, pondere penditote (Cic., Verr., II, 4, 1, 1).

Bacillum propter me, quo abigam (volucres et feras), ponitote (Cic., Tusc., I, 43, 104).

e) ubi maiore gravitate ac vi verborum aliquid imperatur vel petitur; v. g.:

Excluditote eorum cupiditatem, iudices, sapientiam vestram (Cic., Pro Cael., 9).

II. — Pro imperativo secundae personae singularis, potest usurpari:

1^o) coniunctivus cum fac, cura, velim, nolim, cave;¹ v. g.:

Fortem fac animum habeas (Cic., Ad Fam., 10, 6).

Cura ut valeas (Cic.).

Velim venias.

Cave festines (Cic., Ad Fam., XVI, 12, 6).

2^o) infinitus cum noli, fuge, parce, mitte; v. g.:

Noli igitur in conservandis bonis viris desatigari (Cic., Pro Marc., 6).

¹ a) Etiam futuro indicativi exprimi potest imperium. Quod si fiat, negatio erit *«non, neque»*; v. g.: *Hoc facies, illud non tanges.* — *Valebis, meaque negotia videbis, meque diis adiuvantibus ante brumam exspectabis (Cic., Ad Fam., VII, 20).*

b) Latini addunt haec verba cum coniunctivo aut infinitivo, praesertim quum imperium aut prohibitio aliquid paulo durius continent. Sic scribunt benevolentiae, urbanitatis et comitatis causa.

Noli, Cato, maiorum instituta reprehendere (Cic., *Pro Mur.*, 36, 75).

III. — Ad prohibendum usurpatur, pro imperativo, coniunctivus,¹ praesita particula *ne*,² quam sequitur, si opus, *neve* aut *neu*;³ v. g.:

Tu vero istam ne *reliqueris* (Cic., *Tusc.*, I, 47, 112).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

(*Ad proximum numerum*).

¹ a) In legibus usurpatur imperativus ad prohibendum, cum « *ne* ». (Cf. supra, I).

NB. — Apud poetas non semper legitur coniunctivus pro imperativo in prohibendo; v. g.: Tu *ne cede malis*; sed contra audentior ito (VERG. *Aen.*, VI, 95).

b) Quod tempus usurpandum sit, a personis pendet: 1) In prima et tertia persona, praesens aut perfectum (Cf. supra, I). — 2) In secunda persona, perfectum; v. g.: Tu vero istam ne *reliqueris* (Cic., *Tusc.*, I, 47, 112). — Ne mortem *timueritis* (Cic., *Tusc.*, I, 41, 98).

NB. — Secunda persona praesente etiam effertur 1) quum secunda persona pro indefinita usurpatur; v. g.: Quum absit, ne requiras (Cic., *De Senect.*, 10, 33). — 2) in stilo familiari; v. g.: Ne exspectetis (TER., *Andr.*, 980) — Ne repugnetis (Cic., *Pro Clu.*, 2, 6). — Scribere ne pigrere (Cic., *Ad Att.*, XIV).

c) Raro, quum iubemus, pro imperativo utimur secunda persona coniunctivi, nisi tamen secunda locum teneat indefinita; v. g.: Isto bono *utare*, dum adsit (Cic., *De Senect.*, 10, 33). — Sic cum inferiore *vivas quemadmodum tecum superiore velles vivere* (SEN., *Ep.*, 47, 9). — Ita *aedifices*, ne villa fundum quaeratur, ne fundus villam (CAT., *De Re rustic.*, 3, 1). — Sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, refugienda *retinquis* (Cic., *Tusc.* V, 11, 118).

NB. — In stilo familiari usurpant quandoque coniunctivum hortativum pro imperativo; v. g.: Cautus sis, mi Tiro (Cic., *Ad Fam.* XVI, 9, 9, 4). — Te si exspectari velis, cures ut sciam (Cic., *Ad Att.*, I, 17, 11).

² Pro ne legi potest, at raro, *nihil vel nec*; v. g.: *Nihil ignoveris, nihil concesseris, misericordia commotus ne sis* (Cic., *Pro Murena*, 31, 65).

³ * *Neque* pro « *neve* » tunc solum ponit potest, quum prior propositio imperium seu mandatum affirmativum seu positivum exprimit; v. g.: *Capessit rem publicam neque* (= neve) quemquam ex calamitate aliorum metus *ceperit* (SALL., *Iug.*, 85, 47).

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De Crucis figura

in veterum Christianorum sepulcris.

Redemptionis nostrae signum perraro in antiquoribus *catacumbarum* epitaphiis reperitur; cuius rei causa non satis constat inter christianarum antiquitatum cultores. Eius usus augeri videtur post saeculum quartum; illud vero ante tempus, vix viginti crucis figuræ, teste Wilperto, in Romanis catacumbis invenies, quarum vetustissima primæ saeculi secundi parti tribuenda videtur, in coemeterio Callisti, apud cryptam Lucinae. Hic crucem prope palma addita est, cui subponitur inscriptio *BIKTWPIA*: non immerito clarissimus Wilpert monumentum hoc veluti prænuntium illius Constantinianæ aetatis monumenti, quod distinguitur verbis: Ἐν τούτῳ νίκα; id est: « In hoc signo victor eris », reputat esse habendum.

Quod crux ante Christum, apud quosdam ethnicos, religiosum fuerit signum, dubium non videtur; nam in Cretensibus monumentis, superiore exeunte saeculo repertis, una cum animalium sacrorum figuris, etiam cruces, multo ante Christum natum delineatae, conspiciuntur. Immo crux, in imaginibus, locum aliquando occupat stellæ inter cornua tauri sacri plerumque repræsentatae; quae quidem stella solis, proindeque divinitatis signum est. In hoc tamen casu, crux stella simplicioris formæ apparet, aut aliquando cum ascia bipenni confundi potest.

At duo sunt crucis genera a primaeviis Christianis adhibita, et ea, veluti religiosi signa, multo ante Christum, apud Aegyptios et apud Orientales præsertim gentes usurpata. Primum dicitur signum ANK et magis proprie Aegyptium est; alterum vocatur SVASTICA vel *crux gammata*, cuius

radii, quasi sint ignei ac circa centrum moveantur, flexi sunt.¹

Signum ANK Romæ ac generatim in Occidentalibus regionibus inauditum prorsus est; cernitur autem in Aegyptiis christianis inscriptionibus apud Occidentales populos; SVASTIKA, ex adverso, haud raro tertio et sequentibus saeculis, sed iam inde a saec. vergente secundo, in catacumbis apparet.

Verum, si perrara in primaeviis Christianorum sepulcris crucis figura est, — quod profecto, nisi causam aliquam huius defectus facile suspicaremus, mirum esset, quum in cruce omnis Christianorum positæ sit spes, — non desunt tamen alia symbolica signa eam perspicue commemorantia, anchora videlicet, litera *tau* atque *tridens*.

Anchora antiquissimum signum est, iamque saeculo primo in catacumbis reperitur. Eius significatio obvia prorsus est omnibus, cuius sacra Scriptura testis est. Et primum quidem Christus spes nostra est, quia redemptor; redemptio autem per passionem fit, quam resurrectio consequitur; et haec quidem spes fidelibus est tamquam anchora animæ tuta firmaque.²

¹ Quidquid de cruce ante Christum apud ethnicos sacra aut contra dictum est, illud indubium fixumque videtur, scilicet crucem ex astri figura plerumque originem duxisse suam, et apud Orientis populos non secus atque stellam tamquam divinitatis signum esse habitam. Praeterea *crux gammata* et in Europæ regionibus invenitur tempore quod præhistoricum vocant, ut Cyperi, in Archipelago, in Italia superiori, apud Danubium flumen et alibi; e contra, incognita prorsus in Aegypto, in Phoenicia et in Assyria fuit (cf. REINACH, *Chroniques d' Orient*, II série, p. 529 sq.; BERTRAND, *Nos origines. La religion des Gaulois*, p. 140 sq.). — Notamus denique Creta in insula crux gammata plurium officinarum sigillum proprium fuisse.

² « Fortissimum solarium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus animac tutam ac firmam et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus » (PAUL., *ad Hebr.*, VI, 18-19).

Quod si Patres interrogaverimus, nihil apud eos hac cogitatione communius inveniemus. Sic Ignatius Antiochenus, exempli gratia, plus semel tum ortum, tum passionem, tum denique resurrectionem Christi spem Christianorum esse dicit;¹ Iustinus vero hanc spem ipsum crucifixum vocat;² denique, ne prolixiores simus, haec quam optima habet S. Ambrosius: « Sicut anchora iacta e navi non permittit eam circumferri, licet venti commoveant eam, sed iacta firmam facit navem, sic fides spe roborata introducit nos in rerum speciem, quam modo in fide et spe tenuimus ».³

Iam epitaphia non desunt in quibus cum anchora navis delineata est et etiam columba; quae quidem et sola interdum apparet, cum verbis vero EN EIPHNH, TE IN PACE, et sim. Saepe ipsa anchorae figura desinit in literam E; item semel una cum palma et anchora formula legitur: SPES PAX TIBI.

Aliquando piscis anchoram comitatur, idque præsertim in epitaphiis saeculi ineuntis tertii, quae sine dubio formulam præbent eiusdem temporis propriam: SPES IN DEO; SPES IN CHRISTO. In quadam Romano epitaphio, super anchorae figura inter duos pisces, legitur: IXΘYC-ZΩNTΩN, nempe: piscis (spes) viventium.

Hic quaerat fortasse quispiam cur duo pisces, non unus efficti sint. Garruccius aliique ante eum putarunt duplum pisces duplum Iesu Christi naturam significare; sed haec paulo subtilior videtur interpretatione; e contra, notatum est congruam symmetriæ, quam vocant, rationem adesse, quoties piscis figura et anchorae latera

¹ Ep. ad Magnesios, XI.

² Dial. cum Tryph., XCVI.

³ S. AMBR., In epist. ad Hebr., VI. — Cfr. etiam S. IOAN. CHRYSOST., Homil. XX ad pop. in ps. X; S. PAULIN. NOLAN., Natale 2 b. Felicis mart.; RUFINUS AQUIL., in ps. XV.

repetatur; sc. piscis duplicatur sicut aliquando duplicabantur dolium, palma, orans, monogramma, crux, bonus pastor, etc.

Praeterea anchora in Christianis monumentis etiam ipsius crucis signum est. Hoc nonnulli eruditi quidem viri, sed quibus parum familiaria sunt monumenta, infinitati sunt; perperam tamen; nam ipsis figuris clarissimus Wilpert illud demonstravit; alioquin vel ex eo patet, quod anchorae regula, quae in annulo esse deberet, haud raro in medio ponitur, aut ipsa anchora ita est erecta, ut crucis speciem referat, quin etiam interdum anchorae lineae ita paullatim mutantur, ut crucis denique, potius quam anchorae, reddant formam.

Item, in *tau* literam aliquando anchora vertitur: atque litera *tau*, ut nemo dubitat, crucis sive patibuli signum est, notaque sunt Tertulliani verba, qui Ezechielis textum: «Pertransi in medio portae medianam Ierusalem et da signum tau in frontibus virorum» commentans subiungit: «Ipsa est enim litera Graecorum tau, nostra T species crucis».

Notandum denique est, anchorae symbolum fere evanuisse, quum Christi monogramma describi coeptum fuerit.

Tridens quoque pro crucis symbolo habendus est: sed quam rarissime reperitur.

S. S.

EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCII

«*Tank*» Testudo, Essendum.

JOSEPHUS FORNARI viro clarissimo EMMANUELI JOVÉ s. p. d.

Venio hodie igitur ad te, Jovae clarrisime; quocum vero ut me expediam? Tu non litteras, sed *notas marginales* epistulae meae rettulisti; repetam ne, ad

earum intelligentiam, ex integro scripturam meam?... Malo, lectores ipsi fasciculum mens. Novembri MCMXXXII, in quo edita est, oculis suis supponant; ego *notas marginales* tuas sancte referens, verba tantum aut phrases preeponam, quae iis occasionem praebuere.

Atque primum de proemio. Tu ita: a) *Iosephus Fornarius, lustra quattuor Almae Romae clarus Moderator, in eo commentario post nostras litteras ad Avenarium datas, quas in superiore Palestrae Latinae numero quisquam relegerit, has suas addidit. Quas libentissime in commentarium nostrum excepimus ut de re, quam agunt, lectores suum ipsorum iudicium ferre valeant.*

Ne quisquam in confusionem facile inducatur, iuvat factorum ordinem in tuto ponere. — Commercium epistolare inter te et Avenarium iam diu in hac *Alma Roma* constitutum est, praesertim ad perquirenda vocabula in latinum sermonem invehenda, quae hodiernas novas res exprimant. Avenarius, in litteris vi Kal. Mart. MCMXXXII datis et in fasciculo eiusdem mensis Martii a nobis editis, a te quaerit quo nomine vehiculum *tank* appellari possit. Ego per *marginalem notulam* in eius memoriam redigo me de argumento abunde scripsisse in *Almae Romae* fasciculo mens. Decembr. MCMXVIII; tu, subsequentibus litteris, in hunc commentarium mense Maio relatis, scribebas: «Quod Fornarius exposuit in *Alma Roma de Tank*, id ego accipio, quamvis mihi quidquam in mentem venit, quod alio die fortassis tibi aperiam. Cogita tu interim de *essedo*». Nescio an Avenarius cogitaverit; certe tu de *essedo* quae sentires aperuisti per litteras Cervaria ad me missas vii Kal. Novembr. MCMXXXII, in epistolari commercio pro Avenario edendas, quemadmodum tibi statim morem gessi, ¹ animadversio-

¹ Cfr. fasc. mens. Novembr. MCMXXXII, pag. 171.

nes meas addens, quia «in certamen vocatus»; quas quidem tuas litteras in *Palestram Latinam* mens. Ianuarii MCMXXXIII tu reportasti, uno tantum verbo innovato: *tanke* pro *tank*, nulla prorsus mentione facta «caudae» meae illius; quam subsequenti Februario mense cum hisce *marginalibus notis* tuis tandem vulgasti.

Haec mihi repetenda erant, ne quis ex tuis verbis autumare posset, me per mensem et ultra nisum mente fuisse ad illam adscriptionem comparandam, quam uno missu in chartam conieceram, vix litteris tuis acceptis ac perfectis, et una cum illis ex *Alma Roma* vulgaveram.

Sed paulo maiora canamus.

Adnotavi ego me *helepolim*, non *helepolim* dixisse; tu autem: b) *Mendum hoc exciderat cum in Alma Roma litterae nostrae sunt editae; non excidit tamen cum eas in nostra Palestra Latina transcripsimus. Nos utique solemus non nostras solum sed et amicorum maculas prius retractare quam prelo subeant, quas «aut incuria fudit aut fanaticus error aut humana parum cavit natura».*

Utique *helepolim* non *Alma Roma* tuas litteras edens mendose scripsit, sed tu in tuis litteris sic vocem effinxisti, quemadmodum recognoscere poteris quum volueris; servavi etenim. Utrum id tua incuria fuderit, aut fanaticus error, an humana parum caverit natura, an denique — ut item nunc cum *tanke* pro *tank* — me corrigere tibi sumpseris, quoniam consilio iudicare valuisse?

Procedamus. — Ego: «Sed *tanke* dicere malui *testudinem* (potius quam *castellum* aut *helepolim*)» — Tu: c) *Gaudeo, hercle! nec castellum nec helepolim tibimet ipsi satis placuisse. Nec nobis igitur in illis immorandum.*

Hic, Jovae mi, aërem verberas: non enim recens nunc, post tuas litteras, illud «malui»; sed annis paene quindecim ante quam de re tu ne cogitares quidem!

Ego: «Non commune igitur nomen suggesti, sed singulare et proprium».


— Tu «marginas»: d) *Neque adeo singulare et proprium nomen credas necesse est cum tu ipse «addito ad naturam rei peculiariter significandam adiectivo ballistariorum» testudinem suades appellare.*

At ego adiectivum illud ad Romanorum imitationem addidi: itaque si singulare et propria Romanis fuere *testudo arictaria, aggrestitia, fossoria*, etc., singulare item et proprium erit *testudo ballistariorum* ad *tank* significandam. Adde, quod per particulam «vel» (a te omissam) sati aperte indicavi me adiectivum illud minime necessarium reputasse, quemadmodum et hodie repto, ad hodiernam bellicam machinam de qua agimus plane definiendam, quae peculiaribus illis finibus Romanarum testudinum una suppeditare valet.

In Vitruvianam meam descriptionem opponis: e) *In editione critica Teubneriana quam recognovit Krohn et Lipsiae edita anno 1912 aliquatenus immutatus est textus hoc modo: Ea machina sex modis movebatur: progressu, «regressu», item latere dextra et sinistra, porrectiones non minus in altitudinem extollebantur. Quae quidem immutatio multum adimit affectatae similiudinis veteri testudini ad recentem currum Tanke.*

Sit criticus hic textus tuus; non tamen video quomodo multum adimat prolatae a me similitudinis, quam *adfectatam* expensis. Quae, inquam, ad rei naturam, differentia inter: «Ea machina porrectione... extollebatur», et: «(Machinae) porrectiones... extollebantur»? Quin imo nonne magis ad *tank* accedere videtur lectio tua, quum et se movendi modis «regressum» machinae adicit, et porrectiones in imum per inclinationem demittit?

In firmantem me nullibi *essendum* inter machinas bellicas adnumerari, contortius



quidem, atque etiam ad arbitrium concludis: f) *Quamvis nullibi essendum vel essem* *dam inter machinas bellicas videris, non* *eset abs re inter eas enumerari plaustra* *in bello adhibita, militum plena,* *ex quibus tela conjiciebant ut ostenditur* *in verbis Caesaris, quas (?) inseriu*s *adfers:* Genus hoc est ex essedis pugnae, cet...

Atqui aliud est plaustrum militum plenum, ad ipsos milites quam citissime in aliquem locum simul cum equitatu transferendos, ut, inde quum descenderint, pedibus proelium committant (*essedum*); aliud monstruosa atque tetrica machina nostra, undique clausa et loricata, ex se et per se procedens, a qua milites, occulti nec unquam egredientes, per ballistas clathris prominentes hostibus cladem inferant! In qua autem... editione critica Cae-sariani belli gallici invenisti milites ex esseda tela conicere? Perlege, quaeso, Caesarem, qui *Britannos perequitantes* tela conicere scribit, nullo verbo tunc habito de essedariis, quos quum se cum plaustris suis inter equites progredientibus, et prope dicam ab equitatu tectos, inter hostiles turmas insinuaverint, tum hic describit desilentes et pedibus proelium committentes. Non telis igitur, sed ensibus pugnabant! Id ex iis etiam confirmatur quae sequuntur, scilicet ab hostibus pressos illos ad currus procurrere, ut fumam capesserent. Qua denique ratione Romani novum hoc ipsis pugnae genus, « mobilitatem equitum, stabilitatem pedium in proelio praestans », superarunt? Quum « neque sui colligendi, neque ex essedis desiliendi facultatem dederent ».

Ea quae de vocis *essedum*, *esseda*, etymo scripsi, tu ita es commentatus: g) *Has omnes accipio libenter in essedo significaciones ut magis (?) vox illa Tanke congruere videatur.*

Papae! non cum una *tank* est congruentia; sed cum curribus cuiusvis generis,

qui velociter, impetuose, quavis de causa, agantur.

Ad *essedum* nomen apud Romanorum sermonem admissum, quo vehiculum *unice* indicarent quod ad itinera oneribusque ferendis esset, hanc profers adnotationem: h) *Ergo prius quam ad hos usus transferretur, essendum erat tantum ad bella committenda. Quid igitur ridiculi videre contendis, si ad originarium (sic) vocis sensum configrio ut eam transferam ad rem nostra memoria inventam?*

Equis tibi negavit *essedum* in proeliis adhibitum fuisse? A quibus vero, praeter Britanos, idque quum primum cum iis Caesar bellum gessit? Nunquam certe a Romanis, qui si *essedum* in usum et sermonem suum induxerunt, longe aliter quam ad bellum plaustro illo usi sunt. Atqui nos latinum titulum hodierno *tank* imponendo, perviam vocem sugerere debemus, eo nempe sensu quem latini scriptores, quem Romani cives ad rem significandam adhibuerunt; non quidem ad remotam verbi barbaricam appellationem configere, quae ita ab usitata, vulgari significatione differat, ut contrarium prorsus denotet.

Quae denique in postremis tuis *notis marginalibus* (i, j, k), Jovae carissime, scripsisti, ea a rei disceptatae argumento deflectunt et personaliter in me dicta sunt, cuius non aequa quidem lance animisensus, voluntatem et asseverationes pensitasti. Eas praetereo: a rumusculis enim aucupandis natura abhorreo; iamque satis superque tum in litteris humanissimo collegae tuo Gonzales superiori mense datis, tum epistolii huius initio, quae factorum veritatem revocarent sine fuso et fallaciis exposui.

Ut vela contraham, numne *essedum* scrutario tradam? Ne id quidem, amice; vocabulo enim utar; nec iis quae hoc usque disceptata a nobis sunt, quidquam addens, puto me affirmare etiam posse: « optimo

iure utar », ad novum aliud lateque iam in usu vehiculi genus indicandum, quo homines et onera celeriter ab uno ad alium locum transferuntur; illud dico, quod vulgo *camion* audit.

Mihi ominor tamquam gratissimum, fore ut et tu in eamdem sententiam tandem venias; interim valetudinem tuam velim cures diligentissime, meque eum habeas, qui tibi semper fui, immutatoque animo permaneo, addictissimus.

HORAE SUBSECIVAE

Procul.

Per vada cum fessus validos impellere remos portitor in cymba membra relaxat iners, et, velut immersus lethaeis fluctibus, alta tranquillum fruitur quae mare pace tenet, et sibi configium salsis inquirit in undis, curas, quae cruciant pectoris ima, levans, si iubar astriferum radians ex aetere lapsum laetitiam fundens perditur inter aquas, is mare conspiciens tranquillum rursus adorat pluraque commemorans dulce levamen habet.

Hoc est dulce nimis pariter sublime: profundi vox arcana maris quae silet alta sonans.

Sic mihi, mortalis tenebroso gurgite vitae, accedit ut videar navigator esse vigil.

Stat mens: ipsa tui fulgorem spectat ocelli, qui niger et ridens lumine corda beat.

Cymba quae mergitur.

Iactabatur apud fluvialem cymbula ripam, annis fessa nimis, remige semper iners.

Sed nox alta venit, celatur nubibus aether, litore deducit fluminis ira scapham.

Vidi. Subreptam fatales portat in undas; obstrepit, ante silens, lata per arva Padus.

Ad ripam veluti spectri molitur ad instar, turbidus et praedam gurges in ima trahit.

Et super immersam scaphulam densantur aquarum agmina, quae circum desidiosa fluunt.

Amnis progredivit vasto cum murmure; spernit emicat e spumis risus idemque fugit.

Nox erat atra nimis; rutilo sine sidere caelum; tristitiam nubes imbre gravante pluunt.

Ille vetus rapido periit qui flumine tembus, res mihi vana subit. Quid modo? vita patet.

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE NOVO PERPENDICULO AD GRAVITATEM DIMENTIENDAM.

Iam ante duos annos una cum domino F. Holweck novum perpendiculum construxeram ad gravitatem dimetiendam.

Agitur de levi quadam fistula ex *quarzo* confecta, quae per tenuem laminam metallicam in solida base infigitur et sursum disponitur ita ut pars extrema superior oscillare possit sub actione tum gravitatis fistulae tum elasticitatis connexionis.

Tempus periodicum unius oscillationis ad aliquot secunda momenta computatur, et certe pendet ab intensitate gravitatis terrestris in loco agentis.

Post primam constructionem non paucae sunt meliores instrumento conditiones appositae, ita ut nunc extet vere practicum

et progressum non parvum inducens in methodis iam antea adhibitis in mensuris gravitatis.

Gradus proximitatis qui attingi potest est ad sextam notam decimalem intensitatis, mensurae paucis momentis absolvuntur, et ad simplicem determinationem permissionis oscillationis reducuntur.

Iam mensibus elapsis tum Holweck tum ipse plures constituimus determinationes praesertim in Gallia superiori, et exitus ad quos pervenimus optime cohaerent cum aliis antea per perpendicularum Sterneck ab aliis auctoribus obtentis.

Ego autem, Romae etiam confirmationes habui tum in colle Vaticano tum in colle Exquilino. Ulterius autem amplior dabitur tum instrumenti tum illationum relatio in *Actibus huius Pontificiae Academiae Scientiarum*.

P. LETAY.

NOTITIAE.

DE GALAXIS NOVITER REPERTIS.

Anno 1927 speculatorium Harvardense collegium in *Harvard Kopie, Bloemfontein* locum ad astra speculanda constituit cum telescopio 60 cm. aperitionis, quo systematice integra hemisphaera meridionalis photographice redditur in laminis valde sensibilibus, cum expositione trium vel plurium horarum.

Ita intra sex annos omnes stellae usque ad magnitudinem deciman octavam, et paulo infra, luce sua erunt depictae.

Hucusque ex iustatione caeli illic inchoata prodierunt 76 millia galaxiarum, quarum integer numerus aestimatur superare 300 millia.

Plus quam dimidia pars galaxiarum istarum infra magnitudinem decimam septimam sunt; quumque earum magnitudo absoluta probabiliter 13 superet, maior earum pars intra 30 et 400 millia millionum annorum lucis a nobis distare videtur.

Insuper reperti sunt 14 novi stellarum cumuli sphaeroidales in regione nubis Magellanicae Maioris.

Quod factum non vacat momento, si comparatur nubes illa, tum cum nostro systemate galactico talibus cumulis circumdato, tum cum Nebula Andromedae, in cuius propinquitate ab astrologo Hubble inventa sunt plurima obiecta nebulosa, quae ab eo inter istius generis cumulos accenseruntur.

DE EFFECTU LUCIS SUPER CONDENSATOREM VARIABILEM.

In *The Electrical Review* (num. 2877) referuntur experientiae a G. G. Blake de actione lucis supra condensatorem variabilem instructa.

In parvula capsula vitrea exstat lamina metallica nigra, quae constituit alteram ex condensatoris armaturis.

Altera est ex aluminio et figuratur in supporto micaceo in uno tantum latere, ita ut mobilis remaneat.

Condensator sic constitutus potest includi in circuito oscillante, in cuius frequentiam facile sit inquirere.

Si lux in laminam mobilem incidere permittitur, statim percipitur capacitatem condensatoris imminui; hoc est lamina mobilis divertit a lamina fixa ita ut distantia quae intercedit augeatur.

Similis quaerad experientia iam ab anno 1919 a West instructa erat ut, si possibile foret, pressio lucis incidentis revelaretur. Sed res eum fecerit. Nunc autem appareat lamina mobilis, loco recedendi sub pressione lucis, lucem versus moveri.

Effectus nempe radiometricus vincit ipsam lucis pressionem.

Res tamen magis magisque inquisitione digna videtur et sperandum est fore ut per auctorem experientiae ulterius ducentur.

COLLOQUIA LATINA¹

XV.

Agrestis popina.²

LUCULLUS, APICIUS, PAMPHILUS, AQUILINUS.

LUCULLUS. - Es tu popino?

APICIUS. - Sum. Num eges me?

LUC. - Etiam, ad laetum amicorum circum cibis vinoque satiandum.

APIC. - Optime scio quemadmodum tractandi sint huiusmodi adventores. Quota hora epulæ apponendae?

Luc. - In horas tres.

APIC. - Quinam autem escarum ordo?

Luc. - Ad tuum libitum.

APIC. - Bene; omnia aequa exquisitissima tempore quod praefinisti in promptu erunt.

Luc. - Cave tibi; nam par pari rependemus.

APIC. - Imo usuras sponte praestabis. Heus tu, Pamphile, et tu, Aquiline, ignem in lare instruite sub fumali grandibus lignis; et quantum fieri poterit, ne effusescant.

PAMPHILUS. - Putas te esse in urbe? Hic tabernas coctiliias non habemus, e quibus ligna coctilia promuntur. Fortuna secunda si aridiora inveniamus.

APIC. - Ni ita sit, tu, Aquiline, sufflator, perdes oculos sufflando.

AQUILINUS. - Vae vino, quod bibam largius!

APIC. - Vae aquae; nam vinum hodie non attinges, si sim sanus. Nolo mihi

evertas ollas, et auxillas confringas et cibos corrumpas!

AQUIL. - Non vult ardere hic ignis.

APIC. - In iice fasciculum aliquem sulfuratum, et fomitum frustula aliquot cum his assulis.

AQUIL. - Extinctus est prorsus.

APIC. - Transcurre ad aedes proximas cum batillo et nobis affer torrem aliquem praegrandem, et prunas bene incensas.

AQUIL. - Metallarius est illic dominus, nec sinet carbonem unum sub fornacibus sibi detrahi; citius oculum.

APIC. - Non est metallarius, sed metallicida. Ito ergo ad furnum. — Quid afer? Titionem magis quam torrem?

AQUIL. - Non habebant prunas carbonis.

APIC. - Quid malum carbonis? Cesputum tu dixeris. Fureilla hac amove ligna, et agita fomitem, ut ignem concipiat. Sume pyrolabem.

AQUIL. - Cuius rei est istud verbum?

APIC. - Forsex ignaria, pruniceps.

AQUIL. - Quid mihi cum verbis Graecanicis? Quasi desint latina!

APIC. - Fac finem fatandi: volo carbones aliquot aut cespites accendas mihi in hoc foco ad testuaria lente candefacienda. Suspende ahenum ad ignem, ne desit aqua calida; tum in cacabum immitte armum illum vervecinac cum bubulla apte salita. Cucumam igni admovecum vitulina et agnina; in chytropode elixabimus oryzam.

AQUIL. - Quid pulli?

APIC. - Veru agentur. Lucium hunc sines in aqua lusitare paullisper; tum extenterabis.

AQUIL. - Carnes et pisces in eadem mensa?

APIC. - Quis vetat?

AQUIL. - Medicis non placet.

APIC. - Nesciebam medicum etiam te esse.

AQUIL. - Nunquam ne de quaestione

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

² Colloquium hoc Vives *Culinam* inscripsit; ut nunc culinae instructae sunt, « Agrestis popinae », titulus magis cum re descripta congruere mihi visus est.

illa audisti, utrum sint in civitate plures medici an stulti?

APIC. - Quis te detrusit in culinam quam sis tam saperda?

AQUIL. - Adversa mea sors!

APIC. - Immo, quod manifestum est, segnities tua, et socordia, et gula, et luxurias, et ingluvies, et animus degener et abiectus; ideo ambulas nudis pedibus, semiamictus veste obsoleta.

AQUIL. - Quid tibi cum mea paupertate?

APIC. - Nihil omnino, nec vellem esse. Sed ad rem, ne praeter rem plura, quam oportet. Satisne sunt mea iussa, superque infixa et inculcata? Scilicet vobis nunquam satis. - Da mihi lacernam pinguem, nam foras mihiest prodeundum; continuo adero, dum poma ad mensam comparavero. Ah! cedo etiam aeneum illud tudiculum, quod curem stanno iterum illiniendum: etenim consumptum est.

PAMPH. - Heus, Aquiline, statue hydriæ illas in urnario, et hanc bubulam abluit diligenter, et confricato in labro.

AQUIL. - Etiam tu hic quoque imperas! Unus imperator uni castro sufficit; non sufficiet culinae unius? Facito ipse: tu es acrior exactor operae, quam ipse magister popinae. Non vocabo te Pamphilum, sed stimulum acutum.

PAMPH. - Ergo... frange vitulinam hanc in epixenio. Comminue paulum huius casei, ut spargatur super iusculum.

AQUIL. - Quomodo? Manu?

PAMPH. - Non, sed tyrocnesti. Instilla huc guttas aliquot olei ex lecytho.

AQUIL. - Dicisne hoc capsace?

PAMPH. - Statue hic mortarium.

AQUIL. - Quod istorum?

PAMPH. - Illud aeneum cum pistillo eiusdem metalli.

AQUIL. - Qua gratia?

PAMPH. - Ad terendum petroselinum hoc.

AQUIL. - Satis est in pila id fieri marmorea, pistillo ligneo. (*Cantillat*).

*Et gravis attrita pendebat cantharus ansa...
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes,
Claudere quae coenas lactuca solebat avorum?...
Filia Picenea venio lucanica porcae;
Pultibus hinc nivis grata corona datur.*

PAMPH. - Ah! ah!... Unde tu didicisti adeo raphsodin?

AQUIL. - Inservivi in Calabria ludimagistro cuidam poëtastro, qui saepenumero coenam non dabat mihi, quam cantillationem centum versuum, quibus mirificum aiebat saporem inesse: ego vero paululum panis et casei maluissem. Aqua erat satis domi, et licebat nobis de puteo bibere ex animi sententia, non quidem de vini dolii... Inde ego quum esuriens concessisse cubitum, pro epulis versus illos ruminabam et concoquebam; tum aliud nullum visum est remedium ad bulimiam illam depellendam, quam culinariam atripere.

PAMPH. - Recte! Et quae illi praebebas ministeria?

AQUIL. - Quae Caesar reipublicae: ego eram illi omnia. Eram illi a consiliis, etsi nihil unquam ageret consilio; a secretis, quum nihil haberet secreti. Ego fundebam ei aquam lavandis manibus, quam nunquam abliebat; ego servabam eius thesaurum...

PAMPH. - Quem thesaurum?

AQUIL. - Schedas aliquot suarum cantilenarum, quas tineae comedebant, et opici mures arrodeabant.

PAMPH. - Tace; redit herus. Vae nobis si garrientes invenerit!

ANNALES

Genevenses conventus.

Genevenses conventus perdurant. Qui de imminuendis armis convocatus fuit, inter difficultates procedit, quarum præcipua inter Germaniam et Galliam dis-

sensio habenda est. Paulus enim Boncour pro Gallia in principio securitatis instat, cui alia quaevis quaestio subiicienda sit, ne ea quidem excepta de pari condicione Germaniae per pactionem d. xi mens. decembribus superioris anni concessa; siquidem pactio inter alias nationes inita substitui nequeat universi Societatis Nationum Concilii iudicio. Germania ex adverso contendit, pactionem illam fuisse positam pro certo fundamento, ut ipsa eidem Consilio adasset. Hoc et alia argumenta ab uno ad aliud delectorum virorum coetum perpendenda traduntur; interea tempus teritur, verba effunduntur, nihilque agitur.

Apud plenarium, quem vulgo dicunt, Societatis Nationum coetum autem, de discrimine inter Sinas et Iaponios agitur, dumque, ob responsum sibi infensum, hi minitantur sese a Societate Nationum recessuros, cum copiis, quae ad nonaginta militum millia aestimantur, Jehol provinciam hostiliter invadunt, Sinenses superant et ipsam Pekinum urbem ignivomis ballistis ex aëroplanis deiectis sese presumdaturos praenunciant, nisi Sinenses « magni illius muri » fines, quos praetergressi sunt, restituerint.

* *

Regia itinera.

Italorum rex et regina Aegyptum peragrarunt, quo se contulere, ut Fuad regem qui in Italia fuit, reviserent, ubique magno animorum ardore excepti.

* *

Germanica comitia.

In Germania nova comitia, ad diem V huius mensis Martii indicta, novas Communistarum, quos Hitlerius frangere sibi viriliter proposuit, intemperantias, novosque furores excitarunt. Qui quidem factiosi homines eousque processerunt, ut aedibus

publici coetus legibus ferendis ignem inferrent, et hic illuc cruentas seditiones submoverent.

* *

Novi Septentrionalis Americae Praesidis vita impetita.

Eadem factio et alibi horrendum crimen pertentavit. Miami enim, in oppido Floridae civitatis, Roosevelt, praeses nuper electus, vix a nefarii hominis, — qui manuballistula eius vitam impetivit, — scelesto facinore, elapsus est. Superi eum usque fortunent!

* *

Ex aedibus Vaticanis.

Die xii huius mens. Martii in aedibus Vaticanis habitum est « Sacrum Consistorium », in quo Ss. D. N. Pius PP. XI in Purpuratorum Patrum numerum cooptavit exc. viros Angelum M. Dolci, Archiep. Hieropolitanum, Apostolicae Sedis Nuntium apud Rumenos; Petrum Fumasoni Biondi, Archiep. Docleacensem, Delegatum Aplicum in Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis; Maurilium Fossati, Archiep. Taurinensem; Rodrigum Villeneuve, Archiep. Quebecensem; Eliam Dalla Costa, Archiep. Florentinum, et Theodorum Innitzer, Archiep. Vindobonensem.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

De hodierna universi orbis lamentabili rerum condicione.

(Ex allocutione habita a Ss. D. N. Pio PP. XI in S. Consist. d. XIII mens. Martii MCMXXXIII).

« Illa permanet atque indurescit, ancesps, dubia nationum omnium condicione; ob suspicções trepidat, ob adversantia commoda turbida, anxia; obque non consentaneas ac sae-

pius repugnantes rationes, quas non aequa atqua immodica Nationalistarum consilia invehunt, requiete carens atque adeo metuenda. Quorum profecto consilia atque proposita, ut nihil aliud magis, verae hominum populorumque fraternae necessitudini prorsus officiunt atque obstant, quae solummodo potest, per christiana caritatis pracepta, incitationem, usum, radices agere suoque humore ali atque virescere. Caritatis huius virtute atque afflatu compulsi, pacem populis efferre atque praedicare nunquam praetermisimus; atque adventantibus natalicis Redemptoris sollemnibus, aliquam potuimus, etsi brevem, pacis requiem obtinere. Verumtamen et in veteris et in novi terrarum orbis parte circumstrepunt arma, atque ex cruentatis vastatisque regionibus vox fraterni sanguinis ad caelum clamat.

Permanet, ut diximus, ubique gentium oeconomicarum rerum discrimen, ex quo acerbius tenuiores omnes vexantur: insontes nempe parvuli, veluti primi tenellique huius vitae flores; infirmi aegritudineque affecti; atque vel magis, ob graviora, quae incumbunt, incommoda aetate grandiores, defessi iam longoque itinere confecti. Spiritualibus externisque in rebus ex eo praeterea conflitantur operarii atque opifices, quibus non tantummodo deest, quam digne mereri possunt, aequa merces, sed opera etiam ac labor; atque adeo ad coactum otium adiguntur, ex quo hinc pericula proficiscuntur allactationesque, illinc impensae, difficultates sollicitudinesque gignuntur et civili societati universae et iis, quorum eadem officio conformanda tuendaque concreditur. At sunt utique qui ex huiusmodi rerum molestia atque egestate commodum exquirunt, triste equidem commodum atque utilitatem: ii nempe, qui politico, civili religiosoque ordini adversantur. Contra hominum consortium, contra Religionem sanctissimam, contra denique ipsum Deum hi bellum conflant atque urgent. Novimus profecto omnes interneciva, quae omnia permiscent, sententiarum eorum deli-

ramenta; ac facinora, vel recens ac nuperime edita, plusquam satis ostendunt allabore eos, toto pectore omnibusque viribus, ut incepta sua pravaque consilia ad exitum perducant. Quod iam diu continenterque accidit in immensis, iisdemque infelicissimis, Russiarum regionibus; quod in Hispania; quod in foederatis Mexici Civitatibus; quod denique in angustioribus amplioribusque mediae Europae Nationibus; id nimio luculentius patefacit quid timendum sit ubicumque invehitur — atque quoniam, Venerabiles Fratres, non advehitur? — nefasta eorum doctrinae pervulgatio, nefandius etiam incitamentum.

Tametsi, ad recentiora usque tempora, uni Romano Pontifici cordi erat gravia, quae in christiana civilis cultus instituta fere ubique populorum impendent, pericula denunciare, qui procul dubio eiusdem christiani cultus beneficiis fruuntur, necessariis prorsus maximaque aestimatione dignis; itidemque haud minus cordi erat praecipua remedia ac munimenta veluti digito demonstrare, quae et suprema sunt germanaque iustitiae caritatisque principia, et primaria immortaliaque pracepta de animarum praestantia, de hominis dignitate, origine ac fine, deque iis, quae eidem intercedunt cum Creatore, Redemptore, Domino ac Iudice Deo, rationibus peculiarissimis, cumque proximis suis ceterisque rebus omnibus. Quae utique praecpta ac disciplinae in Catholica dumtaxat Ecclesia perfectam assequi possunt explanationem, inviolata incolumentem, inerrantem interpretationem. Quapropter civilis ordinis humanaeque consortium osores, licet cuiusvis religiosae doctrinae ipsiusque Dei inimicos se iacent — absque Deo, contra Deum! — Catholicae tamen Religioni atque Ecclesiae imprimis, nullaque interposita mora, iniurias inferunt; cum sacrosanctis rebus omnibus profanatione contumeliaque lacessitis, tum calumniis illatis, atque corrupta ex occulto historiae doctrinaeque fide, tum denique iis, quae in societate universisque nationibus

exstant rationibus, commeatibus, commerciis ad pravum usum adductis, tum postremo veri nominis insectationibus vexationibusque instructis atque proiectis, quemadmodum in supra memoratis Nationibus contigisse lamentamur. Qua in re, ius iustasque leges vi interdum licentiaque supplent; interdum vero novas leges, quas iustitia non reprobare non potest, quasi sceleris socias efficiunt atque edunt.

Nos igitur, vocem attollentes Nostram, non modo veritatis, iustitiae humanitatisque atque ipsius omnium gentium salutis prosperitatisque causae patrocinari non desistimus neque in posterum intermittemus; sed magis etiam magisque, ut divina tueamur iura, utque liberae hominum conscientiae iura vindicemus, quos universae paternitati Nostrae demandatos habemus, omni prorsus ope elaboraturi sumus. Qua paternitate permoti, Nationes populosque omnes considerent rogamus, ob tot tantaque lamentabilium rerum gesta, ubicumque Ecclesia clam aperte lassetur, atque eius frugifera sanctitudinisque effectrix opera, ad iuvenes potissimum quod attinet, conflictata praepeditur, necesseario ibidem pergravia damna conflari, et animis, et corporibus et fluxis rebus ipsis nocitura.

Nefanda horum Dei inimicorum agendi ratio, quae cotidie magis increscit atque per vulgatur, haec Nobis persecunda innuunt atque suadent, quae omnibus, ipsisquem utilia fore confidimus. Exploratum habetis, Venerabiles Fratres, hos cuiusvis ordinis subversores — domestici, inquisimus, sociales atque politici — in Deum, in quamlibet religiosam doctrinam, at in catholicam praecipue religionem atque Ecclesiam perpetuos convertunt acerrimosque conatus.

Nonne hinc liquido patet vel ab iisdem Deum religionemque catholicam, tutissima equidem propugnacula ac praevalidam haberi earum rerum omnium munitionem, quas ipsimet oppugnare atque evertre contendunt?

Nullo non tempore, proh dolor, inimici extitere initiatoresque Dei, quos, vel quum in imo tantum animo inimicitias atque initiationes huiusmodi occulunt (*Ps.*, XIII, 1; LII, 1), Sacrae Litterae stultos insipientesque passim appellant; cum vero Dei Spiritus impios in multigenam turbam coalescere cernit (*Sap.*, IV, 3 sqq.) eorum item molimenta conatusque, Summo Dei Numine caelitus irridente ac dissipante, in irritum cedere conspicit; siquidem creata omnia omnium Creator in suam ipse ultionem armabit, universumque terrarum orbem contra insensatos pugnare iubebit (*Sap.*, V, 18, 21).

Ecquid mente heic non reputamus quantumpere hoc, quod in Deum geritur, bellum, omnium sane impiissimum, originem fontemque calamitatum, cum oeconomicarum tum bellicarum, haberi oporteat, quibus ubiqui terrarum tam acriter excruciantur homines?

Ad Catholicam Ecclesiam quod attinet, et multa eandem esse ad hunc usque diem perpessam novimus, et multa in posterum quoque passuram esse providemus; ipsius namque Conditor praclarum non modo ei praenuntiavit, ac veluti testamento legavit insectationum aerumnarumque tolerandarum principatum, ex Dei nempe, veritatis probitatisque hostibus; verum etiam ad perpetuum ac praclarum proelium eam instruxit, quod contra infernas potestates errorisque tenebras sit suscipiendum.

At eidem uni spopondit Sponsae suae Christus Dominus se omnibus diebus cum ea esse mansurum, neque unquam adversus eam portas inferi esse praevalituras. Decies enim noviesque revoluta saecula a divina peracta Redemptione promissum id fieri testantur: osores insectatoresque Christi Ecclesiae quovis tempore non defuere; at cunctis circumquaque dilabentibus, ea tantummodo incolunt exstat, sospesque servatur, ac vel laetiore atque firmiore spe fulta in posterum tempus prospicit, etsi acerbioribus in praesens urgetur incommodis ».

VARIA

Vita rustica.¹

Felix qui innocens in solitario rure dedit aperto aere fruens; qui malitiosos silvestribus feris dolos et retia simplicibus avibus tantum meditans, animi anxietate angri non potest, et, si forte gravem fert corpore laborem, continuo in viridi gramine requiescens se reficit, modo in hanc fluminis ripam, modo in illam migrans alti nemoris umbram, ubi querulas aves audit dulci garrire concentu, tremulosque ramos, leni vento agitante, earum numeris respondere. O utinam huiusmodi vitam mihi, fortuna, dedisses, quem tuae optatae largitiones perniciosa sollicitudine afficiunt! Heu, quid mihi prosunt altae domus, sumtuosa cubilia et magna famulorum caterva, si meum animum per ignotas regiones errantem nec requiem fessis membris concedentem anxietas tenet!

O quam iucundum, quam suave est praetereruntium fluviorum ripas tranquillo et libero animo premere, atque in nudis cespitibus carpere leves somnos quos fugiens rivas dulci murmure alit! Hi sine invidia inopi ruricolae conceduntur multo illis potiores, quos saepe pluribus blanditiis illectos vel ingruentes curae civiles, vel tumultuantis familiae strepitus interrumpit. Illius famem, si quando eum fortasse stimulat, culta poma in densissimis silvis lecta depellunt: ad hoc recentes herbulae, quae sponte super collibus in summum prodiere solum, sapidos ei cibos praebent. O quam dulce ad sedandam sitim est ei fontis et rivi latices haurire concava manu! O infelix mortalium sollicitudo, quibus alendis res levissimas natura postulat paratque! Nos infinita ciborum copia corporis satietatem explere putamus,

¹ Italice exaravit I. BOCCACCIO.

minime sentientes latere in illis causas, quibus saepe corrompuntur magis quam conservantur ordinati humores, atque in medicatis potionibus, quae in aureis vasis et cavis gemmis parantur, frigidissima saepe venena gustari. Nec non interdum illarum gratia in nimiam securitatem assurgit, quo fit ut haec per dicta vel facta infelix vita probrosus exitus consequatur. Ac crebro insuper contigit, ut illarum multae deteriore stupido corpore potorem efficiant...

Insanabilibus hisce, quas perfero, curis procul abessem, animusque una cum meo nomine intemeratus mortalium celebritates atque spectacula volucri vento similia negliget, nec ob spectata praesentibus angoribus premeretur. Illi non altae turres, non armatae domus, non multa familia, non delicata cubilia, non aulaea nitentia, non veloces equi, non alia trecenta meliora vitae partem frustrantia ardenter inferunt curam. Ille nequaquam ab improbis conquisitus in remotis locis nihil metuens vivit, nec dubiam requiem in praecelsis domibus captans aërem lucemque exposcit, ac suae vitae testem caelum adhibet. O quam male novit nostra aetas hanc vitam, et ut infestam unusquisque repellit, quum contra, uti carissima sit ab omnibus exquirenda!

Canis, Gallus gallinaceus,
et Vulpes.

Canis et Gallus, societate inita, una iter faciebant. Noctu in agro deprehensi, quum tenebrae viam obscurarent, sic acquiescendum statuere, ut Gallus in arboris ramis insideret, inferior autem in cavum truncum irreperet Canis. Cantante autem suo more Gallo, excitata Vulpecula occurrit atque illum hortatur ut descendat: cupere enim sese complecti avem tam grata et suavi voce praeditam. Cui respondit Gallus iani-

torem, qui fores pandat, prius suscitandum esse, quam ipse descendere possit. Stulta Vulpecula, non provisa fraude, ad arborem accedit propius et ianitorem quanto potest altissimo gannitu ciet. Ergo Canis experrectus, subito in Vulpeculam insilit, et correptam dilaniat.

Docet fabula, vim et iniurias inimicorum quibus ipsi pares esse non valeamus, ad alias potentiores calliditate consilii, advertendas esse.

* *

Pro iudicibus mensarum
elegantibus.

ESCARUM QUADRAGESIMALIUM ORDO:

*Avellana oryzina in cammarorum iure fluitantia.**Soleae Parmensis more compositae.
Mulli ad craticulum assi.**Asparagus silvestris, citrei latice aspersus.**Poma mulso confecta.**Crustula quadragesimalia.*

* *

Locosa.

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: — Unde saccharum extractur?

TUCCIUS: — Aedepol! Ex vasculo in quo servatur ad ministrandum!

MAGISTER: — Vera fatearis: moleste fers in scholam venire.

TUCCIUS: — Non quidem venire; sed manere!

* *

Aenigmata.

I.

Falcipotens fertur totum regnasse; cadente Sincipite, Aeneae procubuisse manu.

II.

Non integrum palam pudet; caput caedas, Minime pudet palam, integrumque condemnat.

LIBRORUM RECENSIO

S. ARNONE, *Pii Papae IX visio prophetica.*

Carmen Pio Papae XI et B. Mussolinio dicatum, narrat anno 1870, quum italicus populus Roma potitus et *Liberorum Aedificatorum* coniuratio (quae monstrum horridum pingitur) in Ecclesiam et fidem saevitura eset, Pium IX orantem arcana visione aspexisse aliquando iuvenem nigra ueste indutum (B. Mussolinum) monstrum interemptum Italiamque redemptam ad Pontificem reductum esse; quumque eum amplexurus esset, divina voce moneri, Italiam adhuc errores defleturam atque poenas soluturam esse, regnabitbus futuris Pontificibus (quorum facta breviter memorantur); Pium XI tandem Ecclesiam et Fidei Italiam esse reconciliatum.

Poeta, aetate et arte proiectus, omnia narrat gravi et luculenta Musa, magna exametrorum peritia, atque quavis servili imitatione soluta. Simplicior forma fortasse passim desideratur: exempli gratia *Liberorum Aedificatorum* sodalitas horridis et robustis, sed forte incertis et non bene accommodatis imaginibus describitur. Carmen optimis italicis endecassillibus conversum est.

De iuvene monstrum interficiente versus referre placet:

*Ecce gigas visus magno de corpore surgens,
Cui iuventis specie perlata fulmina micant
Ex oculis, terrorque minaci considerat ore.
Hic nigris caput obtegit ex insignibus altum
Nigramque in toto convolvit corpore vestem,
Aurea quam longo decurrit fascia tractu,
Ad lumbos sacro terno connexa colore.
Ferrea robusta perfulget virga sinistra,
Dextraque indignans minitatur morte superbis.*

Auctori gratulamur, optimaque exoptamus.

Anconae

JUNIUS GARAVANI.

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[15]

« Ex altera navis parte pinguini inter se contendebant de exiguo glaciei fragmine, in quo vix singulis daretur subsistere. Iuvabat observare singularum avium summos in apicem glaciei nisus, prudente hac illam. Et tamen, quae in sedem pervernerat, suopte inclinata pondere relabebatur. Sed in novum ferebatur de eodem gelido vertice certamen ».

Ea quae secuta est nocte, et compluribus deinceps noctibus glaciei aggeres coepti sunt frangi. IV kal. Ian. Scottus in commentariis scripsit: « Tandem, quod in votis erat tandem, facies rerum mutata est. Haec glaciata plana minus extenduntur late,¹ aестu marino, ut videtur, fracta sunt, et sunt detritae margines. Haec autem mutatio facta subito est. Quadam nocte totam horam in mari libero egregie proiecti sumus. Hoc ipso die, mane, glaciales perrupimus perpetuitates, quae nunc magis et magis tenuantur. Haec glacies fracta est in aequalia frusta, quorum nullius dimetiens ultra triginta metra exten-ditur, unde certo cognoscimus apertam aquam propinquam esse. Ventus est etiam nunc secundus versus antarctidem navigantibus, caelum tegitur nubibus, cadunt leves grandines mixtae pluviae. Bis visus sol est dividere nubes, sed ea frustra spes erat. Nocte proxima congelante pluvia navis et armamenta universa incrustata sunt lubrica glacie. Sed tamen dubium non est, quin brevi solvamus hac capti-

vitate. Enixi igitur sumus per aggereum glaciem diebus viginti et paucis horis, emensi lineam rectam chilometrum sexcentorum octoginta, tricena quaterna chilometra diebus singulis, insumptis carbonum amphoris una et sexaginta, in undena chilometra amphoras singulas. Ex illis viginti diebus, navigationis fuere omnino novem. Quae numerorum ratio, si cui videatur iniquior, si subduxerit, in quas inflati eramus angustias, fatebitur rem multo peiore fieri potuisse ».

Tum vero Scottus circumspicere coepit locum idoneum hibernaculo. III kal. Ian. inventa est altitudo maris metrum duorum milium et triginta. Et iam sperare coepérunt kalendis se per venturos esse ad promontorium, cui Crozier nomen, ad radices montis Terroris. Post coortam tempestatem superatamque fluitantem glaciem pridie kal. in conspectum venerunt montes terrae Victoriae. A chilometris ducentis quattuor refuebat mons Whewell et mons Sabinus. Kalendis Ianuariis, post medium noctem hora quarta, profecti, quum sulsassent adversam glaciem, hora octava exsplendescere soi coepit totumque lucebat diem reliquam ut vespera hora vigesima tercia viri in summo navis tabulato sedentes legerent. Postridie kalendas mons Erebus ex undis emersit, plenisque velis is locus petitus est; nam putaverat Scottus in eam glaciati aequoris oram egredi posse, inde ad polum proficiendi.

¹ Hic mihi dicendum erat, quid esset Germanicum *Dinung*. Hoc nomine appellantur maris undae longae et aequales, quarum nulla solet apparere causa, quae tempestates vel praecedunt vel subsequuntur. Solent autem id genus undae moveri contra regionem venti.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANN. XX - FASC. IV


MENSE APRILI MCMXXXIII

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Aprili MCMXXXIII

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE I LATINITATIS CONVENTU ROMAE HABITO MEMORIAE

Suo tempore nunciavimus, italicum *Collegium ad studia romana provehenda* in conventu, qui tertio quoque anno fit proximeque in Urbe celebrabitur, peculiares disquisitiones constituisse de renovando apud omnes saltem viros doctos latinae linguae usu. Die vigesima prima mens. Aprilis appropinquate, Urbis Romae natali, in qua, faustis quidem auspiciis, conventus ipsius sessiones initium ducent, non erit profecto abs re primi de latinitate conventus memorias revocare, qui sollemniter in Capitolio, adstantibus Italico et Gallico studiorum administris legatisque ex universo orbe missis, inauguratus, argumentum, quod nunc in disceptationem reddit, longe lateque pertrahit.

Eventus memorabilis die xvi mens. Aprilis anni MCMIII factus est. Coetui prae-erat vir excellentissimus Angelus De Gubernatis, romani athenaei humaniorum litterarum doctor ac totius conventus auctor in pigerque instructor; alteri a Praeside

erant Angelus Valdarnini, in Bononiensi athenaeo philosophiae magister, et Jacobus Tasset, Gallus; a secretis sedebat doctor Iosephus Fornari ille, qui tum in *Vox Urbis* latino commentario primas agebat; nunc autem *Almam Romam* hanc moderatur.

Illustris vir De Gubernatis luculenter et eleganter duplum illius sessionis finem in aditiali oratione sua exposuit, alterum nempe ut latinus sermo inter orbis civitates communis restitueretur, alterum ut Romae latinitati ephebeum adstrueretur.

Circa primum quinque oratores indicat de re loquuturos: prior I. Tasset universale argumentum attinget; hoc est «de ratione, qua hodiernae europaeae et ceterae universarum gentium res latine dici, aut significari possint». Valdarninius quaestio-nis partem, quae doctrinam respicit, enucleabit; nobilis vir dynasta Guillibert circa philologiam argumentum rei ventilabit. De ratione docendi in scholis, quam «di-dacticam» vocant, illustris vir a Spoletino

Iyceo Neno Simonettius dicet; Iosephus denique Fornarius exponet quae de re Romae iam inita sunt, praeceps per *Vox Urbis* commentarium. Generalis disceptatio inde sequetur. Alteram ipse quaestione Angelus De Gubernatis agitabit, absente excellentissimo viro Henrico Moreno, Argentinae Reipublicae in Urbe legato, quocum una et ipse proposuit.

Hisce praemissis, uti sententiam dicat suam hortatur Tassetium, qui verbis hisce latine orsus est:

«Sermone mundano intermedio, Quirites, non sola europeae culturae recentiora, sed universa cunctarum gentium temperatumque dicenda, nemo infitias eat. Nam si secus esset, quo potiore alio sermone nostri interpretes orientalia vetera et hodierna scribentes aut orantes, redderent? Et ipsi Asiani, Indi, Seres, Arabes, Iaponi, nobiscum et inter se conversantes, sermone alio potiore uti deberent. Tunc duo essent sermones intermedii; alter doctorum Latinorum, alter ceterorum hominum, doctorum vel indoctorum, nostri similium vel dissimilium. Verum enim, Quirites, alter omnium, mundanus merito intermediusque diceretur; paucorum alter, omnino mundanus non esset. Ergo universa, qui latinum sermonem eligunt, universis latine dicere vel significare, cogente necessitate, debent.

Quae cum ita sint, modum, quo innumeras illas sexcentarum gentium notiones et cogitationes, unius sermonis modico verborum numero — quae memoria commode tenenda sint — exprimantur, diligenter commentandum esse censeo. Nam diversi sunt, apud diversas gentes, sensus animi et alia propriis verbis exprimunt alii sermones. Quae si totidem vocabulis reddenda essent, is sermo, qui sexcentorum copias in unum converteret, omnes illos sensus denis centenis dictionum milibus exprimeret. Id factum volo; at quis erit tanti sermonis gnarus? Picus nimirum

de Mirandula! Nos vero rarissimos neglegimus. Omnes enim, nostra tempestate, frequentes cum advenis, et in patria, convenimus, litterisque eorum respondemus. Constat ergo, omnes sensus omnium sermonum verbis unius dici non posse; et ideo meliores paucos esse eligendos.

Universas itaque notiones, qui ab universis intelligi velint, in ordines disponunt naturales, ut plane, quae generales sint, quae speciales, quae singulares, discernant. Tunc omnia rerum magnarum genera, quia diurna, si non aeterna, persistant, veteribus esse cognita, et a summis scriptoribus latinis, electis singulis verbis, dicta optime vident. Quis enim «electridem», quam nuperi dixerunt, vim negat esse magneticam simulatque fulguralem? Quae clarius et aptius a fulgere insigni, quam ab ignobili electro, sermone latino vocelur. Nam si carentia caelestia, non secus ac pruna foci, natura dicuntur ignes; ita quae tonant inter nubes, et quae crepitant ad digitum, pariter sunt fulgura. Efficiant ergo Marconii nostri fulgurales, filo aut sine filo, significationes, cursus, collocutiones, virium deductiones; agant vehicula compitalia, et naviculas in aere cumulatis viribus volucres: ea ciceronianis caesarianisque verbis facillime dicuntur. Illa autem forsitan secreta, Tusci sapientes ac Numa, ne nocerent vulgo et corruptis saeculis, librorum fulguralium obscuris sententiis considerunt?

Novas autem rerum species, non secus ac veteres, binarum plerumque vocum coniunctione exprimuntur. Quod suo verbo dicere non potes, id alia tamen ratione significare utique debes. Sicut enim convenientibus duobus lineis punctum infigitur, ita totidem vocabulis definitur lucida notio. Sic *navis loricata*, *navis aëria*, *galerus turritus*, *telum igneum*, *palla iaponica*. Quin etiam singularia innumera, ad tempus surgentia cadentiaque, quod evanida fluunt, adfixam, extra sermonem,

tamquam pittacia lagena, notam peregrinam patiuntur. Cur non *petasus Bolívar*, *casens Gorgonzola*, garum *caviar*, saltatio *polka* dicerentur? Res enim sua nomina, praenomina et cognomina habent. Nomina, quae genera, praenomina, quae species indicant, latina semper esse decet; cognomina vero, quia minoris momenti et extra sermonem, licet esse barbara.

Itaque si illud armorum omne genus, quibus tela mittantur, ballista, ut plerisque videtur, dici potest, maiorum species ballistarum: montanae, campestres, obsidionales, castellanae, navales, rorariae — sunt enim leves, ut rorarii, missilia crebra iacentes —; et minoris formae, quae a singulis tenentur: equestres, pugillares, venaticae; omnes coniunctis verbis enuntiari debent. At figurae singularis ballistae *hammerless* pugillares, aut navales *revolver*, rorariae *Nordenfeld*, adiectis notis quibusdam barbaris, non vitiant sermonem. Quae via non est in sermone latino nova, sed physicis, inanima, fossilia, gignentia, bestias in ordines disponentibus, iamdudum trita et usu comprobata. Quare ad omnes merces notandas optime valeat, necesse est. Itaque sermo latinus non cauponae minus quam doctori esse potest utilis.

Is nicotianam tabernam ingreditur. Sunt hic omnia nicotiana: nicotianus institor, nicotianae fistulae (fictiles, ligneae, electrinae), nicotiana volumina, pretio, origine, magnitudine dissimilia: *Havana*, *Bastos*, *Caporal*; nicotianus pulvis, nicotiana offa, charta, pixis; odor item nicotianus. Sermo dives nimirum foret, qui nicotianum odorem nomine donaret! Carent nominibus odor, fumus nicotiani: cur ergo fistulae, voluminis, institoris desideraremus nomina? Repudianda igitur, quae facile fingi possint, supervacanea vocabula: *tabacopola*, *tabacopolium*, *tabacotheca*, *tabacocharta*, *fumisugus*, *fumibulum*, et cetera.

Sermonem latinum ad omnes usus convenire, satis demonstratum puto.

Hunc imo aureum et purum, praeter potiorem censeo, quod in eo sit unitas, simplicitas, brevitas, lucidus ordo, proprietas et electio verborum, quibus notiones potissimum notantur generales. Nam vocabula, quae minoris significationis sunt, ad meliora retinenda, boni oratores semper abiecerunt. Qua provecta latinitate hodierni scriptores uti debeant, libro, cui *Lollius* nomen, Petrus Angelinus sagaciter ostendit. Modus optime et latine dicens Ciceronis, Caesaris, Sallustii est; quorum exempla qui fuerit imitatus, apte singula, clara generum significatione, dicit. Illos igitur duces scribendo sequamur et enuntiando, ne cum litteris discrepant voces. Sermo latinus docendi ratione vivat oportet, et fabris, mercatoribus discipulisque proletariis habilis fiat. Namque eo res latinae devenere, Quirites, ut cunctis, aut inutilis, pereat necesse est, aut utilis per omnes terras et saecula floreat. Quidquid denique humanioris est culturae, id nostrum est, Quirites, romanum est».

Sequitus est italice Valdarninius. Qui primum exposuit firmavitque, sententiam constituendi linguam omnibus eruditis communem non esse recentem; at quod prius ad commodum quaerebatur, nunc ex necessitate quaerendum esse tum circa ipsa praecepta de liberorum educatione composita. Hic enim non aequo videt animo, mentes adolescentolorum, oppresas multiplici sarcina disciplinarum, singulis hisce pares esse non posse; inde non modo damna et incommoda, sed vel maleficia cultis gentibus provenire; propterea institutionem coerceri debere ad nativae linguae magisterium una cum alterius, quae communis omnibus fiat; ceteris, prout quisque optaverit, non exceptis, prius duas illae necessariae impenrentur.

Nonnulla tentata ad hoc sunt, quibus magis magisque ostenditur necessitas quantocius inferendi sermonem communem omnibus, et commutandi, hoc illato, scholarum ordinem, quem nunc habemus.

Tum de illo agit idiomate, quod *Volapük* vocant, tum de alio, quod *Esperanto*; ostenditque novam quamlibet linguam artificio, non natura satagente conditam, ad omnia pertinere non posse. Vivas autem, quae nunc sunt, linguas iure omnes legati gentium, qui ad hoc Lutetiam Parisiorum anno MDCCCC convenerunt, reprobare voluere, nec earum quamlibet inducendam, tamquam communem, — *internationalem* dicunt, — optime iudicarunt, ne aemulatio fieret inter civitates, neve illa superbiret, cuius electus esset sermo; illae autem, quarum sermo esset reprobatus, minoris haberi viderentur. At praesentibus omnibus repudiatis, unica apparet latina lingua numeris omnibus praedita, maximo olim in usu, nunc ad neminem pertinens et communis tamen omnibus, qua fortissimorum virorum educata mens fuit, nutritaque fuerunt ingenia populi late principis, cui nihil quod deliciatum, nihil quod grave, nihil quod suave, nihil quod austерum defuit unquam in patriis, in plebe; cuius usus tam late patuit quam romanum imperium; quam catholica ecclesia in omni regione orbis terrarum nunc etiam retinet; quae denique lingua idoneum instrumentum habita est Romanae indolis et urbanitatis.

Quinimo ferme ad nostros usque dies latina lingua colloquiis eruditorum semper inserviit, et adhuc quamplures nonnullarum gentium docti viri illa praesertim utuntur, atque ita vigentibus populis non minus ac adolescentibus idonea fuit, nec minus antiquis se praestitit hodierna populis omnibus. Denique tum in civili vita et in usu rerum gerendarum privata, tum in umbratili speculationis ac doctrinae, semper maximam, semper sibi parem se

gessit, omnia explens, omnibus aequa. His de caussis prae omnibus anteferenda videtur, optandumque ut penes omnes, sicuti olim fuit, redeat universalis et communis lingua saltem ad eruditos.

Hic autem enucleavit, qua latinus sermo ratione usus sit, quomodo sufficiens fuerit ad ea omnia exprimenda, quae reconsens non minus quam vetus conditio in doctrinas ingesserant, commemoratis praesertim scriptis Rogerii Baconis, Petrarcae, Alighieri, Andreae Cesalpini, Telesii, Francisci Baconis, Wilhelmi Gilbert, Cartesii, Galilei, Alberici Gentilis, Hugonis Grotii, Malpighii, Morgagnii, Leibnitii, Newtoni, donec nostros attigit annos mirabili felicitate et facundia.

Post haec, tria illa obsoleta refutavit, quae adversus latinum sermonem, ne communis gentibus reviviscat, obiiciuntur. Haec sunt: I quod lingua grammaticalibus legibus ardua sit tum in morphologia, tum in syntaxis; II quod hodiernis novis rebus significandis inepta sit quippe demorta; III denique, et eadem de causa, quod conditionibus hodiernae vitae usibusque prorsus inepta.

Quibus subratis ac dimotis: — «Quandonam, — inquit, — et quomodo titanicum hoc opus absolvetur, ita ut sermo latinus, universalis redeat et revirescat, nosque et oblectet et soletur?... — Quando, — respondet, — et quoties tres vel quatuor civitates, ex America et Europa, constituant in scholis singulis suis, quae mediae vocantur, duas tantum docendas esse linguas: regionis propriam, et latinam. Ceterarum studia linguarum delegentur ad eos, sicuti nunc fit, qui suadente ingenio, illis addicere se cupiant, et in disciplinas peculiares incumbunt. Tempus et exemplum reliqua non confident modo, sed perficient et coronabunt. At interea, ut gradatim latina lingua accedat quasi auxiliatrix et socia cuiusvis idiomatici recentioris a latino derivati aut externi, aut alieni cuiuslibet,

ut lingua nationibus omnibus communis erumpat, necessum est:

I. In civitatibus, quae de stirpe latina sunt, praecipere ut scholae mediae latino sermoni dent operam; quae autem ab ortu ac progenie latina non sunt cultumque tamen et humanitatem servant, nostris inclinatae precibus studium latinitatis iisdem in scholis mediis et servant et honore prosequantur, si teneant; si caruerint, includant.

II. Hisce in scholis assuescant adolescentes latinis colloquiis, prout pluribus in ludis fit, non sine lucro magno, circa nonnullas vivas linguas externas, quae non minus pracepto grammatical quan consuetudine sermonis traduntur. Quo facilius id efficiatur, promptuaria quaedam communium vocum, quae magis in more quotidiano et ferme domestico sint, conscribantur, edantur, et phrases quaedam ad elegantiam addantur.

III. Siquae ephemeredes latine scribantur, edantur, tum in Italia, tum apud exteriores nationes, favore, gratia cumulentur, ornentur.

IV. Consentientibus nationibus, quae «Academiarum» acta referunt, vel doctorum virorum conventuum, latine apud civitates omnes exarentur.

V. Romae constituatur Latinum Ephebeum ingens, cuius pateant fores adolescentibus tam nostratis Latinis, quam alienigenis, ubi et instituantur et alantur; in ipso autem singula quotidianae vitae nonnisi latine exprimantur; brevi, semper ibi omnes latine loquantur».

Haec summa orationis fulgidissimae, de qua Praeses praecipuum sibi tulit gratulari oratori felicissimo, et agere gratias quia mirabiliter consenserat de Collegio illo Latino instituendo in hac Urbe omnibus communi adolescentulis. Cuius quidem, quoniam incidit sermo, opportunum ducit, quasi summas quasdam describere

lineas, et coetus universi flagitare sententiam, qua et probent et decernant ut sit.

«Collegium hoc *internationale* Latinum Romae erendum, — vir clarissimus addidit, — tum disciplinas omnes optimas artesque excolet, tum omnia, quae ad iustitiam, ad humanitatem, ad urbanitatem provehendas amplificandasque pertinent; praesertim intendet ad filios roborandos nostros, progeniemque ex istis venturam, ut viri sint saeculo suo pares, iisque imbuantur praceptoribus atque instituantur, quibus late esfulgeat altiusque emineat quidquid latina urbanitas et sapientia et scientia ferunt. Quae ibi adolescentes discent, eos ad vitae dignitatem decusque induendum ita propellent, ut novis temporibus perpetua causa moralis et civilis progressus, et perfectionis non modo sint sibi ipsi futuri, sed etiam apud eos quibuscum agent et vivent».

Unanimi plausu et publico suffragia erectioni Collegii huius latini conferuntur,

Post haec, ad ea redit disceptatio, quae diei primum argumentum erant.

Clarissimus vir dynasta Guillibert et sua et illustris doctoris Charpin, qui ab Aquis Sextiis erat, auctoritate, gallice loquutus, orationem edidit vehementem, floridissimam, quam latinam linguam asseruit communem habendam omnibus, qui philologiae operam navabunt.

Hunc sequutus est clarissimus vir Neno Simonetti, e Spoletino regio lyceo, qui, haec argumentose ferebat: — Quoniam conventus huius nostri maximum est latentes in latinitate vires iterum excitare et dormitantes virtutes expergefacere, quotquot pristinæ dignitati inserviunt collatis sententiis, et auctoritatibus ea praetereuntes, quae exigua et miserrima sunt inter compedes grammaticalium academicarum, ad altiora intendant mentes oculosque convertant, quibus restituatur antiqua cele-



berrimae gentis indoles, et hodiernis moribus, ingenii addita reviviscat. Atque haec animorum vita prisorum sponte aletur et crescat in scholis, si tamen hae sint non carceres, ubi superciliosi, tristes pedagogi taedio animas ciucent, sed iucundus, laetusque quotidianus conventus, quibus auctoritate scriptorum, qui summi in latinis rebus et fuerunt et sunt, in veritatis et magnificentiae inquisitionem opere mutuo assuescant. Latina indoles revirescit et quodammodo resurgit in studio, analogiis et comparationibus litterarum et conditionum idoneis. Vel in primordiis grammaticalibus pars excitationis et resurrectionis huiusmodi puer est, si morphologia, syntaxis ipsa ostendantur in arcanis et penetralibus, non quasi quid arbitrarium, et pro libitu dicentium inventae, demortua ossa veteris ac demortuae gentis, sed quasi speculum necessarium et naturale, sed quasi vis quaedam ab indole ipsa et ingenio erumpens ac defluens, ex qua, veluti ex pellucidis undis, tota emergat pulcritudo animae mentisque latinae. Si Carduccio morem geramus, litterae sunt quaedam emanatio spiritualis, quaedam uniuscuiusque irradatio populi. Hinc non exsangue, non tenue, non gelidum litterarum studium illarum, sed fervens ac serena simul consideratio conditionum omnium, in quibus exstiterunt, modo gaudio, modo laetitia, modo spe, modo sollicitudinibus affectae, prout aetas, prout civilium temporum vices, et consuetudo iubebant; haec, inquam, sint, haec perpendantur, inquirantur; et academicae illae hypercriticae, et rhetorum insanientium crepundia respuantur, repudientur. Qui ea scripsérunt diligentur; dilectio haec reliqua ostendet.

Sed huiusmodi, et ritu hoc incepta lectio, varia sit, et abundans. Latina indoles non illo, aut illo tantum scriptore continetur, sed multiplex, multiformalis est, sed ea est, quae (velim ab omnibus; sit saltem

a plurimis) perfectis exsurgat, quae se-riem temporum, non tempus det, saecula non annos. Idque grave huius aetatis cri-men est, quae latinos auctores ad unum et alterum reducit; felix, eruditissimus, qui viginti paginas discipulus in decem diversis perlegerit auctoribus! Nemo asserat plura omnem ferme occupare animum, absorbere mentem. Breves horae numquid Deus Terminus sunt, qui dimoveri loco non sinat? Recta ratio superfluis disciplini detrahatur, necessaria latinis tribuat. Ecquis vetet e plurimis optima congerere, suum cuique locum constituere, ita instituere ut horis datis conveñiens et aequa sit institutio; ita disponere ut adolescens de cognito, et iure, non de ignoto, nec temere iudicet?

Simonettius finem facit asserens haec se, et sua et aliorum auctoritate dixisse, ut coetus de iis iudicet, subiicianturque ocu-lis et menti clarissimorum virorum, qui stu-diis moderandis et alendis praesunt, ut qui nova hac ratione in latinorum incubuerit ingenium indolemque prisorum, melius, quae late Regis populi fuerunt, agnoscant, cuius nos, etsi diversis regionibus et civi-tatibus orti, et gloriam sentimus animo, et superbia tantae originis mulcemur, nec patiemur unquam vocari *tantorum degeneres filii maiorum*.

Subinde Fornarius latine suo munere functus est, orationem concludens senten-tiam invocando iisdem conceptam verbis, quae Felix Ramorinus, doctor latinis litteris tradendis in athenaeo Florentino, qui sui procurationem apud eos qui conventui adcessent ipsi Fornario dederat, iam ante edixerat: « Haec formula nostra sit: latinus sermo doctrinarum omnium et disciplinaru-m communis est habendum ».

Perpensis igitur omnibus, quae pro re sunt, ab oratoribus, coetus Praeses cuique dicendi potestatem fecit ut libere, siqua contra essent, exprimeret.

Prior eruditus vir, e gallico « Instituto » Derenbourg anticipet se de speratis fate-tur ea potissimum de causa, quia sermo latinus, cui communis linguae nunc munus tribuitur, paucorum in usu tantummodo vivit, hunc pauci noscunt, huius in studium non frequentes incumbunt. Quo quidem conatu incassum eunte, magna inde detrimenta et huius linguae decus acciperet, et maxima fortassis inde gallicus sermo referret, qui regionibus nonnullis certe, nonnullis ferme communis habetur; itaque fiet ut latinae gentes, — nec enim gallica alia est, — dum latino meliora quaerunt, instar Aesopiani canis, bona gallico amittant. Insuper graviter obstat diversa apud singulos populos latini sermonis pronunciatio, qua aliud aliis latinum penitus videtur eloquium.

Consentient auctoratatemque dicentis augent doctores Ilie Gherghel ac Terrier, qui alacriter gallico idiomati laudem lin-guae communis « diplomaticae », ut aiunt, vindicat. Obiicientibus valida reddunt e contra erudi viri Bonafous, Tasset, Val-darnini et nobilis Guillibert; ac post eos Angelus De Gubernatis, affirmans argumen-tum, quo maxime contra latinitatem pugnatur, mirabiliter in obiicientes retor-queri; nova enim et vehementior ingruet cura latinitatis provehendae si, quod tamen negari etiam potest, et parum et a paucis colatur celeberrimus iste sermo, unde in universum terrarum orbem lux tanta pro-cessit. Circa diversitatem pronunciationis vero, notavit ex hac minime facienda infir-mari, quem iam olim talis fuisset, ita ut sermo vulgaris valde a patricio differret, itemque provinciarum sermo a sermone principis Urbis; idque non minus nunc esse in linguis, quae usui sunt viventibus populis. Hae enim non modo a regione et regione, sed vel a pago et pago inter se differunt, quamvis eadem sub civitate apppellentur. Quum igitur minime in prisca Roma, minime in hodiernis gentibus id

officiat, non satis apparet qua de causa tanti faciendum sit argumentum, contra quod et vetus aetas et hodierna testantur. De iis autem, quae timenda putantur ne latinus sermo locum gallici sermonis occupe in colloquiis, sive etiam in scriptis vi-rorum, quibus regendarum cura rerum publicarum est, haec remota nimium a nobis sunt, neque brevi certe futura. Quod si sermo latinus in eam apud civitatum rectores redierit sedem, quam diu occupavit, melius erit gallicae dignitati cessisse locum materno sermoni latino, quam ex-ternae gentis eiusvis. « Ceterum, — addi-dit illustris vir, — futura relinquens geni-bus imposita Iovis, magnum erit mihi, si duo concedantur, pro quibus rogo: I^o ut, quae doctorum virorum coetus, academiae in acta sua deferant, latine scribantur; II^o ut promptuarium latinarum vocum, quae satis hodiernis sint rebus, adstruatur »:

At Fornario haec non videntur sufficere, neque parvo contentum fore se profitetur. Duo haec sancienda sunt, sed postquam tamen praecipua sententia sarta tectaque habeatur, sine qua duo superiora illa esse non possunt. Adversus hanc ambiguitate potius, quam vera causa se mununt, quot-quot se confitentur nutantes, ancipites et incertos. Absit (et operaे pretium est aerte fateri), quod bono sermonis latini excidium aliarum linguarum quis intelligat et mo-liatur. Ecquis enim ita amens sit, ut la-benti fluvio procedentium naturali neces-sitate rerum obsistere posse cogitet, ac de-currentem amnem manibus tentet conti-nere? Et quo animo ipse, qui loquitur, orator ad internacionem patrii sermonis sui suavissimi, ad exterminium italicæ lin-guae contendat, aliosque ad hanc excinden-dam *ostracismo* vocet? « Nos, — inquit, — restauratione latinitatis honorem decusque addimus linguis, quae latinitate processe-runt; nos non abrumpimus, sed iter ster-nimus viantibus in meliora populis et ma-gna cum laude procedentibus ». Atque hic,

iuventute afflatus, in lyricum quoddam erumpit soluta oratione concinnum, quo humanitati, cultui civili et progressui gentium, non minus quam ipse, auditores abripiuntur in conclamaciones et in sententiam hanc statuendam, quae bona, fausta, felix civitatis latina ab origine ceterisque omnibus sit cessura.

Sententia constituta est huiusmodi:

Latinorum conventus Romae die XVI mensis Aprilis an. MDCCCCIII primum congregatus vehementer expletat et poscit:

1) *ut sermo latinus inter gentes universas communis habeatur et adhibetur ad humanitatis commercium fovendum, augendum, tenendum;*

2) *ut collegia coetusque doctorum acta sua, compendio saltem, latine patescant;*

3) *ut universi discipuli sermonem latinum ad colloquia advenarum, peregrinorumque conversationem, interrogantium, vel sciscitantium, in ludis etiam primariis discant;*

4) *ut ad hoc propositum facilius assequendum libelli de rebus quotidiani usus a peritis pura latinitate lucidi terisque scribantur.*

Haec in primo illo latinitatis conventu, quibus neci posse, imo debere putamus alterius huius labores.

ALMA ROMA

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De coniunctivo.

Coniunctivus usurpatur 1º) vel *absolute*, i. e. quum non dependeat ab ulla propositione primaria; 2º) vel *dependenter* ab aliqua propositione primaria.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 1. - Coniunctivus *absolutus*

Quatuor¹ sunt rationes usurpandi coniunctivum absolute, quos grammatici vocarunt modos aut diversos sensus coniunctivi: sensus *potentialis*, *optativus*, *concessivus* et *conditionalis*.

I. - Coniunctivus *potentialis* nude ac simpliciter exprimit actionem fieri posse;² v. g.:

¹ Coniunctivus dependens ab aliqua particula semper significione sua referri potest ad unum ex his quatuor modis.

² a) Quae significatio est vel propria coniunctivi. Coniunctivus enim generatim exprimit actionem, in una e tribus temporis partibus, posse existere; sive, ut ita dicam, possibilatem actionis enuntiat. Sic, quum dico: *timeo ne legat*, legendi actionem conspicio ut talem quae exsistere possit; sed non affirmo cius exsistentiam. Quum dico: *Si multum legeres*, doctus evaderes, pariter actiones legendi et evadendi doctus non existunt nisi in meo conceptu, quo eas posse exsistere intelligo et enuncio.

b) Modus *potentialis* est vel *praesentis* vel *praeteriti*. Prior usurpatur, si de praesenti agitur; posterior, si de praeterito; v. g.: *Si a corona relictus sim*, non *queam* dicere (Cic., *Brutus*, 52, 192). — Magnitudo animi, remota a communitate coniunctioneque humana, feritas *sit* quaedam et immanitas (Cic., *De Off.*, I, 43, 157) — *Scriberem* plura — Omnes quos *conuoverim* — *Maluisse* abesse.

N.B. — Prior tamen loco posterioris interdum usurpatur; v. g.: *Comprehendi* iussit. Quis non *pertinet*? (Cic., *De Supplic.*, 6, 14).

c) Praesens et perfectum coniunctivi *potentialis* exprimit id quod fieri potest, potuit aut poterit; imperfectum et plusquamperfectum quod fieri non potest aut non potuit; v. g.: *Ubi istum invenias* qui honorem amici anteponat suo? (Cic., *De Am.*, 17, 64). — *Incident* igitur eos qui audiunt. Quid? Ille *incident?* (Cic., *De Fin.*, IV, 3, 7). — *Ego te videre noluerim?* (Cic., *Ad Quint. fratrem*, I, 3, 1). — Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? (Cic., *De Fin.*, II, 17, 55).

d) Modus *potentialis* in *praesente* et *perfecto* coniunctivi plerumque non est nisi mitigatus quidam modus exprimenti *praesens* aut *futurum* indicativi, et quoad sensum cum eo congruit. Interrogatio autem, si adest, per negationem solvit; v. g.: *Quis dubitet* quin in virtute divitiae sint? (Cic., *Parad.*, 6). — *Mirer*, si vana vestra ad plebem auctoritas est? (Tir. *Liv.*, III, 21). — Non facile quem *dixerim* plus

Quis sapiens bono *confidat* (= potest confidere) fragili? (Senec.).

Dies *deficiat*, si velim numerare quibus bonis male evenerit, nec minus si commemorem quibus improbis optime (Cic., *De Natura deor.*, 3, 32).

Quid *facerem*? Neque servitio me exire licebat, nec tam praesentes alibi cognoscere divos (Verg., *Eclog.*, 1).

Haud *negaverim* suspectam vobis esse punicam fidem (Tit. *Liv.*, XXX, 30).

II. - Coniunctivus *optativus* optat ut actio exsistat.¹

Valeant cives mei! (Cic., *Pro Mil.*, 34, 93). Serus in caelum *redeas* (Hor., *Od.*, 1, 2).

Omnia *di facerent* essent communia nobis! (Ov., *Metam.*, 9).

studii adhibuisse (Cic., *Brutus*, 41, 151). — In iussu tuo, imperator, extra ordinem nunquam *pugnauerim* (Tir. *Liv.*, VII, 10). — Claros nomine sapientiae viros nemo *dubitaverit* studiosos musices fuisse (Quint., I, 11). — Hoc sine ulla dubitatione *confirmaverim* (Cic., *Brutus*, 6). — Sic dicimus: *Forsitan quaeratis* — *Forsitan* aliquis *dixerit* — *Sic velim* existimes — *Nemo istud tibi concedat* — *Quibus hoc credat?* etc.

N.B. — In his perfectum coniunctivi considerari debet ut positum pro praesente, eadem ratione qua futurum exactum interdum ponitur pro simplice (Cf. ALMA ROMA, *De temporibus verborum*, VIII: *De usu temporum*, ann. 1932, p. 187, Nota).

a) Praesens et perfectum coniunctivi significant id quod in optatis est posse aut potuisse exsistere (*optativus realis*); v. g.: *Di tibi dent* quaecumque optes! (PLAUT., *Asin.*, 46). — *Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta!* (VERG., *Aen.*, VI, 62).

Imperfectum autem et plusquamperfectum significant exsistere non posse aut non potuisse (*optativus unrealis*); v. g.: *Urbis periculo commoverentur!* (Cic., *Pro Sest.*, 24, 54). — *Pateretur!* (TER., *Heaut.*, 202).

b) Modus *optativus* non raro sibi praepositam habet unam ex optandi particulis *utinam*, *modi*, *osi*; et, accidente negatione, **utinam ne** vel **ne** simpliciter, frequentius quam **utinam non**. — Exscrando autem solum usurpatur **ne**; v. g.: *Utinam ea res ei voluptati sit!* (Cic., *Ad Fam.*, XIV, 1). — *Modo valeres!* (Cic., *Ad Attic.*, XI, 23, 1). — *O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos* (VERG., *Aen.*, VIII, 560) — *Iltud utinam ne vere scriberem* (Cic., *Ad Fam.*, V, 17). — *Utinamque non peiora vincant* (Quint., *Instit. orat.*, IX, 3, 1). — *Ne sim salvus*, si alter scribo ac sentio (Cic.), — *Ne poposcisses!* (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 3),

III. - Coniunctivus *concessivus* concedit ut actio exsistat; ¹ v. g.:

Rapiunt frumenta ex agris nostris! (Tit. *Liv.*, II, 31).

Ierit Ligarius ad bellum! (Cic., *Pro Ligari.*, 12).

Fuerint (Pompeiani) cupidi, *fuerint* pertinaces... etc.... (Cic., *Pro Ligari.*, 6).

IV. - Coniunctivus *conditionalis*, imperfecto aut plusquamperfecto coniunctivi significat actionem non posse exsistere, nisi posita quadam conditione;² v. g.:

Si defendere possem Volaterranos, nullum officium *practermittorem* (Cic., *Ad Fam.*, XIII, 4).

Si meis laudibus obtemperasses, maximam laudem *adeptus* es (Cic., *Ad Fam.*, XVI, 22).

An iste unquam de se bonam spem *habuisset*, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? (Cic., *Verr.*, Act. 1).

(*Ad proximum numerum*).
S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

¹ Hic modus solum frequentatur in praesente et perfecto.

² a) Modus *conditionalis* nunc *irrealis* a plerisque grammaticis nuncupatur.

b) Modus *conditionalis* legitur interdum sine apposita conditione. At ea nihilominus semper suppleri potest; v. g.: *Non est ita. Nam et solidinem fugeret et socium studii quaereret* (si esset ita) (Cic., *De Off.*, I, 44, 158). — *Credentes* victos, (si nescires eos esse victores) (Tir. *Liv.*, II, 42). — *Qui viderent equum Troianum introducum, urbem captam dicerent* (Cic., *Verr.*, IV, 23).

c) Imperfectum pro plusquamperfecto nonnunquam usurpatur; v. g.: *Facrem* (= fecissem). At non vice-versa.

d) Plusquamperfectum indicativi locum quandoque tenet plusquamperfecti modi *conditionalis*, v. g.: *Perierat* (= periisset), si id contigisset.

e) Quum plusquamperfectum modi *conditionalis* a locutionibus pendet quae coniunctivum postulant, fere in participium futuri activi migrat cum **fuerim** aut **fuerissem**; v. g.: *Haud dubium est quin id futurus fuerim* (= fecissem), si voluissem. — Apparuit quantam motem *excitatura fuerit* (= excitavisset) vera clades (Tir. *Liv.*).

IN CRUCEM VICTRICEM

CARMEN SAECULARE

VERTENTE UNDEVICESIMO ANNO CENTENARIO
AB REPARATA HOMINUM SALUTE

Regnavit a ligno Deus!

*Bis, Christe, denis brachia saeculis,
amantis instar, Golgota ab arduo
expandis, in signum levatus
conspicuum populis per orbem.*

*Olim pudendo gens tua, vocibus
Te vovit altis, perfida, funeri,
compendium terrae polique
dedecori dare certa nomen.*

*Molimen amens! Scilicet omnia,
(sic ante fatus) iugiter attrahis,
Iesu, tibi, et cursum vicesque
historiae moderaris, usque
victor cruenta solus ab Arbore.
Frusta tuorum sanguine martyrum,
ab plebe circenses petenti
romuleae maduere arenae.*

*Abrepta fluxu temporis, occidit
fortuna et ingens gloria Caesarum...
Crux dirutas propter columnas
ardua stat Capitoli in arce.*

*Dum barbarorum valla per Alpium
incumbit oras nimbus in italas,
desaevientes Ipsa turbas
excipit ad latices salutis
atque efferata deterit indole.
Exinde surgit gens nova, iureque,
o Christe, non armis, sed orbem
diceris edomuisse ligno.*

*Europa leges docta capessere
tuas, peritis splenduit artibus,
Turcasque ab Aegaeo minaces
continuit scythicis in arvis.*

*Osus cucullum, laxat at impius
in Te Lutherus frena licentiae,
ac rursus expavere gentes
barbariem redisse terris.*

*Quid? Se Columbus, Te duce et auspice,
formidoloso creditis aequori,
immensa terrarum recludens,
regna Crucis nova mox futura.*

*Stant iussa, flecti nescia, Numinis,
nec saeculorum lapsus euntium,
nec turpis error, nec tumentes
solivagae rationis ausus,
non irae et astus imperitantium,
lateque bacchans saeva rebellio
fatale decussere Lignum,
continuis radians tropaeis.*

*Quin usque in illud, quidquid honestius
est stirpis Adae suspicit anxius,
ceu mortis et vitae levamen,
praesidium columenque mundi.*

*Nedum residat, saevit at acrius
hostile saeculum, si queat inclita
vexilla deturbare Christi,
pollicitum meliora terris.*

*Heu, christiano sanguine Mexicum
passim rubescit! Plorat Iberia,
Sectae ob dolos votiva templa
sacrilegis populata dextris.*

*Quid quod negatur ius quoque civicum
Iesum professis, immiserabiles
quos cogit ultro discupitis
impietas dare terga claustris?*

*Extincta caelo sidera, russica
lymphata garrit plebs operaria
rerum potita, ac paene abactum
aetherio solio Tonantem.*

*Incerta nutant corda! Quid ingruens
spectabit aetas? En agit invicem
gentes simultas, aemulatas
arma magis nocitura in hostes*

*immane quantum cudere. Ferreas
cerno carinas aequora scandere,
mersosque fluctu nare furtim
navifragos, nova monstra, lembos.*

*Sudo phaselus perstrepit aliger,
mox vastitatis nuncius urbibus,
seu grandinet spheras, crepentes
tela simul vapidumque virus,
seu dira mortis germina depluat.
Vocalis oris capsula bellicos
fervore cunctis adparatus*

*edocet, intereaque ineptos
miscet canores. Quaelibet aggredi
humana late gens fremit impotens,
frustra, genevensi, sequestro,
concilio recinente pacem.*

*Quis dissidentum denique stirpium
componet iras? quis minitantibus
obsistet armis? quaeve posthac
fata manent lacrimosa terras?
Utcumque fallax vertitur alea,
sepulcra, fasti, saecula concinunt:
Stabit, fatiscentemque victrix
Crux iterum renovabit orbem!*

V. GENOVESI S. I.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

De bellica machina « tank » iterum.

ANDREAS AVENARIUS S. V. D. EMMANUEL
JOVÉ C. M. F. s. d.

Tandem idoneam nactus occasionem
respondendum duxeram litteris abs te ad
me datis VII. kal. Nov. Qui ego, quum te
interrogabam, quid *tank* esset, suspicarer
paulo post *tancicam* spectaturum esse, *pugnam*? Sed tamen magnam habere mihi
quidem videtur ea pugna utilitatem, nam
quum calent studia, ultro subeuntia vocabula
efficiunt, quo facilius nascatur planus
ille vividusque, quem commentariis Latine

scriptis imprimis commendandum suscepimus, sermo. Fuerit non inutile imitari interdum Rupertum, fratrem meum, vigilem, qui, ubi dixerat, quod duriusculum sonuisse animadverteret, ridicule addere consueverat: « Weisst, dass ein Diskurs ist » hoc est: « At scin' hoc sermonis gratia dixi », « hoc dixi, ut procedat sermocinatio » — Sed vides crescere sermocinationem hance, quum negotia trudant negotia et pastoralibus auxiliis ferendis res adeo mihi redierit, ut ex hebdomadibus factae sint pentades, sabbatinis et dominicalibus horis collocatis in sacro, ut dixi, munere.

Iamvero accipe pugnae tanciae arbitrum. Primum ipsa vox, quae est *tank*, vi et origine nequaquam refert illud bellicum monstrum; sed ita appellatur, quod sit simile cistae ex ferreis factae laminis, in quam infundi solet aqua et oleum et benzinum, quae cista a Britannis *tank* dicitur. Quin nos, novo vocabulo, quum ex tali receptaculo alimentum subducimus dynamicis birotis nostris, eam actionem *tanken* dicimus! Usus efficit, ut, quoties insonuerit in rebus militaribus bellicisque *tank*, exemplo menti nostrae subiciatur bellica illa machina formidolosa sagatis atque togatis. Nos, ut Latina proles, nomen quaerimus magis proprium. Hic autem confessus me non novisse, quod huic machinamento, et huic soli esset accommodatum nomen, adiuste. Antequam tu respondisti, Fornarius, quem inscitiae miserebat meae, quae olim ad rem ipse proposuerat in *Alma Roma*, misit, qua pro re Deus ei faveat! Tria vidi ab eo proposita vocabula: *castellum*, *helepolim*, *testudinem*; idonea, meo iudicio, singula, maxime testitudinem ab Vitruvio descriptam. Postea, quum tu *essedum* tetigisses, principio sperabam rem te tetigisse acu, gaudebamque. Nam obversabatur animo illa Gallorum perequitatio *essedum* circumuersio. Sed quum Fornarius litteris incitatus diligentius relegisset descriptionem Caesaris, etsi *essedum* relin-

quebantur, quae huic testudinum generi optime convenirent, tamen periniquum esse coepit, quod illa Gallorum vel Britanorum curricula iuncta equis ex ipsa pugna removebantur, haec «*tanca*» in medios hostes feruntur, sternendos terendosque. Nuper igitur in aprico sole iacentis animus in hac tancica re defixus investigare coepit vias nominis rectoris. In quae tum inlata cogitatio est, tibi mecum volebam communia. *Proeliaria curricula* inquam, si vocemus, ad verbum reddiderimus Germanorum *Kampfwagen*, sed aeque improprie. Si quid novandum est, haud scio an mechanica *tanci* ratio commodule significetur ab eo, qui vocet ea monstra bellica vel *discursoria*, vel *contribula*, vel *intertritoria* vel *obtritoria*, vel *circumcurricula*. Et quia Vitruvius describens testudines Fornario tamquam oculis subicere videtur recentem belli machinam, testudines certe appellabimus, sed aliquid tamen lucis videatur accedere, ubi ad testudinem apposuero epitheton, ut *tancam* sit *testudo discursoria*, vel *contritoria*, vel *interterritoria*, vel *obtritoria*, vel *demessoria*, vel *circumvaga*, vel, quoniam in ea sedetur, *insessoria*, quibus nominibus feminini generis, etiam omissa testudine, vim substantivam tribui fas esse videtur.

In gentium bello Germani fabricaverunt *granata*, quorum diametrum vel dimetiens esset centimetrum duorum et quadraginta, cui generi ab militibus *crassae Bertae* nomen statim inditum est. Sic ego, ratione simili, quum video admoveri intertritorium colossum, statim sociis Latine doctis significabo *assultare (aeneum) bufonem*; proinde caveant.

Haec igitur ego apricans. Video sane te subridere ineptias legentem amici, neque te ego vetuerim. — Quod reliquum est, tu diligenter cura valetudinem, qua nullum donum praecarius in vita a Deo sit datum. Iterum atque iterum vale.

Kalendas Aprilibus MCMXXXIX.

COLLOQUIA LATINA

XVI.

Triclinium¹

ARISTIDES, LEONARDUS.

ARISTIDES — Quid tu tam sero surgis et quidem semisomnis?

LEONARDUS — Mirum est me esse toto die hoc experrectum; adeo heri edimus et bibimus.

ARIST. — Immo, ut appareat, devorasti, ingurgitasti, obruisti te epulis et vino. Sed ubinam onerasti celotem?

LEON. — Apud Guidonem in convivio.

ARIST. — Quin potius more graeco *symposion* vocaveris, quam latino verbo *convivium*?

LEON. — Bucca buccam impellebat, intitraise et condimenta villicabant atque instigabant desidentem stomachum, et appetitiam non patiebantur delassari.

ARIST. — Refer, quaeso, ordine omnia, ut vel auditione ipsa videar mihi interesse et quasi vobiscum potare, ut ille in cappa duos grandes panes comedit ad odorem perdicis assae, quo odore utebatur pro oxonio.

LEON. — Quis enarrabit onfria? Maius negotium id fuerit, quam vel emisse vel apparasse, vel, quod omnia superat, comedisse.

ARIST. — Assideamus in hoc saliceto ad crepidinem huius ripulae, et quando sumus otiosi, pro colloctione altis de rebus utemur hac ipsa. Gramen erit nobis vice pulvinorum. Innitere hac ulmo.

LEON. — In herba? An non humor nescibit?

ARIST. — Quid? Insanis? Humor in ortu caniculae?

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

LEON. — Antea recusabam, nunc animus prurit mihi recensere tibi plus quam postulas: de convivio solum quaerebas: accipes etiam de domino et de triclinio; rogas ut loquerer, efficiam ut mox paulo silentium roges, indices, imperes, ut tibicen qui ad canendum obolo conductitur, ad tacendum tribus.

ARIST. — Tu vero quantum libuerit, non eris molestus, quandoquidem in opaco loco consedimus, et orationem tuam carduelis illa vel adiuuabit, vel ad harmoniam moderabitur, ut orationem C. Gracchi servus fistulator.

LEON. — Quid isthuc est rei?

ARIST. — Postquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis, de Gracculis, et de Graeculis.

LEON. — Deambulabamus forte transverso foro ego et Theodorus nacti plusculum otii, quam solemus; adiunxit se nobis Guido. Is a nobis, post primas salutationes et blandum congressum, coepit vehementer contendere, ut postero die, qui fuit hesternus, apud se essemus. Excusare nos primum, alias alia: ego autem vadimonium grave apud Praetorem. Sed ille, ut libenter ostentat suam magnificentiam, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonem. Quid multa? Addiximus ne molestus esse pergeret.

ARIST. — Scis quaenam fuerit causa convivii?

LEON. — Quae tandem, quaeso?

ARIST. — Est quidem ipse homo locplex, ornatus argento, veste, supellectile, sed emerat phialas argenteas tres deauratas, et pateras sex: perisset pretium, ni aliquot invitasset, quibus ostentaret, et alioquin eum ille existimat esse divitiarum fructum, habetque uxorem, a qua extimulatur ad profusionem, quam illa magnificantiam nuncupat.

LEON. — Heri ergo, sub meridiem, convenimus in eius triclinium.

ARIST. — Qualis erat coenatio?

LEON. — Hypaethra, in opaco frigore. Omnia optime apparata, ornata, exulta; nihil deerat ad elegantiam, splendorem, et lautias. Sane primo ingressu exhilarati sunt omnium oculi et animi aspectu illo pulcherrimo atque amoenissimo. Erat abacus ingens, plenus bonis vasis materiae omnis, ex auro, argento, crystallo, vitro, ebore, murru: alia etiam vilioris materiae stannea, cornea, ossea, lignea, testacea, seu figlina, in quibus ars commendabat vilitatem substantiae; nam erant toremata permulta, omnia expolita, extersa: fulgor pene perstringebat oculos. Illic vidisses duo magna malluvia argentea, oris deauratis; umbilicus erat aureus cum insignibus illius. Habet utrumque malluvium suum gutturi, quorum epistomium erat deauratum; stabat et alterum acquiminarium vitreum, fistula deaurata cum poliubro figlino, operis Veneti probe sandracato. Phialae omnis generis, et argenteae duae ad vinum generosissimum.

ARIST. — Ad usum meum ampullas vitreas malim, aut etiam testaceas.

LEON. — Quid facias? Ita est hominum ingenium: non tam in his queritur commoditas, quam opinio divitiarum.

ARIST. — Isti opulentissimi saepius videntur aliis tales, sibi inopes: ideo nullus finis praeferendi et ingerendi oculis, praesertim qui nullam habent etiam bonam artem, qua fidant. Sed perge.

LEON. — Erat cymatium abaci tapete villoso tectum, de Turcia usque allato. Positae erant duae mensulae procul ab abaco cum quadris et orbibus argenteis: unicuique additum erat suum salinulum, cultellus, panis, et mantile. Sub abaco refrigeratorium, et oenophora grandia. Hic illic sedilia varia: sellae, bisellia, subsellia, et dominae sella plicatilis parata, visendi operis, cum pulvino serico et suppedaneo.

ARIST. — Pone tandem mensam et explica mappam; nam mihi intestina prae fame rugiunt!...

LEON. - Erat mensa cibila ingens, segmentata operis tessellarii antiqui, quae Principis cuiusdam fuerat.

ARIST. - O mensa antiqua, quam dispar domino!

LEON. - Illam ipse emit in auctione satis magno pretio, solum quod illius fuisse, ut aliquid haberet Principis. Datur aqua lavandis manibus primum magnis recusationibus et invitationibus mutuis, et cedendo invicem. Idem factum est in consessu, quum quisque se inferiorem altero faceret, illum extolleret comitate arrogantissima, quum unusquilibet potiorem se omnibus censeret. Sed dominus iure suo distribuit loca. Sacrata breviter et perfunctorie mensa, explicat quisque suum chiromaestrum, et iniicit super humerum sinistrum: hinc cultello repurgat panem, si quid non satis putabat a ministro purgatum; nam decrustatus erat appositus.

ARIST. - Sedebatis commode?

LEON. - Nunquam commodius.

ARIST. - Non potuistis male prandere; nam reliqua facile est colligere suppeditata fuisse redundanter.

LEON. - Imo tam copiose, ut nusquam verius copiam ipsam nocere! ...

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE « MICROUNDIS » IN COLLE VATICANO.

Die undecima superioris mensis Februarii in statione radiotelegraphicā vaticana instauratus est novissimus complexus radiotelegraphicus per undas, quarum frequentia quingenta viginti sex millia milium cyclorum per secundum temporis attingit, et quarum longitudo ad quinquaginta septem centimetra computatur.

Systema ab ipso Marconi inductum est et a machinatore Mathieu curatum.

« Lampades oscillatrices », quae tum in sistema emittente tum in recipiente adhībentur, illius generis sunt, quae nomine *Barkhausen* designantur, in quibus frequentissimae oscillationes, in spatio quod circa cratem, inter laminam et filamentum intercedit, excitantur.

Ex triodis autem oscillationes inducuntur in circuitum bifilarem typi Lecher, et hinc ad aereum radians, fibula quadam metallica paucorum centimetrorum longitudinis constans.

Simili quodam modo etiam sistema recipiens constituitur.

Tum istud tum illud in foco speculi parabolici ponitur.

Stationes quae huiusmodi complexu polent, specula ex adverso utuntur, ita ut radii ex altero manantes ad horizontem procedant.

Quamvis huiusmodi sistema aliquot iam ab annis experimenti causa cognitum sit, nunquam tamen in praxi huc usque inductum fuerat, ita ut statio radio vaticana prima e tunica nunc exstet, quae microundis utatur.

Stationi in Colle Vaticano positae respondet simillima in Palatio Apostolico Castri Gandulphi, et propriae communicationes tum telegraphicæ tum telephonicae fieri possunt. In telephonia modulatio undae portantis fit per variationem frequentiae.

Vis ab emittente elicita attingit plura decena wattorum.

Communicationes non inficiuntur nec staticis atmosphericis, nec inductionibus, et attenuaciones, quae vulgo *fading* dicitur, nesciunt.

Summus Pontifex Pius XI, qui Ipse huiusmodi instauracionis auctor fuit, voluit et praesens eam inaugurate, et systematis descriptionem ab ipso Marconio audire, et experimentis praesesse.

I. GIANFRANCESCHI.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 506. - Ait GALENUS (*De alimentis*, 3): Lac asinæ raro in ventriculo cogitur: quod si lac et mel addatur, non fieri potest, ut ipsum in ventriculo coaguletur. Et addit STOLL: Modus adhibendi lac cum thea et melle plurimum arridet, coagulum autem praepeditur et sapidius, addito sale, redditur. Lac saccharatum adiecto sale aequa convenit.

§ 507. - Verum illud comperit BALLONIUS: Qui a levi sudore somni sunt expertes, et rursum ardore febrili conflagrant, malum; nam qui bene iudicantur suaviter dormiunt.

§ 508. - Caloris revocatio et absentia, febris exacerbatio et sine causa manifesta remissio, solet esse frequens in febri tertianam referente continua. GALENUS ait febres has diebus decretoriis deterioriores fieri.

§ 509. - Vedit BALLONIUS mulieres aliquot et viros quibus familiaris renum dolor est gravis et pungens, qui saepe conqueruntur de dolore lateris veluti si pleuritis aliqua costas occuparet, quum tamen nil sit tale.

§ 510. - Ait GALENUS: Lac ubi cruditas in ventre patitur, in frigidiori acescit, in calidiori amarum, nidorosum efficitur. Item HIPPOCRATES asserit: Malum lac in acutis febribus et quibus biliosae sunt dejectiones.

§ 511. - Ait BALLONIUS: Et observavi, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alvi, asinimum lac praescribi: repressa humorum malignitate, lactis bonitate alvus magno commodo substitit. Aliis quibus alvus adstricta, leve profluvius usu lactic contigit, et profuit. Hic observat STOLL: Quaeritur, in quibus alvi profluviis lac proposit? Quibusnam alvum molliet? Credo iis, qui intestinis resiccatis, fibrisque adstrictis donati sunt; his enim pars buty-

racea alvum modicum reddit. Subinde hydrogala pree lacte conveniet, aut lac cum melle mixtum.

§ 512. - Ait GALENUS (*De alimentis*, 3): Lac asinæ raro in ventriculo cogitur: quod si lac et mel addatur, non fieri potest, ut ipsum in ventriculo coaguletur. Et addit STOLL: Modus adhibendi lac cum thea et melle plurimum arridet, coagulum autem praepeditur et sapidius, addito sale, redditur. Lac saccharatum adiecto sale aequa convenit.

§ 513. - Ait CELSUS (Cap. 22, 1, 3): In phthisi sicut in omnibus longis, difficilibus febribus, lac dare commodum est.

§ 514. - Quidam aegrotabat dolore nephriticō acuto: vomitiones, urinae plenaria suppressio. In cadavere tamen solus renis sinister calculo obturatus inveniebatur.

§ 515. - Multi medici putabant, vitium in utroque rene haerere, aut in vesica ipsa, aut utrobique. Sed eos eventus fellit.

§ 516. - Temperamento bilioso praeditus, emaciatus, habet calidam hepatis intemperiem, ventremque adustum.

§ 517. - BALLONIUS observat fluxus hepaticos rarissime esse chronicos.

§ 518. - BALLONIUS ait: Calidas intemperies nunquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vitirosorum humorum vomitus. In intemperie frigida non dicitur appetitus, sed potius angetur desiderium cibi.

ANNALES

Ad pacem orbi universo comprandam.

Dum Societatis Nationum Supremum Concilium formulam ad concordiam program Boliviensi et Paraguaianae civitatis suadet, ad controversiam dirimendam de

¹ Cfr. fasc. mens. Octobre MCMXXXII.

proprietate Chaco regionis; itemque Peruvianos Columbianosque ut a vi abstineant impellit, utque suis de finibus iudicium relinquant legato a Societate apud eos mittendo, Mac Donald, Anglici gubernii praeses, nova escogitata Concilio eidem sua patefecit de pactione ineunda circa discessum ab armis. Haec per annos quinque vigere deberet, intra quod tempus stabilis Coetus a Nationum Societate delectus in armorum per gradus procedentem reductio nem intenderet, simulque quaestiones de re nondum solutas explanaret. Vix rogatione hac lata, Musolinus, Italorum administratorum primus, ipsum Mac Donald, eiusque collegam Simon, Romam invitat, ibique iis ampliora profert, consilia nempe ad maximarum quatuor occidentalium nationum (Angliae, Galliae, Germaniae et Italiae) sociam operam promovendam, per quam in pactione Kellog iamdiu inita, et in mutuis promissis nunquam ad vim confugiendi, Europae non solum, sed orbi universo diurnae pacis dies comparentur. Illis ipsis fere diebus Colman quoque De Kanya, novus exterarum rerum apud Hungaros administer, in Italianam venit, plura que colloquia cum Musolinio habuit.

Oh! tandem aliquando sperare liceat, fore ut laudabilibus hisce incoepitis exitus optatissimus respondeat, nimiisque adhuc effusis incassum verbis facta succedant!

Teutonicae res.

In Austria gravis dissensio intercessit inter publicum legatorum Coetum legibus ferendis administratorumque Collegium, quod Reipublicae Praesidi, sua auctoritate, iura nonnulla transtulit atque tribuit, quae hucusque Coetus ipsius fuerant.

Ex parte sua Hitlerus in Germania legem perfert, qua potestas omnis ad mensem Martium usque anni MCMXXXVII Guber-

nio tribuatur, statimque per eam ad Communistarum factionem destruendam viriliter procedit.

Civitatum Septentrionalis Americae Foederatarum novi Praesidis actiones.

Et Rooseveltus omnem sibi vindicat potestatem, quo oeconomicam rem in discrimen adductam restituat. Quod se nunciat praesertim aucta parsimonia in aerarii administratione et pecuniam mutuam accipiendo facturum. Quod ei benevertat.

Funera.

In Somaliae oppido, ab eo condito et nuncupato, die xviii huius mens. Martii, vita funetus est Aloisius e Sabaudica regali gente princeps, Aprutiorum dux, vir magni ingenii et virtutis: altissimos Eliae, Ruvenzori, Karakorum montes, glacialis oceani maria ad polum prope, fluminis Uebi Scebeli aliaque Africana loca audacter exploravit, strenuus praetor navalis in bello extitit patriasque colonias assidue in pace coluit. Natus erat Madriti d. xxix mens. Ianuarii MDCCCLXXIII.

Sacri Iubilaei initium.

Dum scribimus, die i mens. Aprilis, Summus Ecclesiae Pontifex Pius XI Sacrum Iubilaeum, ad saecularia Dominicæ Redemptionis celebranda indictum, solemnni ritu inaugurator. Christus, qui Unus potest, in pace et ordinis tranquillitatem universum orbem Is constitut!

Non valde gaudere debemus quando laudamur, nec contrastari quando vituperamur; quia nec depravare inturiam, nec coronare potest laus.

S. AUGUSTIN. in Epist.

VARIA

Incendium Veneti navalis armamentarii.¹

Anno MDIX, Venetiis, claro ac sereno die, urbanis in navalibus, dum pulverem ad tormenta exercenda confectum, in arcuas ligneas operae infarciant, ictu mallei favilla emicuit. Ea ingentem eius pulveris acervum comprehendit, disiectisque immani cum fragore ac tonitru terraeque motu eius conclavis, in quo asservabantur, parietibus et tecto, ut lateres, tegulas, asseres, tignaque ipsa longo per aera tractu volantia ignis vis atque impetus in diversa tulerit, fumo et caligine urbem totam puncto temporis integens, civitatem perterrefecit; senatusque, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit. Eo igni et cadentibus passim iis, quae sublime erant, fragmentis, ex fabrûm collegio quamplurimi, magisterque ipse fabrûm et honesti homines aliquot interierunt: habitaque pro ostentu res fuit.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM PASCHALIUM ORDO:

Pileoli Bononienses in gallinaceo iure fluitantes.

Obsonia varia fricta.

Pipionum mattea.

Bracteae ex ovis.

Agnus assus cum acetariis.

Libum Paschale.

¹ Ex P. BEMBO.

Iocosa.

Tuccius ante horologium horam duodecimam indicans:

— Unde sciam utrum dimidium diei referat, an noctis?

Tuccius in schola.

MAGISTER. — Quo se contulerunt Noe filii, quum e paterna domo migrarunt?

Tuccius. — Sem in Asiam, Iaphet in Europam, Cam autem in Africam.

— Atqui, in Americam?

Tuccius, post aliquam moram: — Christophorus Columbus!

Acnigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)

DOMUS QUIES.

II.

Littera, de liquidis quae una est, pars prima;

[secunda]

Vox dubii. Ut, lector, nes praecipit ultima;

[totum]

Errans quod populus loca per deserta comedit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Saturnus*; 2) *Pelix*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. A. HAB... *Tirschenreuth*. — Moram doleo; ominor salvos ambos incolumesque ad exoptatum illum diem nos mansuros. Interim, non ego tuae, sed tu, hospitii gratia, ad Romanam pronunciationem te disponas! De ceteris plurimas tibi gratias ago.

Cl. v. I. TASS., *Tonnerre*. — Habeas et tu gratias amplissimas!

A SECRETIS.

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[16]

Sed ad descendendum aptum non esse cognitum est postridie III Nonas. Pervenit erat ad locum, unde promontorium Crozier distabat versus occidentem chilometris novem. Nihil hīc postremis octo annis mutatum erat. Nam adhuc stabat, quem hīc fixerant longius, et Wilson affirmabat magnae illius glaciei marginem adhuc ad eosdem atque tum promontorii scopulos desinere. Demittitur navigiolum in undas, quo Scottus paucis comitatus ad ipsum litus remigavit, ut de egrediendi facultate ex propinquo cognosceret. Sed nulla ostensa est. Praeterlabantur inter saxa promontorii, -quae maiorem partem sunt tophus eruptivus inclusis magnis columnis basaltæ. Sub quodam saxo imminentre ceteris iocantur se profecto non diu victuros esse, si casu tantilla rupes resoluta daret ruinas. Et animo anxii ad navem conversi ducenta vel trecenta metra navigiolum suum propulerant, quum repente post terga eorum fit fragor et atra pulverum nubes prospectum aufert viris: nam illa ipsa rupes in massæ deciderat. Neque ulla pars huius septemtrionalis littoris insulae Rossiae spem dabat commondioris egressus. Profecti igitur pridie Nonas superant promontorium Bird, incubationibus celebre pinguinorum, et glaciei flumen, et pervenient in canalem apertæ aquæ, in qua praetervehuntur littora rigentia glacie. Mirantibus atque gaudentibus in conspectum veniunt ad dextram montes iam pridem cogniti et e regione antarctica mons Discovery. Atque in libera aqua praetervolant promontorium Royds et promontorium Barne, et circumvecti insulam, inaccessibilem pauca chilometra versus antarctidem legerunt. Tum vero

advocato consilio ex multis locis idoneis hibernaculo elegerunt locum promontorii cuiusdam, cui «rapacium larorum» nomine dare antehac consueverant. Nam ex loco vix unquam futurum esse videbatur, ut secernerentur a glacie Rossi, qua iter esset ad polum. Appulsa igitur navis est ad firmam glaciem, qua tegebatur sinus freti Murdonii anchorisque firmata. Scottus et Wilson et Evans per glaciem freti spatio chilometrum trium accesserunt ad promontorium, quod hīc mutato nomine promontorium Ewanum vocatum a Scotto est ex nomine comitis, qui se optimum præstisset praefectum navis. Ipsa ora aptissima esse videbatur statio. Saxum erat arénaceus olivinus, et locus versus septemtrionem cum occidente compluribus tectus erat collibus. « Sic nobis », inquit Scottus, « post longam invidiam Fortuna mitis arsisit. Nacti hīc sumus malaciam horarum viginti quattuor splendente usque sole, ut nobis in hac mundi regione esset iucundissimum. Hic calor solis permixtus huius caeli frigoribus robur afferre videtur corporibus, et purpurea lux his montibus et glaciei irradiata huic tamquam scena magnificientiam aspirat omni expectationi maiorem; quam magnificientiam Ponting photographus noster, veluti ebrius, vocibus tollit quae, si de aliis mundi locis dicerentur, nimium viderentur auctae, ad quam vel partim describendam nulla mihi subeunt vocabula ».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANN. XX - FASC. IV

MENSE APRILI MCMXXXIII


ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Aprili MCMXXXIII

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE I LATINITATIS CONVENTU ROMAE HABITO MEMORIAE

Suo tempore nunciavimus, italicum *Collegium ad studia romana provehenda* in conventu, qui tertio quoque anno fit proximeque in Urbe celebrabitur, peculiares disquisitiones constituisse de renovando apud omnes saltem viros doctos latinae linguae usu. Die vigesima prima mens. Aprilis appropinquare, Urbis Romae natali, in qua, faustis quidem auspiciis, conventus ipsius sessiones initium ducent, non erit profecto abs re primi de latinitate conventus memorias revocare, qui sollemniter in Capitolio, adstantibus Italico et Gallico studiorum administris legatisque ex universo orbe missis, inauguratus, argumentum, quod nunc in disceptationem reddit, longe lateque pertrahavit.

Eventus memorabilis die xvi mens. Aprilis anni MCMIII factus est. Coetui praeerat vir excellentissimus Angelus De Gubernatis, romani athenaei humaniorum litterarum doctor ac totius conventus auctor in pigerque instructor; alteri a Praeside

erant Angelus Valdarnini, in Bononiensi athenaeo philosophiae magister, et Iacobus Tasset, Gallus; a secretis sedebat doctor Iosephus Fornari ille, qui tum in *Vox Urbis* latino commentario primas agebat; nunc autem *Almam Romam* hanc moderatur.

Illustris vir De Gubernatis luculenter et eleganter duplum illius sessionis finem in aditiali oratione sua exposuit, alterum nempe ut latinus sermo inter orbis civitates communis restitueretur, alterum ut Romae latinitati ephebeum adstrueretur.

Circa primum quinque oratores indicat de re loquuturos: prior I. Tasset universale argumentum attinget; hoc est «de ratione, qua hodiernae europaeae et ceterae universarum gentium res latine dici, aut significari possint». Valdarninus quaestio- nis partem, quae doctrinam respicit, enucleabit; nobilis vir dynasta Guillibert circa philologiam argumentum rei ventilabit. De ratione docendi in scholis, quam «dida dicam» vocant, illustris vir a Spoletino

lyceo Neno Simonettius dicet; Iosephus denique Fornarius exponet quae de re Romae iam inita sunt, praesertim per *Vox Urbis* commentarium. Generalis disceptatio inde sequetur. Alteram ipse quaestione Angelus De Gubernatis agitabit, absente excellentissimo viro Henrico Moreno, Argentinae Reipublicae in Urbe legato, quocum una et ipse proposuit.

Hisce praemissis, uti sententiam dicat suam hortatur Tassetium, qui verbis hisce latine orsus est:

«Sermone mundano intermedio, Quirites, non sola europeae culturae recentiora, sed universa cunctarum gentium temperamentumque dicenda, nemo inficias eat. Nam si secus esset, quo potiore alio sermone nostri interpretes orientalia vetera et hodierna scribentes aut orantes, redderent? Et ipsi Asiani, Indi, Seres, Arabes, Iaponi, nobiscum et inter se conversantes, sermone alio potiore uti deberent. Tunc duo essent sermones intermedii; alter doctorum Latinorum, alter ceterorum hominum, doctorum vel indoctorum, nostri similium vel dissimilium. Verum enim, Quirites, alter omnium, mundanus merito intermediusque diceretur; paucorum alter, omnino mundanus non esset. Ergo universa, qui latinum sermonem eligunt, universis latine dicere vel significare, cogente necessitate, debent.

Quae quum ita sint, modum, quo innumeras illas sexcentarum gentium notiones et cogitationes, unius sermonis modico verborum numero — quae memoria comode tenenda sint — exprimantur, diligenter commentandum esse censeo. Nam diversi sunt, apud diversas gentes, sensus animi et alia propriis verbis exprimunt alii sermones. Quae si totidem vocabulis reddenda essent, is sermo, qui sexcentorum copias in unum converteret, omnes illos sensus denis centenis dictionum milibus exprimeret. Id factum volo; at quis erit tanti sermonis gnarus? Picus nimirum

de Mirandula! Nos vero rarissimos neglegimus. Omnes enim, nostra tempestate, frequentes cum advenis, et in patria, convenimus, litterisque eorum respondemus. Constat ergo, omnes sensus omnium sermonum verbis unius dici non posse; et ideo meliores paucos esse eligendos.

Universas itaque notiones, qui ab universis intelligi velint, in ordines disponunt naturales, ut plane, quae generales sint, quae speciales, quae singulares, discernant. Tunc omnia rerum magnarum genera, quia diuturna, si non aeterna, perstant, veteribus esse cognita, et a summis scriptoribus latinis, electis singulis verbis, dicta optime vident. Quis enim «electridem», quam nuperi dixerunt, vim negat esse magneticam simulatque fulguralem? Quae clarius et aptius a fulgere insigni, quam ab ignobili electro, sermone latino vocetur. Nam si candentia caelestia, non secus ac pruna foci, natura dicuntur ignes; ita quae tonant inter nubes, et quae crepitant ad digitum, pariter sunt fulgura. Efficient ergo Marconii nostri fulgurales, filo aut sine filo, significaciones, cursus, colloquitiones, virium deductiones; agant vehicula compitalia, et naviculas in aere cumulatis viribus volucres: ea ciceronianis caesarianisque verbis facilime dicuntur. Illa autem forsitan secreta, Tusci sapientes ac Numa, ne nocerent vulgo et corruptis saeculis, librorum fulguralium obscuris sententiis condiderunt?

Novas autem rerum species, non secus ac veteres, binarum plerumque vocum coniunctione exprimuntur. Quod suo verbo dicere non potes, id alia tamen ratione significare utique debes. Sicut enim convenientibus duobus lineis punctum infigitur, ita totidem vocabulis definitur lucida notio. Sic *navis loricata*, *navis aëria*, *galerus turritus*, *telum igneum*, *palla iaponica*. Quin etiam singularia innumera, ad tempus surgentia cadentiaque, quod evanida fluunt, adfixam, extra sermonem,

tamquam pittacia lagena, notam peregrinam patiuntur. Cur non *petasus Bolivar*, *casens Gorgonzola*, garum *caviar*, saltatio *polka* dicerentur? Res enim sua nomina, praenomina et cognomina habent. Nomina, quae genera, praenomina, quae species indicant, latina semper esse decet; cognomina vero, quia minoris momenti et extra sermonem, licet esse barbara.

Itaque si illud armorum omne genus, quibus tela mittantur, ballista, ut plerisque videtur, dici potest, maiorum species ballistarum: montanae, campestres, obsidionales, castellanae, navales, rorariae — sunt enim leves, ut rorarii, missilia crebra iacentes —; et minoris formae, quae a singulis tenentur: equestres, pugillares, venaticae; omnes conjunctis verbis enuntiari debent. At figurae singularis ballistae *hammerless* pugillares, aut navales *revolver*, rorariae *Nordenfeld*, adiectis notis quibusdam barbaris, non vitiant sermonem. Quae via non est in sermone latino nova, sed physicis, inanima, fossilia, gigantia, bestias in ordines disponentibus, iamdudum trita et usu comprobata. Quare ad omnes merces notandas optime valeat, necesse est. Itaque sermo latinus non cauponae minus quam doctori esse potest utilis.

Is nicotianam tabernam ingreditur. Sunt h̄c omnia nicotiana: nicotianus institor, nicotianae fistulae (fictiles, ligneae, electrinae), nicotiana volumina, pretio, origine, magnitudine dissimilia: *Havana*, *Bastos*, *Caporal*; nicotianus pulvis, nicotiana offa, charta, pixis; odor item nicotianus. Sermo dives nimirum foret, qui nicotianum odorem nomine donaret! Carent nominibus odor, fumus nicotiani: cur ergo fistulae, voluminis, institoris desideramus nomina? Repudianda igitur, quae facile fingi possint, supervacanea vocabula: *tabacopola*, *tabacopolium*, *tabacotheca*, *tabacocharta*, *fumisugus*, *fumibulum*, et cetera.

Sermonem latinum ad omnes usus convenire, satis demonstratum puto.

Hunc imo aureum et purum prae certis potiorem censeo, quod in eo sit unitas, simplicitas, brevitas, lucidus ordo, proprietas et electio verborum, quibus notiones potissimum notantur generales. Nam vocabula, quae minoris significationis sunt, ad meliora retinenda, boni oratores semper abiecerunt. Qua proiecta latinitate hodierni scriptores uti debeant, libro, cui *Lollius* nomen, Petrus Angelinius sagaciter ostendit. Modus optime et latine dicens Ciceronis, Caesaris, Sallustii est; quorum exempla qui fuerit imitatus, apte singula, clara generum significatione, dicit. Illos igitur duces scribendo sequamur et enuntiando, ne cum litteris discrepent voces. Sermo latinus docendi ratione vivat oportet, et fabris, mercatoribus discipulisque proletariis habilis fiat. Namque eo res latinae devenerit, Quirites, ut cunctis, aut inutilis, pereat necesse est, aut utilis per omnes terras et saecula floreat. Quidquid denique humanioris est culturae, id nostrum est, Quirites, romanum est».

Sequitus est italicice Valdarninius. Qui primum exposuit firmavitque, sententiam constituendi linguam omnibus eruditis communem non esse recentem; at quod prius ad commodum quaerebatur, nunc ex necessitate quaerendum esse tum circa ipsa praecepta de liberorum educatione composita. Hic enim non aequo videt animo, mentes adolescentulorum, oppresas multipli sarcina disciplinarum, singulis hisce pares esse non posse; inde non modo damna et incommoda, sed vel maleficia cultis gentibus provenire; propterea institutionem coerceri debere ad nativae linguae magisterium una cum alterius, quae communis omnibus fiat; ceteris, prouti quisque optaverit, non exceptis, prius duas illae necessariae impenrentur.

Nonnulla tentata ad hoc sunt, quibus magis magisque ostenditur necessitas quantocius inferendi sermonem communem omnibus, et commutandi, hoc illato, scholiarum ordinem, quem nunc habemus.

Tum de illo agit idiomate, quod *Vola-pük* vocant, tum de alio, quod *Esperanto*; ostenditque novam quamlibet linguam artificio, non natura satagente conditam, ad omnia pertinere non posse. Vivas autem, quae nunc sunt, linguas iure omnes legati gentium, qui ad hoc Lutetiam Parisiorum anno MDCCC convenerunt, reprobare voluere, nec earum quamlibet inducendam, tamquam communem, — *internationalem* dicunt, — optime iudicarunt, ne aemulatio fieret inter civitates, ne illa superbiret, cuius electus esset sermo; illae autem, quarum sermo esset reprobatus, minoris haberi viderentur. At praesertim omnibus repudiatis, unica apparet latina lingua numeris omnibus praedita, maximo olim in usu, nunc ad neminem pertinens et communis tamen omnibus, qua fortissimorum virorum educata mens fuit, nutritaque fuerunt ingenia populi late principis, cui nihil quod deliciatum, nihil quod grave, nihil quod suave, nihil quod austерum defuit unquam in patriis, in plebe; cuius usus tam late patuit quam romanum imperium; quam catholica ecclesia in omni regione orbis terrarum nunc etiam retinet; quae denique lingua idoneum instrumentum habita est Romanae indolis et urbanitatis.

Quinimo ferme ad nostros usque dies latina lingua colloquiis eruditorum semper inserviit, et adhuc quamp'ures nonnullarum gentium docti viri illa praesertim utuntur, atque ita vigentibus populis non minus ac adolescentibus idonea fuit, nec minus antiquis se praestitit hodierna populis omnibus. Denique tum in civili vita et in usu rerum gerendarum privata, tum in umbratili speculationis ac doctrinae, semper maximam, semper sibi parem se

gessit, omnia explens, omnibus aequa. His de caussis p[ro]ae omnibus anteferenda videtur, optandumque ut penes omnes, sicuti olim fuit, redeat universalis et communis lingua saltem ad eruditos.

H[oc] autem enucleavit, qua latinus sermo ratione usus sit, quomodo sufficiens fuerit ad ea omnia exprimenda, quae recentis non minus quam vetus conditio in doctrinas ingesserant, commemoratis praesertim scriptis Rogerii Baconis, Petrarcae, Aligherii, Andreae Cesalpini, Telesii, Francisci Baconis, Wilhelmi Gilbert, Cartesii, Galilei, Alberici Gentilis, Hugonis Grotii, Malpighii, Morgagnii, Leibnitii, Newtoni, donec nostros attigit annos mirabili felicitate et facundia.

Post haec, tria illa obsoleta refutavit, quae adversus latinum sermonem, ne communis gentibus reviviscat, obiiciuntur. Haec sunt: I quod lingua grammaticalibus legibus ardua sit tum in morphologia, tum in syntaxi; II quod hodiernis novis rebus significandis inepta sit quippe demorta; III denique, et eadem de causa, quod conditionibus hodiernae vitae usibusque prorsus inepta.

Quibus subratis ac dimotis: — «Quandonam, — inquit, — et quomodo titanicum hoc opus absolvetur, ita ut sermo latinus, universalis redeat et revirescat, nosque et oblectet et soletur?... — Quando, — respondet, — et quoties tres vel quatuor civitates, ex America et Europa, constituant in scholis singulis suis, quae mediae vocantur, duas tantum docendas esse linguas: regionis propriam, et latinam. Ceterarum studia linguarum delegentur ad eos, sicuti nunc fit, qui suadente ingenio, illis addicere se cupiant, et in disciplinas peculiares incumbunt. Tempus et exemplum reliqua non confient modo, sed perficient et coronabunt. At interea, ut gradatim latina lingua accedat quasi auxiliatrix et socia cuiusvis idiomaticis recentioris a latino derivati aut externi, aut alieni cuiuslibet,

ut lingua nationibus omnibus communis erumpat, necessum est:

I. In civitatibus, quae de stirpe latina sunt, praecipere ut scholae mediae latino sermoni dent operam; quae autem ab ortu ac progenie latina non sunt cultumque tamen et humanitatem servant, nostris inclinatae precibus studium latinitatis iisdem in scholis mediis et servent et honore prosequantur, si teneant; si caruerint, includant.

II. Hisce in scholis assuescant adolescentes latinis colloquiis, prout pluribus in ludis fit, non sine lucro magno, circa nonnullas vivas linguas externas, quae non minus pracepto grammaticali quam consuetudine sermonis traduntur. Quo facilius id efficiatur, promptuaria quaedam communium vocum, quae magis in more quotidiano et ferme domestico sint, conscribantur, edantur, et phrases quaedam ad elegantiam addantur.

III. Siquae ephemeredes latine scribantur, edantur, tum in Italia, tum apud exteriores nationes, favore, gratia cumulentur, ornentur.

IV. Consentientibus nationibus, quae «Academiarum» acta referunt, vel doctorum virorum conventuum, latine apud civitates omnes exarentur.

V. Romae constituatur Latinum Ephemerum ingens, cuius pateant fores adolescentibus tam nostratis Latinis, quam alienigenis, ubi et instituantur et alantur; in ipso autem singula quotidianae vitae nonnisi latine exprimantur; brevi, semper ibi omnes latine loquantur».

Haec summa orationis fulgidissimae, de qua Praeses praecipuum sibi tulit gratulari oratori felicissimo, et agere gratias quia mirabiliter consenserat de Collegio illo Latino instituendo in hac Urbe omnibus communi adolescentulis. Cuius quidem, quoniam incidit sermo, opportunum ducit, quasi summas quasdam describere

lineas, et coetus universi flagitare sententiam, qua et probent et decernant ut sit.

«Collegium hoc *internationale* Latinum Romae erigendum, — vir clarissimus addidit, — tum disciplinas omnes optimas artesque excolet, tum omnia, quae ad iustitiam, ad humanitatem, ad urbanitatem provehendas amplificandasque pertinent; praesertim intendet ad filios roborandos nostros, progeniemque ex istis venturam, ut viri sint saeculo suo pares, iisque imbuantur praecepsis atque instituantur, quibus late effulgeat altiusque emineat quidquid latina urbanitas et sapientia et scientia ferunt. Quae ibi adolescentes discent, eos ad vitae dignitatem decusque induendum ita propellent, ut novis temporibus perpetua causa moralis et civilis progressus, et perfectionis non modo sint sibi ipsi futuri, sed etiam apud eos quibuscum agent et vivent».

Unanimi plausu et publico suffragia erectioni Collegii huius latini conferuntur.

Post haec, ad ea redit disceptatio, quae diei primum argumentum erant.

Clarissimus vir dynasta Guillibert et sua et illustris doctoris Charpin, qui ab Aquis Sextiis erat, auctoritate, gallice loquutus, orationem edidit vehementem, floridissimam, quam latinam linguam asseruit communem habendam omnibus, qui philologiae operam navabant.

Hunc sequutus est clarissimus vir Neno Simonetti, e Spoleto regio lyceo, qui, haec argumentose ferebat: — Quoniam conventus huius nostri maximum est latentes in latinitate vires iterum excitare et dormitantes virtutes expergefacer, quotquot pristinae dignitati inserviunt collatis sententiis, et auctoritatibus ea praetereuntes, quae exigua et miserrima sunt inter compedes grammaticalium academicarum, ad altiora intendant mentes oculosque convertant, quibus restituatur antiqua cele-

berrimae gentis indoles, et hodiernis moribus, ingeniosis addita reviviscat. Atque haec animorum vita priscom sponte aletur et crescat in scholis, si tamen hae sint non carceres, ubi superciliosi, tristes pedagogi taedio animas crucient, sed iucundus, laetusque quotidianus conventus, quibus auctoritate scriptorum, qui summi in latinis rebus et fuerunt et sunt, in veritatis et magnificentiae inquisitionem opere mutuo assuescant. Latina indoles revirescit et quodammodo resurgit in studio, analogiis et comparationibus litterarum et conditionum idoneis. Vel in primordiis grammaticalibus pars excitationis et resurrectionis huiusmodi puer est, si morphologia, syntaxis ipsa ostendantur in arcanis et penetralibus, non quasi quid arbitarium, et pro libitu dicentium inventae, demortua ossa veteris ac demortuae gentis, sed quasi speculum necessarium et naturale, sed quasi vis quaedam ab indole ipsa et ingenio erumpens ac defluens, ex qua, veluti ex pellucidis undis, tota emergat pulcritudo animae mentisque latinae. Si Carduccio morem geramus, litterae sunt quaedam emanatio spiritualis, quaedam uniuscuiusque irradiatio populi. Hinc non exsangue, non tenue, non gelidum litterarum studium illarum, sed fervens ac serena simul consideratio conditionum omnium, in quibus exstiterunt, modo gaudio, modo laetitia, modo spe, modo sollicitudinibus affectae, prout aetas, prout civilium temporum vices, et consuetudo iubebant; haec, inquam, sint, haec perpendantur, inquirantur; et academicae illae hypercriticae, et rhetorum insanientium crepundia respuantur, repudientur. Qui ea scripserunt diligentur; dilectio haec reliqua ostendet.

Sed huiusmodi, et ritu hoc incepta lectio, varia sit, et abundans. Latina indoles non illo, aut illo tantum scriptore continetur, sed multiplex, multiformalis est, sed ea est, quae (velim ab omnibus) sit saltem

a plurimis) perfectis exsurgat, quae se-riem temporum, non tempus det, saecula non annos. Idque grave huius aetatis cri-men est, quae latinos auctores ad unum et alterum reducit; felix, eruditissimus, qui viginti paginas discipulus in decem diversis perlegerit auctoribus! Nemo asserat plura omnem ferme occupare animum, absorbere mentem. Breves horae numquid Deus Terminus sunt, qui dimoveri loco non sinat? Recta ratio superfluis disciplini detrahatur, necessaria Latinis tribuat. Ecquis vetet e plurimis optima congerere, suum cuique locum constituere, ita insti-tuere ut horis datis conveniens et aequa sit institutio; ita disponere ut adolescens de cognito, et iure, non de ignoto, nec temere iudicet?

Simonettius finem facit asserens haec se, et sua et aliorum auctoritate dixisse, ut coetus de iis iudicet, subiicianturque oculis et menti clarissimorum virorum, qui studiis moderandis et alendis praesunt, ut qui nova hac ratione in latinorum incubuerit ingenium indolemque priscom, melius, quae late Regis populi fuerunt, agnoscant, cuius nos, etsi diversis regionibus et civitatibus orti, et gloriam sentimus animo, et superbia tantae originis mulcemur, nec patiemur unquam vocari *tantorum degeneres filii maiorum*.

Subinde Fornarius latine suo munere functus est, orationem concludens senten-tiam invocando iisdem conceptam verbis, quae Felix Ramorinus, doctor latinis litteris tradendis in athenaeo Florentino, qui sui procurationem apud eos qui conventui adessent ipsi Fornario dederat, iam ante edixerat: « Haec formula nostra sit: latinus sermo doctrinarum omnium et disciplina-rum communis est habendum ».

Perpensis igitur omnibus, quae pro re sunt, ab oratoribus, coetus Praeses cuique dicendi potestatem fecit ut libere, siqua contra essent, exprimeret.

Prior eruditus vir, e gallico « Instituto » Derenbourg anticipitem se de speratis fate-tur ea potissimum de causa, quia sermo latinus, cui communis linguae nunc munus tribuitur, paucorum in usu tantummodo vivit, hunc pauci noscunt, huius in studium non frequentes incumbunt. Quo quidem conatu incassum eunte, magna inde detrimenta et huius linguae decus acciperet, et maxima fortassis inde gallicus sermo referret, qui regionibus nonnullis certe, nonnullis ferme communis habetur; itaque fiet ut latinae gentes, — nec enim gallica alia est, — dum latino meliora quaerunt, instar Aesopiani canis, bona gallico amittant. Insuper graviter obstat diversa apud singulos populos latini sermonis pronunciatio, qua aliud aliis latinum penitus videtur eloquium.

Consentiant auctoritatemque dicentis augent doctores Ilie Gherghel ac Terrier, qui alacriter gallico idiomati laudem lin-guae communis « diplomaticae », ut aiunt, vindicat. Obiicientibus valida reddunt e contra erudit viri Bonafous, Tasset, Val-darnini et nobilis Guillibert; ac post eos Angelus De Gubernatis, affirmans argumentum, quo maxime contra latinitatem pugnatur, mirabiliter in obiicientes retor-queri; nova enim et vehementior ingruet cura latinitatis provehendae si, quod tamen negari etiam potest, et parum et a paucis colatur celeberrimus iste sermo, unde in universum terrarum orbem lux tanta pro-cessit. Circa diversitatem pronunciationis vero, notavit ex hac minime facienda infir-mari, quem iam olim talis fuisse, ita ut sermo vulgaris valde a patricio differret, itemque provinciarum sermo a sermone principis Urbis; idque non minus nunc esse in linguis, quae usui sunt viventibus populis. Hae enim non modo a regione et regione, sed vel a pago et pago inter se differunt, quamvis eadem sub civitate apppellentur. Quum igitur minime in prisca Roma, minime in hodiernis gentibus id

officiat, non satis appetet qua de causa tanti faciendum sit argumentum, contra quod et vetus aetas et hodierna testantur. De iis autem, quae timenda putantur ne latinus sermo locum gallici sermonis occupe in colloquiis, sive etiam in scriptis vi-rorum, quibus regendarum cura rerum publicarum est, haec remota nimium a nobis sunt, neque brevi certe futura. Quod si sermo latinus in eam apud civitatum rectores redierit sedem, quam diu occupavit, melius erit gallicae dignitati cessisse locum materno sermoni latino, quam ext-ernae gentis cuiusvis. « Ceterum, — addi-dit illustris vir, — futura relinquens geni-bus imposita Iovis, magnum erit mihi, si duo concedantur, pro quibus rogo: I^o ut, quae doctorum virorum coetus, academiae in acta sua deferant, latine scribantur; II^o ut promptuarium latinarum vocum, quae satis hodiernis sint rebus, adstruatur».

At Fornario haec non videntur sufficere, neque parvo contentum fore se profitetur. Duo haec sancienda sunt, sed postquam tamen praecipua sententia sarta tectaque habeatur, sine qua duo superiora illa esse non possunt. Adversus hanc ambiguitate potius, quam vera causa se muniunt, quot-quot se confitentur nutantes, ancipes et incertos. Absit (et operaे pretium estaerte fateri), quod bono sermonis latini excidium aliarum linguarum quis intelligat et mo-liatur. Ecquis enim ita amens sit, ut la-benti fluvio procedentium naturali neces-sitate rerum obsistere posse cogitet, ac de-currentem amnem manibus tentet conti-nere? Et quo animo ipse, qui loquitur, orator ad internectionem patrii sermonis sui suavissimi, ad exterminium italicae lin-guae contendat, aliosque ad hanc excinden-dam *ostracismo* vocet? « Nos, — inquit, — restauratione latinitatis honorem decusque addimus linguis, quae latinitate processe-runt; nos non abrumpimus, sed iter ster-nimus viantibus in meliora populis et ma-gna cum laude procedentibus ». Atque hic,

iuventute afflatus, in lyricum quoddam erumpit soluta oratione concinnum, quo humanitati, cultui civili et progressui gentium, non minus quam ipse, auditores abripiuntur in conclamaciones et in sententiam hanc statuendam, quae bona, fausta, felix civitatis latina ab origine ceterisque omnibus sit cessura.

Sententia constituta est huiusmodi:

Latinorum conventus Romae die XVI mensis Aprilis an. MDCCCCIII primum congregatus vehementer exoptat et poscit:

1) *ut sermo latinus inter gentes universas communis habeatur et adhibetur ad humanitatis commercium fovendum, augendum, tenendum;*

2) *ut collegia coetusque doctorum acta sua, compendio saltem, latine patefaciant;*

3) *ut universi discipuli sermonem latinum ad colloquia advenarum, peregrinorumque conversationem, interrogantium, vel sciscitantium, in ludis etiam primariis discant;*

4) *ut ad hoc propositum faciliter assequendum libelli de rebus quotidiani usus a peritis pura latinitate lucidi terisque scribantur.*

Haec in primo illo latinitatis conventu; quibus neci posse, imo debere putamus alterius huius labores.

ALMA ROMA

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De coniunctivo.

Congiunctivus usurpatur 1^o) vel *absolute*, i. e. quum non dependeat ab ulla propositione primaria; 2^o) vel *dependenter* ab aliqua propositione primaria.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 1. - *Coniunctivus absolutus*

Quatuor¹ sunt rationes usurpandi coniunctivum absolute, quos grammatici vocarunt modos aut diversos sensus coniunctivi: sensus *potentialis*, *optativus*, *concessivus* et *conditionalis*.

I. - Coniunctivus *potentialis* nude ac simpliciter exprimit actionem fieri posse;² v. g.:

¹ Congiunctivus dependens ab aliqua particula semper significatione sua referri potest ad unum ex his quatuor modis.

² a) Quae significatio est vel propria coniunctivi. Coniunctivus enim generatim exprimit actionem, in una e tribus temporis partibus, posse existere; sive, ut ita dicam, possibilitatem actionis enuntiat. Sic, quum dico: *timeo ne legat*, legendi actionem conspicio ut talem quae exsistere possit; sed non affirmo eius existentiam. Quum dico: *Si multum legeres*, *doctus evaderes*, pariter actiones legendi et evadendi doctus non existunt nisi in meo conceptu, quo eas posse exsistere intelligo et enuncio.

b) Modus *potentialis* est vel *praesentis* vel *praeteriti*. Prior usurpatur, si de praesenti agitur; posterior, si de praeterito; v. g.: Si a corona relictus sim, non queam dicere (Cic., *Brutus*, 52, 192). — Magnitudo animi, remota a communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas (Cic., *De Off.*, I, 43, 157) — *Scriberem plura* — Omnes quos cognoverim — Maluisse abesse.

N.B. — Prior tamen loco posterioris interdum usurpatur; v. g.: Comprehendi iussit. Quis non pertinet? (Cic., *De Supplic.*, 6, 14).

c) Praesens et perfectum coniunctivi *potentialis* exprimit id quod fieri potest, potuit aut poterit; imperfectum et plusquamperfectum quod fieri non potest aut non potuit; v. g.: Ubi istum invenias qui honorem amici anteponat suo? (Cic., *De Am.*, 17, 64). — Incidit igitur eos qui audiunt. Quid? Ille incendat? (Cic., *De Fin.*, IV, 3, 7). — Ego te videre noluerim? (Cic., *Ad Quint. fratrem*, I, 3, 1). — Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? (Cic., *De Fin.*, II, 17, 55).

d) Modus *potentialis* in *praesente* et *perfecto* coniunctivi plerumque non est nisi mitigatus quidam modus exprimendi *praesens* aut *futurum* indicativi, et quod sensum cum eo congruit. Interrogatio autem, si adest, per negationem solvit; v. g.: Quis dubitet quin in virtute divitiae sint? (Cic., *Parad.*, 6). — Mirer, si vana vestra ad plebem auctoritas est? (Tit. *Liv.*, III, 21). — Non facile quem dixerim plus

Quis sapiens bono *confidat* (= potest confidere) fragili? (Senec.).

Dies *deficiat*, si velim numerare quibus bonis male evenierit, nec minus si commorem quibus improbis optime (Cic., *De Natura deor.*, 3, 32).

Quid *facerem*? Neque servitio me exire licebat, nec tam praesentes alibi cognoscere divos (Verg., *Eclog.*, 1).

Haud *negaverim* suspectam vobis esse punicam fidem (Tit. *Liv.*, XXX, 30).

II. - Coniunctivus *optativus* optat ut actio exsistat.¹

Valeant cives mei! (Cic., *Pro Mil.*, 34, 93).

Seru in caelum redeas (Hor., *Od.*, 1, 2).

Omnia di facerent essent communia nobis! (Ov., *Metam.*, 9).

studii adhibuisse (Cic., *Brutus*, 41, 151). — In iussu tuo, imperator, extra ordinem nunquam pugnauerim (Tit. *Liv.*, VII, 10). — Claros nomine sapientiae viros nemo dubitaverit studiosos musices fuisse (Quint., I, 11). — Hoc sine ulla dubitatione confirmaverim (Cic., *Brutus*, 6). — Sic dicimus: Forsitan queraris — Forsitan quis dixerit — Sic velim existimes — Nemo istud tibi concedat — Quibus hoc credat? etc.

N.B. — In his perfectum coniunctivi considerari debet ut positum pro praesente, eadem ratione qua futurum exactum interdum ponitur pro simplice (Cf. ALMA ROMA, *De temporibus verborum*, VIII: *De usu temporum*, ann. 1932, p. 187, Nota).

¹ a) Praesens et perfectum coniunctivi significant id quod in optatis est posse aut potuisse exsistere (optativus realis); v. g.: Di tibi dent quacumque optes! (Plaut., *Asin.*, 46). — Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta! (Verg., *Aen.*, VI, 62).

Imperfectum autem et plusquamperfectum significant exsistere non posse aut non potuisse (optativus unrealis); v. g.: Urbis periculo commoverentur! (Cic., *Pro Sest.*, 24, 54). — Patetur! (Ter., *Heaut.*, 202).

b) Modus *optativus* non raro sibi praepositum habet unam ex optandi particulis *utinam*, *modi*, *osi*; et, accidente negatione, « *utinam ne* » vel « *ne* » simpliciter, frequentius quam « *utinam non* ». — Exercitando autem solum usurpatur « *ne* »; v. g.: *Utinam ea res ei voluptati sit!* (Cic., *Ad Fam.*, XIV, 1). — Modo valeres! (Cic., *Ad Attic.*, XI, 23, 1). — O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos (Verg., *Aen.*, VIII, 560) — Illud *utinam ne* vere scriberem (Cic., *Ad Fam.*, V, 17). — *Utinamque non* peiora vincant (Quint., *Inst. orat.*, IX, 3, 1). — *Ne* sim salvus, si aliter scribo ac sentio (Cic.). — *Ne* poposcisses! (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 3).

III. - Coniunctivus *concessivus* concedit ut actio exsistat;¹ v. g.:

Rapiunt frumenta ex agris nostris! (Tit. *Liv.*, II, 34).

Ierit Ligarius ad bellum! (Cic., *Pro Ligari.*, 12).

Fuerint (Pompeiani) cupidi, fuerint pertinaces... etc.... (Cic., *Pro Ligari.*, 6).

IV. - Coniunctivus *conditionalis*, imperfecto aut plusquamperfecto coniunctivi significat actionem non posse exsistere, nisi posita quadam conditione;² v. g.:

Si defendere possem Volaterranos, nullum officium praetermitterem (Cic., *Ad Fam.*, XIII, 4).

Si meis laudibus obtemperasses, maximam laudem adeptus es (Cic., *Ad Fam.*, XVI, 22).

An iste unquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? (Cic., *Verr.*, Act. 1).

(Ad proximum numerum).
S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

¹ Hic modus solum frequentatur in praesente et perfecto.

² a) Modus *conditionalis* nunc *irrealis* a plerisque grammaticis nuncupatur.

b) Modus *conditionalis* legitur interdum sine apposita conditione. At ea nihilominus semper suppleri potest; v. g.: Non est ita. Nam et solitudinem fugeret et socium studii quaereret (si esset ita) (Cic., *De Off.*, I, 44, 158). — *Credere* victos, (si nescires eos esse victores) (Tit. *Liv.*, II, 43). — Qui vidarent equum Troianum introducum, urbem captam dicerent (Cic., *Verr.*, IV, 23).

c) Imperfectum pro plusquamperfecto nonnunquam usurpatur; v. g.: *Fucrem* (= fecissem). At non vice-versa.

d) Plusquamperfectum indicativi locum quandoque tenet plusquamperfecti modi *conditionalis*, v. g.: *Perierat* (= periisset), si id contigisset.

e) Quam plusquamperfectum modi *conditionalis* a locutionibus pendet quae coniunctivum postulant, fere in participium futuri activi migrat cum « *fuerim* » aut « *fuissem* »; v. g.: Haud dubium est quin id *faturus fuerim* (= fecissem), si voluisse. — Apparuit quantam molem *excitatura fuisse* (= excitavisti) vera clades (Tit. *Liv.*).

IN CRUCEM VICTRICEM

CARMEN SAECULARE

VERTENTE UNDEVICESIMO ANNO CENTENARIO
AB REPARATA HOMINUM SALUTE

Regnavit a ligno Deus!

*Bis, Christe, denis brachia saeculis,
amantis instar, Golgota ab arduo
expandis, in signum levatus
conspicuum populis per orbem.*

*Olim pudendo gens tua, vocibus
Te vovit altis, perfida, funeri,
compendium terrae polique
dedecori dare certa nomen.*

*Molimen amens! Scilicet omnia,
(sic ante fatus) iugiter attrahis,
Iesu, tibi, et cursum vicesque
historiae moderaris, usque
victor cruenta solus ab Arbore.
Frusta tuorum sanguine martyrum,
ab plebe circenses petenti
romuleae maduere arenae.*

*Abrepta fluxu temporis, occidit
fortuna et ingens gloria Caesarum...*

*Crux dirutas propter columnas
ardua stat Capitoli in arce.*

*Dum barbarorum valla per Alpium
incumbit oras nimbus in italas,
desaevientes Ipsa turbas
excipit ad latices salutis*

atque efferata deterit indole.

*Exinde surgit gens nova, iureque,
o Christe, non armis, sed orbem
diceris edomuisse ligno.*

*Europa leges docta capessere
tuas, peritis splenduit artibus,
Turcasque ab Aegaeo minaces
continuit scythicis in arvis.*

*Osus cucullum, laxat at impius
in Te Lutherus frena licentiae,
ac rursus expavere gentes
barbariem rediisse terris.*

*Quid? Se Columbus, Te duce et auspice,
formidoloso creditit aequori,
immensa terrarum recludens,
regna Crucis nova mox futura.*

*Stant iussa, flecti nescia, Numinis,
nec saeculorum lapsus euntium,
nec turpis error, nec tumentes
solivagae rationis ausus,*

*non irae et astus imperitantium,
lateque bacchans saeva rebellio
fatale decussere Lignum,
continuis radians tropaeis.*

*Quin usque in illud, quidquid honestius
est stirpis Adae suspicit anxiū,
ceu mortis et vitae levamen,
praesidium columenque mundi.*

*Nendum residat, saevit at acrius
hostile saeculum, si queat inclita
vexilla disturbare Christi,
pollicitum meliora terris.*

*Heu, christiano sanguine Mexicum
passim rubescit! Plorat Iberia,
Sectae ob dolos votiva templa
sacrilegis populata dextris.*

*Quid quod negatur ius quoque civicum
Iesum professis, immiserabiles
quos cogit ultro discipulis
impietas dare terga claustris?*

*Exstincta caelo sidera, russica
lymphata garrit plebs operaria
rerum potita, ac paene abactum
aetherio solio Tonantem.*

*Inculta nutant corda! Quid ingruens
spectabit aetas? En agit invicem
gentes simultas, aemulatas
arma magis nocitura in hostes*

*immane quantum cudere. Ferreas
cerno carinas aequora scandere,
mersosque fluctu nare furtim
navifragos, nova monstra, lembos.*

*Sudo phaselus perstrepit aliger,
mox vastitatis nuncius urbibus,
seu grandinet sphaeras, crepentes
tela simul vapidumque virus,
seu dira mortis germina depluat.*

*Vocalis oris capsula bellicos
fervore cunctis adparatus
edocet, intereaque ineptos
miscet canores. Quaelibet aggredi
humana late gens fremit impotens,
frustra, genevensi, sequestro,
concilio recinente pacem.*

*Quis dissidentum denique stirpium
componet iras? quis minitantibus
obsistet armis? quaeve posthac
fata manent lacrimosa terras?
Utcumque fallax vertitur alea,
sepultra, fasti, saecula concinunt:
Stabit, fatiscentemque victrix
Crux iterum renovabit orbem!*

V. GENOVESI S. I.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

De bellica machina « tank » iterum.

ANDREAS AVENARIUS S. V. D. EMMANUEL
JOVÉ C. M. F. s. d.

Tandem idoneam nactus occasionem respondendum duxeram litteris abs te ad me datis VII. kal. Nov. Qui ego, quum te interrogabam, quid *tank* esset, suspicarer paulo post *tancicam* spectaturum esse, *pugnam*? Sed tamen magnam habere mihi quidem videtur ea pugna utilitatem, nam quum calent studia, ulro subeuntia vocabula efficiunt, quo facilius nascatur planus ille vividusque, quem commentariis Latine

scriptis imprimis commendandum suscipimus, sermo. Fuerit non inutile imitari interdum Rupertum, fratrem meum, vigilem, qui, ubi dixerat, quod duriusculum sonuisse animadverteret, ridicule addere consueverat: « Weisst, dass ein Diskurs ist » hoc est: « At scin'hoc sermonis gratia dixi », « hoc dixi, ut procedat sermocinatio » — Sed vides crescere sermocinationem hance, quum negotia trudant negotia et pastoralibus auxiliis ferendis res adeo mihi redierit, ut ex hebdomadibus factae sint pentades, sabbatinis et dominicalibus horis collocatis in sacro, ut dixi, munere.

Iamvero accipe pugnae tancicæ arbitrum. Primum ipsa vox, quae est *tank*, vi et origine nequaquam refert illud bellicum monstrum; sed ita appellatur, quod sit simile cista ex ferreis factae laminis, in quam infundi solet aqua et oleum et benzinum, quae cista a Britannis *tank* dicitur. Quin nos, novo vocabulo, quum ex tali receptaculo alimentum subducimus dynamicis birotis nostris, eam actionem *tanken* dicimus! Usus efficit, ut, quoties insonuerit in rebus militaribus bellicisque *tank*, exemplo menti nostrae subciatur bellica illa machina formidolosa sagatis atque togatis. Nos, ut Latina proles, nomen quaerimus magis proprium. Hic autem confessus me non novisse, quod huic machinamento, et huic soli esset accommodatum nomen, adiuste. Antequam tu respondisti, Fornarius, quem inscitiae miserebat meae, quae olim ad rem ipse proposuerat in *Alma Roma*, misit, qua pro re Deus ei faveat! Tria vidi ab eo proposita vocabula: *castellum*, *helepolim*, *testudinem*; idonea, meo iudicio, singula, maxime testitudinem ab Vitruvio descriptam. Postea, quum tu *essedum* tetigisses, principio sperabam rem te tetigisse acu, gaudebamque. Nam obversabatur animo illa Gallorum perequitatio *essedarum* circumcursio. Sed quum Fornarianis litteris incitatus diligentius relegisset descriptionem Caesaris, etsi essedo relin-

quebantur, quae huic testudinum generi optime convenienter, tamen periniquum esse coepit, quod illa Gallorum vel Britanorum curricula iuncta equis ex ipsa pugna removebantur, haec « *tanca* » in medios hostes feruntur, sternendos terendosque. Nuper igitur in aprico sole iacentis animus in hac tancica re defixus investigare coepit vias nominis rectioris. In quaetum inlata cogitatio est, tibi mecum volebam communia. *Proeliaria curricula* inquam, si vocemus, ad verbum reddiderimus Germanorum *Kampfwagen*, sed aequi improprie. Si quid novandum est, haud scio an mechanica *tanci* ratio commodule significetur ab eo, qui vocet ea monstra bellica vel *discursoria*, vel *contribula*, vel *intertritoria* vel *obtritoria*, vel *circumcurricula*. Et quia Vitruvius describens testudines Fornario tamquam oculis subicere videtur recentem belli machinam, testudines certe appellabimus, sed aliquid tamen lucis videatur accedere, ubi ad testudinem apposuero epitheton, ut *tancam* sit *testudo discursoria*, vel *contritoria*, vel *intertritoria*, vel *obtritoria*, vel *demessoria*, vel *circumvaga*, vel, quoniam in ea sedetur, *insensoria*, quibus nonminibus feminini generis, etiam omissa testudine, vim substantivam tribui fas esse videtur.

In gentium bello Germani fabricaverunt *granata*, quorum diametrus vel dimetens esset centimetrum duorum et quadraginta, cui generi ab militibus *crassae Bertae* nomen statim inditum est. Sic ego, ratione simili, quum video admoveri intertritorium colossum, statim sociis Latine doctis significabo *assultare (aceum) busonem*; proinde caveant.

Haec igitur ego apricans. Video sane te subridere ineptias legentem amici, neque te ego vetuerim. — Quod reliquum est, tu diligenter cura valetudinem, qua nullum donum praeclararius in vita a Deo sit datum. Iterum atque iterum vale.

Kalendis Aprilibus MCMXXXIII.

COLLOQUIA LATINA

XVI.

Triclinium¹

ARISTIDES, LEONARDUS.

ARISTIDES — Quid tu tam sero surgis et quidem semisomnis?

LEONARDUS — Mirum est me esse toto die hoc experrectum; adeo heri edimus et bibimus.

ARIST. — Immo, ut appareat, devorasti, ingurgitasti, obruisti te epulis et vino. Sed ubinam onerasti celotem?

LEON. — Apud Guidonem in convivio.

ARIST. — Quin potius more graeco *symposion* vocaveris, quam latino verbo *convivium*?

LEON. — Bucca buccam impellebat, intiturai et condimenta villicabant atque instigabant desidentem stomachum, et appetitiam non patiebantur delassari.

ARIST. — Refer, quaeso, ordine omnia, ut vel auditione ipsa videar mihi interesse et quasi vobiscum potare, ut ille in caupona duos grandes panes comedit ad odo-rem perdicis assae, quo odore utebatur pro oxonio.

LEON. — Quis enarrabit omnia? Maius negotium id fuerit, quam vel emisse vel apparasse, vel, quod omnia superat, come- disse.

ARIST. — Assideamus in hoc saliceto ad crepidinem huius ripulae, et quando sumus otiosi, pro colloctione aliis de rebus utemur hac ipsa. Gramen erit nobis vice pulvinorum. Innitere hac ulmo.

LEON. — In herba? An non humor nocebit?

ARIST. — Quid? Insanis? Humor in ortu caniculae?

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

LEON. — Antea recusabam, nunc animus prurit mihi recensere tibi plus quam postulas: de convivio solum quaerebas: accipies etiam de domino et de triclinio; rogas ut loquerer, efficiam ut mox paulo silentium roges, indices, imperes, ut tibicen qui ad canendum obolo conductitur, ad tacendum tribus.

ARIST. — Tu vero quantum libuerit, non eris molestus, quandoquidem in opaco loco consedimus, et orationem tuam carduelis illa vel adiuvabit, vel ad harmoniam moderabitur, ut orationem C. Gracchi servus fistulator.

LEON. — Quid isthuc est rei?

ARIST. — Postquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis, de Graculis, et de Graeculis.

LEON. — Deambulabamus forte transverso foro ego et Theodorus nacti plusculum otii, quam solemus; adiunxit se nobis Guido. Is a nobis, post primas salutationes et blandum congressum, coepit vchementer contendere, ut postero die, qui suit hesternus, apud se essemus. Excusare nos primum, alias alia: ego autem vadimonium grave apud Praetorem. Sed ille, ut libenter ostentat suam magnificentiam, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonem. Quid multa? Addiximus ne molestus esse pergeret.

ARIST. — Scis quaenam fuerit causa convivii?

LEON. — Quae tandem, quaeso?

ARIST. — Est quidem ipse homo locplex, ornatus argento, veste, supellectile, sed emerat phialas argenteas tres deauratas, et pateras sex: perisset pretium, ni aliquot invitasset, quibus ostentaret, et alioquin eum ille existimat esse divitiarum fructum, habetque uxorem, a qua extimulatur ad profusionem, quam illa magnificantiam nuncupat.

LEON. — Heri ergo, sub meridiem, convenimus in eius triclinium.

ARIST. — Qualis erat coenatio?

LEON. — Hypaethra, in opaco frigore. Omnia optime apparata, ornata, exulta; nihil deerat ad elegantiam, splendorem, et lautitas. Sane primo ingressu exhilarati sunt omnium oculi et animi aspectu illo pulcherrimo atque amoenissimo. Erat abacus ingens, plenus bonis vasis materiae omnis, ex auro, argento, crystallo, vitro, ebore, murrhu: alia etiam vilioris materiae stannea, cornea, ossea, lignea, testacea, seu figlina, in quibus ars commendabat vilitatem substantiae; nam erant toreumata permulta, omnia expolita, extersa: fulgor penne perstringebat oculos. Illic vidisses duo magna malluvia argentea, oris deauratis; umbilicus erat aureus cum insignibus illius. Habet utrumque malluvium suum gutturi, quorum epistomium erat deauratum; stabat et alterum acquiminarium vitreum, fistula deaurata cum poliubro figlino, operis Veneti probe sandracato. Phialae omnis generis, et argenteae duae ad vinum generosissimum.

ARIST. — Ad usum meum ampullas vitreas malim, aut etiam testaceas.

LEON. — Quid facias? Ita est hominum ingenium: non tam in his quaeritur commoditas, quam opinio divitiarum.

ARIST. — Isti opulentissimi saepius videntur aliis tales, sibi inopes: ideo nullus finis praferendi et ingerendi oculis, praesertim qui nullam habent etiam bonam artem, qua fidant. Sed perge.

LEON. — Erat cymatium abaci tapete villoso tectum, de Turcia usque allato. Positae erant duae mensulae procul ab abaco cum quadris et orbibus argenteis: unicuique additum erat suum salinulum, cultellus, panis, et mantile. Sub abaco refrigeratorium, et oenophora grandia. Hic illic sedilia varia: sellae, bisellia, subsellia, et dominae sella plicatilis parata, visendi operis, cum pulvino serico et suppeditaneo.

ARIST. — Pone tandem mensam et explica mappam; nam mihi intestina prae fame rugiunt!...

LEON. - Erat mensa cibila ingens, segmentata operis tessellarii antiqui, quae Principis cuiusdam fuerat.

ARIST. - O mensa antiqua, quam dispari domino!

LEON. - Illam ipse emit in auctione satis magno pretio, solum quod illius fuisse, ut aliquid haberet Principis. Datur aqua lavandis manibus primum magnis recusationibus et invitationibus mutuis, et cedendo invicem. Idem factum est in concessu, quum quisque se inferiorem altero facret, illum extolleret comitate arrogantissima, quum unusquilibet potiorem se omnibus censeret. Sed dominus iure suo distribuit loca. Sacrata breviter et perfunctorie mensa, explicat quisque suum chiromaetrum, et iniicit super humerum sinistrum: hinc cultello repurgat panem, si quid non satis putabat a ministro purgatum; nam decrustatus erat appositus.

ARIST. - Sedebatis commode?

LEON. - Nunquam commodius.

ARIST. - Non potuistis male prandere; nam reliqua facile est colligere suppeditata fuisse redundanter.

LEON. - Imo tam copiose, ut nusquam verius copiam ipsam nocere! ...

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE « MICROUNDIS » IN COLLE VATICANO.

Die undecima superioris mensis Februarii in statione radiotelegraphica vaticana instauratus est novissimus complexus radiotelegraphicus per undas, quarum frequentia quingenta viginti sex millia milium cyclorum per secundum temporis attingit, et quarum longitudo ad quinquaginta septem centimetra computatur.

Systema ab ipso Marconi inductum est et a machinatore Mathieu curatum.

« Lampades oscillatrices », quae tum in sistema emittente tum in recipiente adhibentur, illius generis sunt, quae nomine *Barkhausen* designantur, in quibus frequentissimae oscillationes, in spatio quo circa craterem, inter laminam et filamentum intercedit, excitantur.

Ex triodis autem oscillationes inducuntur in circuitum bifilarem typi Lecher, et hinc ad aereum radians, fibula quadam metallica paucorum centimetrorum longitudinis constans.

Simili quodam modo etiam sistema recipiens constituitur.

Tum istud tum illud in foco speculi parabolici ponitur.

Stationes quae huiusmodi complexu polent, specula ex adverso tuntur, ita ut radii ex altero manantes ad horizontem procedant.

Quamvis huiusmodi sistema aliquot iam ab annis experimenti causa cognitum sit, nunquam tamen in praxi hue usque inductum fuerat, ita ut statio radio vaticana prima e tunica nunc exstet, quae microundis utatur.

Stationi in Colle Vaticano positae respondet simillima in Palatio Apostolico Castri Gandulphi, et propriae communicationes tum telegraphicae tum telephonicae fieri possunt. In telefonica modulatio undae portantis fit per variationem frequentiae.

Vis ab emittente elicita attingit plura decena wattorum.

Communicationes non inficiuntur nec staticis atmosphericis, nec inductionibus, et attenuationes, quae vulgo *fading* dicuntur, nesciunt.

Summus Pontifex Pius XI, qui Ipse huiusmodi instauracionis auctor fuit, voluit et praesens eam inaugurate, et systematis descriptionem ab ipso Marconio audire, et experimentis praeesse.

I. GIANFRANCESCHI.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 500. - Lethargus a pulmone affecto provenire potest.

§ 501. - Verum illud comperit BALLONIUS: Qui a levi sudore somni sunt expertes, et rursum ardore febrili conflagrant, malum; nam qui bene iudicantur suaviter dormiunt.

§ 502. - Caloris revocatio et absentia, febris exacerbatio et sine causa manifesta remissio, solet esse frequens in febre tertianam referente continua. GALenus ait febres has diebus decretoriis deteriores fieri.

§ 503. - Vedit BALLONIUS mulieres aliquot et viros quibus familiaris renum dolor est gravis et pungens, qui saepe concurrunt de dolore lateris veluti si pleuritis aliqua costas occuparet, quum tamen nil sit tale.

§ 504. - Ait GALenus: Lac ubi cruditem in ventre patitur, in frigidiori acescit, in calidiori amarum, nidorosum efficitur. Item HIPPOCRATES asserit: Malum lac in acutis febribus et quibus biliosae sunt dejectiones.

§ 505. - Ait BALLONIUS: Et observavi, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alvi, asinimum lac prescribi: repressa humorum malignitate, lactis bonitate alvus magno commodo substitut. Aliis quibus alvus adstricta, leve profluvium usu laetus contigit, et profuit. Hic observat STOLL: Quaeritur, in quibus alvi profluvii lac proposit? Quibusnam alvum mollet? Credo iis, qui intestinis resiccatis, fibrisque adstrictis donati sunt; his enim pars buty-

racea alvum modicum reddit. Subinde hydrogalia prae lacte conveniet, aut lac cum melle mixtum.

§ 506. - Ait GALenus (*De alimentis*, 3): Lac asinae raro in ventriculo cogitur: quod si lac et mel addatur, non fieri potest, ut ipsum in ventriculo coaguletur. Et addit STOLL: Modus adhibendi lac cum thea et melle plurimum arridet, coagulum autem praepeditur et sapidius, addito sale, redditur. Lac saccharatum adieci sale aequa convenit.

§ 507. - Ait CELSUS (Cap. 22, l. 3): In phthisi sicut in omnibus longis, difficilius febribus, lac dare commodum est.

§ 508. - Quidam aegrotabat dolore nephriticu acuto: vomitiones, urinae plenaria suppressio. In cadavere tamen solus ren sinister calculo obturatus inveniebatur.

§ 509. - Multi medici putabant, vitium in utroque rene haerere, aut in vesica ipsa, aut utrobique. Sed eos eventus fellit.

§ 510. - Temperamento bilioso praeditus, emaciatus, habet calidam hepatis intemperiem, ventremque adustum.

§ 511. - BALLONIUS observat fluxus hepaticos rarissime esse chronicos.

§ 512. - BALLONIUS ait: Calidas intemperies nunquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vienosorum humorum vomitus. In intemperie frigida non dicitur appetitus, sed potius angetur desiderium cibi.

ANNALES

Ad pacem orbi universo comprandam.

Dum Societatis Nationum Supremum Concilium formulam ad concordiam program Boliviensi et Paraguaianae civitati suadet, ad controversiam dirimendam de

¹ Cfr. fasc. mens. Octobre MCMXXXII.

proprietate Chaco regionis; itemque Peruvianos Columbianosque ut a vi abstineant impellit, utque suis de finibus iudicium relinquant legato a Societate apud eos mitendo, Mac Donald, Anglici gubernii praeses, nova escogitata Concilio eidem sua patefecit de pactione ineunda circa discessum ab armis. Haec per annos quinque vigere deberet, intra quod tempus stabilis Coetus a Nationum Societate delectus in armorum per gradus procedentem reductio- nem intenderet, simulque quaestiones de re nondum solutas explanaret. Vix rogatione hac lata, Musolinus, Italorum administratorum primus, ipsum Mac Donald, eiusque collegam Simon, Romam invitat, ibique iis ampliora profert, consilia nempe ad maximarum quatuor occidentalium nationum (Angliae, Galliae, Germaniae et Italiae) sociam operam promovendam, per quam in pactione Kellog iamdiu inita, et in mutuis promissis nunquam ad vim consu- giendi, Europae non solum, sed orbi uni- verso diurnae pacis dies comparentur. Illis ipsis fere diebus Colman quoque De Kanya, novus exterarum rerum apud Hungaros minister, in Italiam venit, plura- que colloquia cum Musolinio habuit.

Oh! tandem aliquando sperare liceat, fore ut laudabilibus hisce incoepitis exitus optatissimus respondeat, nimiisque adhuc effusis incassum verbis facta succedant!

Teutonicae res.

In Austria gravis dissensio intercessit inter publicum legatorum Coetum legi- bus ferendis administratorumque Collegium, quod Reipublicae Praesidi, sua auctoritate, iura nonnulla transtulit atque tribuit, quae hucus Coetus ipsius fuerant.

Ex parte sua Hitlerus in Germania legem perfert, qua potestas omnis ad men- sem Martium usque anni MCMXXXVII Guber-

nio tribuatur, statimque per eam ad Com- munistarum factionem destruendam viri- liter procedit.

Civitatum Septentrionalis Ame- ricae Foederatarum novi Prae- sidis actiones.

Et Rooseveltus omnem sibi vindicat potestatem, quo oeconomicam rem in discrimen adductam restituat. Quod se nunciat praesertim aucta parsimonia in aerarii administratione et pecuniam mu- tuam accipiendo facturum. Quod ei bene- vertat.

Funera.

In Somaliae oppido, ab eo condito et nuncupato, die xviii huius mens. Martii, vita functus est Aloisius e Sabaudica regali gente princeps, Aprutiorum dux, vir magni ingenii et virtutis: altissimos Eliae, Ruwenzori, Karakorum montes, glacialis oceani maria ad polum prope, fluminis Uebi Scebeli aliaque Africana loca auda- citer exploravit, strenuus praetor navalis in bello extitit patriasque colonias assidue in pace coluit. Natus erat Madriti d. xxix mens. Ianuarii MDCCCLXXIII.

Sacri Iubilaei initium.

Dum scribimus, die i mens. Aprilis, Summus Ecclesiae Pontifex Pius XI Sacrum Iubilaeum, ad saecularia Dominicæ Redemptionis celebranda indictum, sol- lempli ritu inaugurator. Christus, qui Unus potest, in pace et ordinis tranquillitatem universum orbem Is constitut!

Non valde gaudere debemus quando laudamur, nec contristari quando vituperamur; quia nec de- pravare iniuriam, nec coronare potest laus.

S. AUGUSTIN. in Epist.

VARIA

Incendium Veneti navalis armamentarii.¹

Anno MDIX, Venetiis, claro ac sereno die, urbanis in navalibus, dum pulverem ad tormenta exercenda confectum, in arcu- las ligneas operae infarcient, ictu mallei favilla emicuit. Ea ingentem eius pulvleri acervum comprehendit, disiectisque im- mani cum fragore ac tonitru terraeque motu eius conclavis, in quo asservabantur, parietibus et tecto, ut lateres, tegulas, asseres, tignaque ipsa longo per aera tractu volantia ignis vis atque impetus in diversa tulerit, fumo et caligine urbem totam puncto temporis integens, civitatem perterrefcit; senatusque, qui habebatur, miraculo exter- ritus in forum frequens descendit. Eo igni et cadentibus passim iis, quae sublime- ierant, fragmentis, ex fabrûm collegio quamplurimi, magisterque ipse fabrûm et honesti homines aliquot interierunt: habita- que pro ostentu res fuit.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM PASCHALIUM ORDO:

Pileoli Bononienses in gallinaceo iure fluitantes.

Obsonia varia fricta.

Pipionum mattea.

Bracteae ex ovis.

Agnus assus cum acetariis.

Libum Paschale.

¹ Ex P. BEMBO.

* * *
locosa.

Tuccius ante horologium horam duode- cimam indicans:

— Unde sciam utrum dimidium diei referat, an noctis?

TUCCIU in schola.

MAGISTER. — Quo se contulerunt Noe filii, quum e paterna domo migrarunt?

TUCCIU. — Sem in Asiam, Iaphet in Europam, Cam autem in Africam.

— Atqui, in Americam?...

TUCCIU, post aliquam moram: — Christoporus Columbus!

Aenigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)

DOMUS QUIES.

II.

Littera, de liquidis quae una est, pars prima;

[secunda]

Vox dubii. Ut, lector, nes praecipit ultima;

[totum]

Errans quod populus loca per deserta comedit.

Aenigmata in superiore fasciculo pro- posita his respondent: 1) *Sa-turnus*; 2) *Pel-lex*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. A. HAB... *Tirschenreuth*. — Moram doleo; ominor salvos ambos incolumesque ad exoptatum illum diem nos mansuros. Interim, non ego tuae, sed tu, hospitii gratia, ad Romanam pronunciationem te disponas! De ceteris plurimas tibi gratias ago.

Cl. v. I. TASS., *Tonnerre*. — Habeas et tu gratias amplissimas!

A SECRETIS.

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[16]

Sed ad descendendum aptum non esse cognitum est postridie, III Nonas. Pervenit erat ad locum, unde promontorium Crozier distabat versus occidentem chilometris novem. Nihil hīc postremis octo annis mutatum erat. Nam adhuc stabat, quem hīc fixerant longurius, et Wilson affirmabat magnae illius glaciei marginem adhuc ad eosdem atque tum promontorii scopulos desinere. Demittitur navigiolum in undas, quo Scottus paucis comitatus ad ipsum litus remigavit, ut de egrediendi facultate ex propinquuo cognosceret. Sed nulla ostensa est. Praeterlabantur lntre saxa promontorii, quae maiorem partem sunt tophus eruptivus inclusis magnis columnis basaltæ. Sub quodam saxo imminentiore ceteris iocantur se profecto non diu victuros esse, si casu tantilla rupes resoluta daret ruinas. Et animo anxii ad navem conversi ducenta vel trecenta metra navigiolum suum propulerant, quum repente post terga eorum fit fragor et atra pulverum nubes prospectum aufert viris: nam illa ipsa rupes in mare deciderat. Neque ulla pars huius septemtrionalis littoris insulae Rossiae spem dabat commodioris egressus. Profecti igitur pridie Nonas superant promontorium Bird, incubationibus celebre pinguinorum, et glaciei flumen, et pervenient in canalem apertæ aquæ, in qua praetervehuntur littora rigentia glacie. Mirantibus atque gaudentibus in conspectum veniunt ad dextram montes iam pridem cogniti et e regione antarctica mons Discovery. Atque in libera aqua praetervolant promontorium Royds et promontorium Barne, et circumvecti insulam, inaccessibilem pauca chilometra versus antarctidem legerunt. Tum vero

advocato consilio ex multis locis idoneis hibernaculo elegerunt locum promontorii cuiusdam, cui «rapacium larorum» non en dare antehac consueverant. Nam ex eo loco vix unquam futurum esse videbatur, ut secernerentur a glacie Rossi, qua iter esset ad polum. Appulsa igitur navis est ad firmam glaciem, qua tegebatur sinus freti Murdonii anchorisque firmata. Scottus et Wilson et Evans per glaciem freti spatio chilometrum trium accesserunt ad promontorium, quod hīc mutato nomine promontorium Evanum vocatum a Scotto est ex nomine comitis, qui se optimum praestitisset praefectum navis. Ipsa ora apertissima esse videbatur statio. Saxum erat arenaceus olivinus, et locus versus septemtrionem cum occidente compluribus tectus erat collibus. « Sic nobis », inquit Scottus, « post longam invidiam Fortuna mitis arrisit. Nacti hīc sumus malaciam horarum viginti quattuor splendente usque sole, ut nobis in hac mundi regione esset iucundissimum. Hic calor solis permixtus huius caeli frigoribus robur afferre videatur corporibus, et purpurea lux his montibus et glaciei irradiata huic tamquam scena magnificientiam aspirat omni expectationi maiorem; quam magnificantiam Ponting photographus noster, veluti ebrius, vocibus tollit quae, si de aliis mundi locis dicerentur, nimium viderentur auctae, ad quam vel partim describendam nulla mihi subeunt vocabula ».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor,

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA




QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Maio MCMXXXIII

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE STUDIORUM ROMANORUM CONVENTU RECENS ROMAE HABITO

Conventus ad Romana studia provenhenda superiore mense Aprili exeunte in Urbe habitus, inter plurima argumenta, et de usu latini sermonis inter doctos praesertim vulgando, ut iam diximus, disseruit. Id dupli consensu factum est, nempe in eo qui de litterarum et humanitatis disciplina, atque in eo qui de disciplina scientiae pervestigandae fuit.

In altera parte bifariam actum est: vir clarissimus Vincentius Ussani, latinarum litterarum doctor in romano Athenaeo, de rationibus latinas litteras docendi in scholis medii et supremi ordinis pertractavit; in altera Carolus Galassi Paluzzi, totius conventus a secretis, de latina lingua tamquam instrumento communicationis inter doctos universi orbis retulit.

Ussani labentem ubique latinarum litterarum, immo classicorum studiorum omnium disciplinam, apte cum vitae ratione animo nunc suscepta connexuit, per quam rebus cognitis modo credere et

omnia machinatione quadam agitari ante recens bellum perhibebatur; itaque in scholis secundi ordinis locus amplior in dies factus est disciplinis, quae usu atque exercitatione ad suam cuiusque utilitatem magis accederent. Vel in athenaeis mythica de bonis artibus inquisitio humanitatis studia proscripsit, quasi florem haec existimans in caldario a perantiquarum rerum fanatico quadam collectore putide asservatum. Atvero post bellum, et per bellum, novum ad mores hominum pertinentis institut examen, novusque (an antiquum potius dicamus?) honor suaque dignitas eximiae vitae pulchritudinis speciei redditia sunt; quibus conatus quoque est tribuendus, isque apud omnes fere civiles nationes communis, ad latinitatem et classica studia instauranda.

Cuius quidem voluntatis indicium maximum apud Italos nos in scholis habitum est per studiorum rationem anno MCMXXXIII innovatam, qua humanitatis studia, et hi-

storica simul, universae fere civitatis institutionis tamquam fundamenta posita sunt. Ita factum est ut latinae linguae studium in ipsis ludos, in quibus puerorum magistri efformantur, induceretur, ea mente praesertim, ut, antiquorum temporum visu atque sensu, magistri animus attolleretur, et per magistrum classica ratione institutum novus hic spiritus in populi animum defigeretur. Si magistri latinam humanitatem optime calleant, eiusque optimam in schola virtutem cognitam comprehensamque habuerint, latinum sermonem alterum patriae vivum sermonem facient, imo ad officium revocabunt, quod iamdiu tenuit, poteritque etiamnunc inter prudentes fines reduci; sermonis, inquam, quo gentes omnes inter sese vicissim intelligent.

Non itaque propositis tantum atque institutis ad discendum opus est, imo vero hominibus, qui latinam linguam quam docent certo sciant, in eaque fidem ponant suam; hi apud athenaea conformandi sunt per classicam disciplinam, quae historica utique esse debet, sed etiam latinarum litterarum; debet utique criticam artem scriptorumque exempla curare, et in fontes inquirere, et linguae historicam cognitionem persequi, sed eamdem linguam docturo, docendi quoque facultatem ex usum tum scribendi tum loquendi suppeditare. Quod si latinam linguam in athenaeis docenti perfungi ex omni parte munere hoc non liceat, praesertim ubi frequentes nimis discipuli sint, adiutores ei addicantur, atque etiam dictata eorum, qui libera docendi facultate utuntur, cum publica institutione ad rem componantur. Ab iis praeterea qui ad laureae periculum simulque ad latinitatis in scholis docendae certamina accessuri sint, et experimentum latinae orationis in scriptis repetatur.

Dicenti assensore omnes qui aderant, iuxtaque eius sententiam suffragium uno animo tulere.

* * *

Carolus Galassi Paluzzi retulit in primis, auctore se, quamquam latinarum litterarum haud satis perito, Institutum ad Romana studia provehenda munus sibi sumpsisse promovendi, per congruentem et compositum consiliorum complexum, instaurationem studii et usus latinae linguae. Quaenam autem huiusmodi erunt consilia?... Suo quidem iudicio, ut absurdum praetermittenda erit condicio latinam linguam adhibendi ad colloquendum inter gentes vicissim; inquirendum ex adverso in maxime idoneas rationes quibus latina lingua fiat lingua in universum *lecta*, atque finibus, latis quidem at identidem angustis, circumscripta bonarum artium et litterarum doctorum, hominumque humilitate politiorum. Actorum igitur publicorum relationes et in conventibus, et apud academias et similia, latine, summatum saltem, vulgentur.

Alia erit condicio, plurium lexicorum compositio, quae vocabula notionesque peculiares praebant hodiernarum disciplinarum propria, eaque latine redditia.

Latinae linguae denique usus ubique excitandus; ad rem internationalis coetus in Urbe constituendus, qui operam suam per orbem universum radietur, sparsasque vires in unum colligat ad communem finem facilius assequendum, optimis quae sibi videantur rationibus; inter quas certamina propositis praemiis ne praeterendantur.

Postquam Relator finem loquendi fecit, petita atque a consessu Praeside dicendi facultate obtenta, cl. vir Silvius Romani, in Pontificio Urbano Instituto Utriusque Iuris magister, se non dissentire declaravit in iis quae Relator ipse exposuit a collegio suo curatum iri, nempe ut sumaria latine edantur ex omne genus potioribus studiis variis concinnatis linguis; utque certamina latina tum inter magistros, tum

inter alumnos indicantur. Dolet tamen se consentire non posse in eam quam negativam dixerit relationis partem; illic ex adverso opus, huc labor maximus. Non enim agimus de exsuscitanda lingua latina, quae nunquam mortua est, sed vivit et viret, aptissimeque, etiam in colloquiis et disputationibus, Ecclesiae praesertim inservit ubique terrarum, non ad ea tantum quae religionem, sed et ad ea quae mores, iura, artes vel novissimas, inventa vel audacissima, explorations improvisas, commercia populorum, mercaturam, virtutes denique omne genus vitiaque nostrae huius aetatis concinne expromenda videantur. Non itaque lingua deest, sed nos, nos desumus et linguae et nostro quisque officio, quum non vereamur, non dubitemus latinam linguam docere, de latina lingua sententiam dicere, quam non calleamus. Non callere enim censendi sunt quotquot eam difficultiam inter omnes praedicarunt, qui desperarunt eamdem posse modo ad usum vitae revocari, et conantur ceteros in eamdem abripere desperationem. Itaque operam censem dannam insomnem, ut vel a primis ludis erudiantur, exerceantur pueri colloquendo latine; ut commentarii, qui iam praesto sunt commodissima hac de re, ut haec *Alma Roma* in Urbe edita, magis magisque in dies vulgentur; ut arceantur denique a lingua docenda qualibet, ideoque et a latina, qui eam ignorent, qui eamdem ita non calleant, ut expedite concinneque in colloquendo eam adhibere valeant.

Consensus praeses Ussani, clarissimo Romani obicit Palutianae orationis partem, quam is negativam appellavit, privatam propriamque Relatoris tantum opinionem referre, ita ut nec locus nec tempus huc sit eam in disceptationem adducendi, eoque magis post ea quae iam de re post sui ipsius Praesidis relationem sarta teatraque praestita sunt. Unice nunc est iudicium ferendum de conditionibus ab oratore

propositis, quibus ipse doctor Romani assentitur, quasque quotquot adsunt omnes proculdubio assensu suo comprobabunt.

Quod quidem factum est.

* *

Verum, ut superius diximus, res agita quoque est in consessu, quae sapientium pervestigationes de physicis, mathematicis, naturalibusque disciplinis spectarent. Doctor clarissimus Fridericus Millosevich, Italici regni senator et mineralogiae magister in Romano athenaeo, cui munus disserendi circa sermonem latinum utpote in usum communis doctorum linguae inducendum fuerat commissum, recoluit in primis latinam linguam usque ad dimidium saeculi xvii iam in communem usum perseveranter fuisse inter omnes physicarum, mathematicarum et naturalium disciplinarum cultores. Vel si non omnia etiamtum huiusmodi opera latine omnino scriberentur, commercium tamen epistolarum inter variarum nationum doctos viros vulgo habebatur. Locus vero, ob historicas causas satis notas, gradatim gallica lingua occupavit, quae primo obtutu visa est latinae substitui posse; saeculo vero decimo nono exeunte, festinanter, singulæ cuiusque civilis nationis linguae, una cum scientiae in unaquaque civitate progressu, ad eius exitus eventusque patelaciendos adhibitae sunt. Hodie in omnium gentium conventibus linguae tres omnium consensu admittuntur: anglica, germanica, gallica, dum hispanica italicique iura controvertuntur. Latinae linguae rationabilis quidem non denegatur aditus, sed re nemo ea utitur.

Quod si ad academica scripta nos convertimus, itemque ad scientiae commentarios, haec invenimus in singulis nationum linguis ubique exarata. Ante immane recens bellum quidem gravi huic incommode temperamentum aliquod praestero erat: Russi, exempli gratia, germanicam lin-

quam praeferebant, vel saltem suorum operum epitomen eadem lingua vulgabant; itemque Cecoslovachi, qui hodie suo sermone scribunt; in summaris vero non amplius germanico, sed gallico, dum Russi ad summaria omnino supprimenda intendunt; Iaponii autem ad suam anglicae linguae substituendam. Non equidem necesse est exempla multiplicare, ut facile concludere liceat babelicam linguarum confusio nem, addito ingenti scripturarum numero de variis progradientis scientiae rationibus, impossibile, aut saltem maxime arduam efficere cuiuslibet argumenti plenam cognitionem, unicam nempe ac necessariam conditionem qua quisque aliquod studium elaborandum sibi suscipiat. Neque bibliographiae huic malo mederi queunt, erroribus et intermissionibus haud expertes, ob scripturarum in dies crescentem numerum et linguarum nimiam varietatem.

Necessitas itaque sermonis unius apud omnes communis instat: atqui sermo hic nullus nisi latinus esse potest, quem iamdiu quam inutiles vacuique fuerint sermones arte confecti experti simus, pariterque impossibile fore ut nationes simul conveniant de una aut altera earum lingua ad rem assumenda.

Faustis quidem auspiciis discessus ac digressus a latino sermone integre prorsus nondum factus est: biologicae, exempli causa, disciplinae aliquam cum eo coniunctionem servarunt: in medicorum conventibus maiorum nostrorum sermonem interdum adhuc audimus, multique herbarii, zoologi ac paleontologi latine proferunt specierum a se illustratarum diagnostim. Equeid, difficile admodum foret laudabile ritum hunc omnibus imponere?

Plura acta academica latino titulo ornantur, etiamsi in voluminis paginis lingua ipsa raro inveniatur. Exemplum prae ceteris praebent Hungari et Finländici, latinorum titulorum concordia coniunctissimi; quos Sueci non pauci, Poloni,

Helvetici sequuntur, atque minori frequen tia populi alii, Iaponiis non exceptis *Actis suis phitochimicis* in urbe Tokyo, et *Actis scholae medicalis Universitatis*, Kyoti editis. Damus obsequium hoc formae tan tum reddi; non tamen significatione aliqua destitutum nobis appareat, scilicet doctorum animum apud populos illos satis perspicere et intelligere sermonem latinum humanitatis omnis parentem esse, ideoque ad universorum usum restituendum.

Itali nos, antiquorum Romanorum sanguine recta prognati, heu! debiti obsequii huius oblii sumus: academiarum nostrorum, et Lynceorum ipsius, acta italice inscribuntur; ne frons quidem latina offertur celeberrimorum «Monumentorum antiquorum» neque «Effissionum notitiarum»; quin immo latina colloquia latinasque disceptationes negligimus, spernimus; neque difficile est advenas latine nos alloqui, quum nos latinae responsioni impares ostendamus. Atqui dum necessitas linguae unius a scientiae cultoribus ubique adhibendae in dies urget, latinitatis iura, exemplo praesertim, tuendi nostrum prae omnibus est, eaque maiore virtute tenacique constantia hodie firmare, quum Romae numen nova luce fulgere videatur.

Optimum igitur Instituti ad Romana studia provehenda consilium in conventu hoc tanti momenti quaestionem agitandi, cui et scientiae omnis studiosi plaudere debemus; consilio item ac rationibus propositis ad finem assequendum tum circa summaria latine redigenda de rebus ad physices, matheseos, naturaliumque disciplinarum doctrinam spectantes, tum de lexicis conficiendis ad bonarum artium novissima latine exprimenda; quae profecto ad latinae linguae avitum honorem restituendum sensim adducent.

Postquam praeclarus vir finem loquendi fecit, Eugenius Morelli, doctor medicus, publici italicici coetus legibus ferendis legatus, ac supremi collegii Ordinis medico-

rum a secretis, se ita cum oratore consentire profitetur, ut iam constituerit in commentarium ordinis ipsius, quem is moderatur, summaria de quibus dictum est inducere, sive ab ipsis rerum scriptoribus exarata, sive a quadam perito viro latine redditia.

Sequitur Henricus Clerici, biologiae magister. Is, quae in re expertus ipse fuerit collegis revelat. Quum enim in technicis, quas vocant, scholis institutus ad superiora studia accessisset, sensit illico latini sermonis cognoscendi necessitatem. Auxilio itaque cuiusdam sacerdotis in eiusmodi studium incubuit, brevique in eo ita progressus est, ut et certaminis cuiusdam periculum superaverit. Sensim deinde, deficientibus occasionibus, tractatio latine dicendi apud eum pro! non satis superfuit: hodie vero libentissime eam resumet atque in usum iterum vertet: haec ad hortatum stimulumque collegarum propter voluit.

Baglioni doctor, Ordinis pharmacopolarum Praeses, se declarare posse putat Ordinem ipsum propositis consiliis plenis suffragiis assensurum, eoque magis quod per orbem late etiam nunc medicarum compositionum iussa latine dictentur.

Crema, geologiae magister, ad rem magis perficiendam ominatur ut una eademque latina pronunciatio tandem aliquando constituatur.

Fornarius noster dicendi facultatem a Praeside se rogasse ait in concessu, cui se ascribi non posse optime sentit, unam ob causam, quod nempe tenax adsertor et propugnator iamdiu exstet rationum, quibus latina lingua communis, inter sapientes saltem viros, tandem aliquando sit redditura, quippe quae et etiam nunc adinventa vel recentissima et novissima cogitata exprimere valeat. Id per *Vox Urbis* commentarium primum, per commentarium *Almam Romam* deinde et adhuc, itemque per alia eiusdem generis scripta, iam annos triginta re confirmare sagedit. Recete

quidem peculiarium lexicorum de novis rebus compositio; sed novarum rerum lexicon parum profecto fuerit, nisi cum verbis phrases et periodos esformare valuerimus, quae vim, mentem, latinum stylum referant. Ut vir, praesertim aliqua humilitate cultus, dum velit, latinam linguam brevi exercere valeat, testis paulo ante inter nos fuit clarissimus Clerici; qui vero simul aperte nos docuit usum et exercitationem necesse ad rem omnino esse; atqui usus et exercitatio colloquendo tantum acquiritur. Hic opponi iterum veterem quaestionem audivimus de una apud omnes pronunciatione latina; inexplicabilem quidem cogitanti cuvis Latinos ipsos varie a loco ad locum linguam suam enuntiasse, iisdem de causis quod, exempli gratia, Sicaniae extremae, Sardiniae insulae Itali nostri italicam linguam aliter loquuntur ac Pedemontanae aut Langobardicae aut Venetiarum regionum incolae. Atque tamen inter nos intelligimus: aggrediamur igitur inter nos latine colloqui. Neque exempla deficiunt: in athenaeis theologicis, philosophicis, iurisque ecclesiastici a magistris et discipulis — (quin immo hi ex universo orbe adfluent) — latinus sermo unice adhibetur; atque tamen et ipsi vicissim intelliguntur. Neque tantum id inter clericos viros; sed — (exemplum imitatione dignum!) — apud regium Mutinense athenaeum medica disciplina a praeclaro magistro Iosepho Favaro instituitur, ac disceptatur latine. Huiusmodi documenta amplificantur in dies: quo magis id fiat, eo citius et scriptio latina inter doctos reviviscet atque in suum honorem iterum adducetur. Haec nova communis Romanae patriae resurrectio erit, eiusque aeterni spiritus per orbem universum.

Denique Doctor Caesar Hortali, pathologiae medicae in Romano athenaeo magister, qui de latino sermone vulgo in medicis disciplinis adhibendo disceptatus erat, post ea quae uno animo atque sapien-

ter dicta audivit, declarat verba sua inutilia fore, seque oratoribus, atque Fornario praesertim, gratulantem accedere.

**

Haec relata fideliter quae de restituenda apud viros doctos latinitate in recenti Romano conventu acta sunt; addemus et latinorum litterarum concessus participes e scriptorum collegii nostri numero fuisse IOSEPHUM FORNARI, cui officium traditum fuerat de commentariis per saeculum xx latine scriptis referendi; MARCUM GALDI, qui de veneribus disseruit, quibus Didaci Vitrioli *Elegiae Pompeianae* scateant; THOMAM SORBELLI qui repercuttus collegit recentissimi lethalis belli in hodiernam latinam poësim; IOSEPHUM MORABITO, qui de Hermanno Weller dixit; ALAFRIDUM BARTOLI qui recentiorum latinae humanitatis cultorum memoriam revocavit: IUNIUM denique GARAVANI, qui latina Alexandri Zappata, magistri quandam sui dilectissimi, carmina diligenter excussit.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

§ II. — Coniunctivus dependens a propositione primaria.

Ex natura sua, coniunctiones seu particulae² subordinantes aut semper indicativum aut semper coniunctivum, aut modo indicativum modo coniunctivum postulant.

Alio praeterea ex capite, et quidem triplici, coniunctivum sibi adsciscere possunt. Quod sequentibus regulis patebit.³

¹ Cfr. fasc. sup.

² Quibus comprehenditur etiam relativum « *qui*, *quae*, *quod* ».

³ Frequenter tamen, quamvis non necessario, in indicativo ponitur propositio relativa quae, iuxta sequentes regulas, coniunctivo efferenda videtur. Tunc

I. — Coniunctio quaevis verbum in coniunctivo regit, quum de actionis exsistentia dubitanter loquimur;⁴ v. g.:

Omnia tolerabilia brevia esse debent, *etiam si magna sint* (Cic., *De Am.*, 27).

Nihil *quod* ad eam rem *pertineat*, praeterrimus (Cic., *Ad Fam.*, I, 5).

Nulla res erat de *qua* scriberem (Cic., *Ad Fam.*, VI, 5).

II. — Quum adest in sententia seu phrasim

¹⁰ Coniunctio⁵ regens coniunctivum, coniunctiones et praesertim pronomina relativa quae ab illa pendent, plerumque eundem modum regunt; v. g.:

Recordatione nostrae amicitiae sic fruor, *ut* beate vixisse videar, *quia* cum Scipione *vixerim* (Cic., *De Am.*, 4.)

Istud faciam *ne*, *si* tibi *sit* pecunia *adempta*, aliquis dicat ad me ereptam pervenisse (Corn. Nep., *Ep.*, 4).

Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam; alterum, *ut* ita cuique eveniat, *ut* de republica quisque mereatur (Cic., *Phil.*, II, 46).

Omnis virtus nos ad se allicit, facitque *ut* eos diligamus, *quibus* ipsa inesse videatur (Cic., *De Off.*, I, 17).

mera est circumscriptio seu determinatio alicuius substantivi vel adiectivi; v. g.: Eloquendi vis efficit *ut ea quae ignoramus* (= ignota), discere, *et ea quae scimus* (= nota), alios docere possimus (Cic., *De natur. deor.*, II, 59). — Efficiatur autem ab oratore, necne, *ut i qui audiunt* (= auditores) ita afficiantur ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione iudicari solet (Cic., *Brutus*, 49). — Hortemur liberos nostros ne iis exercitationibus *quibus utuntur omnes* (= communibus), sed aliis quibusdam se *id quod expetunt* (= propositum) consequi posse confidant (Cic., *De Or.*, I, 5). — Sic habetote: magistratibus *iisque qui praesunt*, (= praesidibus) rempublicam contineri (Cic., *De Leg.*, 3, 5).

¹ Sic, quum quis dicit alteri: « *Etsi* doctissimus es, tamen non omnia te scire fatebere », affirmat eum esse doctissimum. — At quum dicit: « *Etsi* doctissimus sis », de eius doctrina dubitat.

² Etiam vox interrogativa; v. g.: Oblitum me putas *qua* celeritate, *ut primum audieris*, ad me Tarento advolaris? (Cic., *Ad Fam.*, I, 27).

²⁰ Accusativus cum infinito: coniunctiones ab eo pendentes pariter coniunctivum regunt;⁶ v. g.: Satis nobis persuasum esse debet, *si omnes homines celare possimus, nihil tamen iniuste esse faciendum* (Cic., *De Off.*, III, 8).

Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum quam *esse aliquod numen praestantissimae mentis*, a *quo* haec regantur? (Cic., *De Natur. deor.*, 2, 2).

III. — Coniunctivum regunt coniunctiones et pronomina relativa in « stilo » indirecto⁷ sive quandocumque scriptor loquitur ex mente alterius;⁸ v. g.:

¹ Indicativus tamen usurpat in propositione quae praecedentem, vel aliquam huius vocem declarat, nullum eius effectum, finem, causamve indicans, et simul actio verbi proponitur tanquam absolute existens; v. g.: Asia tam opima est *ut* multitudine earum rerum *quae exportantur* facile omnibus terris antecellat (Cic., *Pro Leg. Man.*, 6). — Quotusquisque philosophorum est *qui* sit ita moratus *ut* ratio postulat? (Cic., *Tusc.*, II, 4) — Ea est perturbatio omnium rerum, *ut* nemo sit quin ubi quis *ubi est* esse malit (Cic., *Ad Fam.*, I, 1).

² Inter stilum indirectum et orationem indirectam hoc discriminis est, quod oratione directa verba aliqui referimus, quae propositioni seu verbo etiam tacito adnectimus; v. g.: « *Volo* », (= orat. dir.) inquit — (Dixit) *se velle* (= orat. indirecta);

Stilo indirecto loquimur ex mente alterius; v. g.: Socrates accusatus est *quod corrumpet* (= stil indir.) iuventutem. — Diogenes contemnebat divitias, *quae se felicem reddere non possent* (= stil. indir.).

NB. — *Quod corrumpet...* *Quae non poterant...*, etiam latine dicentur, sed sensu affirmativo scribens proprio, non ex mente alterius.

Quaenam autem mutationes facienda sint, quum oratio directa in indirectam transit, sequens schema docet:

« *Volo* », inquit — (Dixit) *se velle*.

« *Quam altae sunt Alpes!* », inquit — (Dixit) *quam altas esse Alpes*.

« *Quid veremini?* » inquit — (Dixit) *quid vere rentur*.

NB. — *a)* Interrogationes orationis directae quae non sunt secundae personae redduntur propositione infinita; v. g.: « *Quid est turpius?* » inquit — (Dixit) *quid esse turpius*. — *Quid reformidabimus?* — *Quid se reformidatueros*.

b) Interrogationes oratoriae omnes propositione

Noctu ambulabat in publico Themistocles, *quod somnum capere non posset* (Cic., *Tusc.*, IV, 19).

infinita redduntur; v. g.: Num iniuriarum obliisci possum? — (Dicebat) num se iniuriarum obliisci posse.

« *Ite erumpite!* » — (Dixit) *irent, erumperent*.

« *Ne speraveritis!* » — (Dixit) *ne sperarent*.

« *Non tulisset* » — (Dixit) *se non laturum fuisse*.

Propositiones quae in oratione directa sunt subiectae, in indirecta coniunctivo efferuntur; v. g.: « Reddam obsides *quos habeo* » — Obsides *quos haberet* se redditurum (dixit).

NB. — *a)* Infinitivo tamen efferri possunt et propositiones comparativa; v. g.: Peritum se potius dixit *quam* cum tanto flagito rediret vel redditum (CORN. NEE).

et propositiones quae relativo copulativo incipiunt; v. g.: Ex *quo* (= et ex eo) iudicari posse (dicebat).

b) In oratione indirecta inseri potest propositiones relativa quae scribentis sententiam exprimat. Tunc indicativo effertur; v. g.: Aristoteles ait apud Hypatium fluvium, *qui in Pontum influit*, bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant (Cic.).

c) Notandum praecipue usus coniunctivi ex mente alterius, quum, ope relativi vel coniunctionum causantium « *quod*, *quia* », rationem afferimus alicuius dicti aut facti, et insinuare volumus hanc rationem non a nobis allegari, sed allegatam fuisse vel ab eo qui rem dixit aut fecit, vel etiam ab alio; v. g.: Aristides nonne ab eam causam pulsus est patria, *quod* praeter modum iustus *esset*? (Cic., *Tusc.*, V, 36). — Bene maiores nostri accubitionem epularum amicorum, *quia* vitae coniunctionem *haberet*, convivium nominarunt (Cic., *De Sen.*, 13).

b) Exceptio est quum in propositione quae videli possit oratio indirecta, scriptor data opera intendit ex propria sua mente loqui; v. g.: Per exploratores Caesar certior factus est ex ea parte vici *quam Gallis concesserat* omnes noctu discessisse (CAES., *De Bel. gal.*, III, 2). — Tangebatur animi dolore necessario, *quod domum eius, exornatam atque instructam, ferre iam iste reddiderat nudam atque inanem* (Cic., *Verr.*, II, 34).

c) Praeceptum efferendi coniunctivo ea quae dicimus ex mente alterius delicatam quidem latini sermonis, praesertim Ciceroniani, proprietatem exhibet. At non semper ab historicis accurate observatur; v. g.: Ubi ille esset *cuius* imperium, cuius auspicium *secut erant*, requirebant (QUINT. CURT., X, 8).

d) Constructione minus recta, sed tamen usu re-



Socrates dicere solebat omnes, in eo quod scirent, satis esse eloquentes (Cic., *De or.*, I, 14).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

(*Ad proximum numerum*).

QUOMODO B. IOANNES BOSCO SACRA STUDIA EXCOLUERIT¹

I. — « Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius quia angelus Domini exercituum est ». Haec verba Malachiae prophetae Beati Ioannis Bosco menti ita cohaeserant, ut a prima usque ad proiectam aetatem invictum ab studiis ecclesiasticis animum haud relaxaret, nihil praetermittens quominus omnibus cognitionibus, quae sibi utiles viderentur, etiam arduis et adeptu difficillimis imbueretur.

Tametsi natura ingenio ad quaslibet disciplinas complectendas donatus fuerat, nihilominus² vocationi sua obtemperans sacras disciplinas in deliciis habuit.

Postquam incredibili operositate studiis simul et laboribus operam dando e pueris excessit, seminarium ingreditur, ubi animum adeo in studiis agitare coepit, ut magistris carissimus, sodalibus admirationi esset; legem enim firmam sibi statuerat ne temporis vel minimum spatum

cepta, frequenter accepta accidit ut verba « dico, arbitror, existimo, puto », et similia, quum ex mente alterius allegatur ratio alicuius dicti vel facti, in coniunctivo regantur a coniunctione « quod, quia » vel a relativo; v. g.: Rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret (Cic., *De Off.*, I, 18). — Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis putares esse dicturum (Cic., *Phil.*, II, 35)

¹ Oratio habita in Ascertorio Theologico Salesiano Cordubae, in Rep. Argentina.

labore vacuum transigeret, non modo in aula studiorum, sed (quod mirum est) etiam in ipsis solatii horis, quibus sedulo utebatur ut ingenio sive lectione sive colloquio magis in dies expoliret, iuxta sententiam Augustini: « Circulus et calamus fecerunt me doctorem ».

II. — Expleto laudabiliter studiorum curriculo, et sacra ordinatione insignitus, ratus tamen scientiam sacerdotis propter amplitudinem et populi christiani necessitates nullis finibus contineri, inter alumnos Beati Iosephi Cafasso, qui id temporis Augustae Taurinorum sanctitate et doctrina florebat, adscribi voluit, ut theologia morali et pastorali ab eo institueretur, quo uberiori fructu animabus puerorum praesertim opitulari posset.

Quantum vero Cafasso magistro in his disciplinis profecerit hoc unum satis innuat, quod vixdum ad confessiones audiendas est adprobatus, fideles, et imprimis pueri et adolescentes, eius tribunal ea frequentia stiparent, ut cotidie plurimas horas et interdum totius noctis tempus illis audiendis impendere sibi opus esset.

III. — Theologiam dogmaticam et scientiam Sacrarum Scripturarum efficaciter et luculenter adhibuit in disputationibus cum doctissimis pastoribus lutheranis et valdensibus eo tempore Italianum erroris lue militantibus, quos silere coegerit quorumque rabiem in ipsum adeo concitatavit, ut pluries ad mortem quaereretur. Scientiae B. Ioannis fidem faciunt etiam libelli complures relligioni tuendae ab eo conscripti eaque copia vulgati, ut vix in Subalpinis inveniatur domus in qua non legerentur. Merito igitur est adserendum, quem ad modum aliis temporibus alios, sic superiore saeculo B. Ioannem ad conterendos christiani nominis hostes eosque ex Italia arcendos a Deo electum fuisse.

IV. — Litteris quoque italicis, latinis et graecis eruditus erat, quorum scriptorum, poëtarum praesertim, optima quaeque frag-

menta sui suorumve solacio etiam senex memoriter recitare solebat: has tamen litteras animo excolendo, alumnis docendis, libris conscribendis minime sui extollendi causa adhibuit: se malle, aiebat, illiteratum haberi, quam eleganti et altiori sermone utendo vel a rudioribus non intellegi.

V. — Quid de eius cognitione historiae ecclesiasticae? Maxima fuit supra quam cuique credibile est. Constat eum etiam alumnū plurimos de ea re evolvisse tractatus, ex quibus recensere sufficiat praestantissimum illum eundemque amplissimum XXII volumina complectentem auctore Renato Rohbacher. Non est igitur quod miremur ex his purissimis fontibus scientiam attigisse ad exarandos libros populo et rudibus aptatos de Summis Pontificibus, de Sanctis deque viris illustribus, necnon auream illam de historia Ecclesiae tractationem, quam unanimi praeconio doctissimi tum laici tum ecclesiastici viri probavere. Monumenta quoque noverat ad religionem spectantia, quae saepenumero in civitatibus Italiae, et in Urbe praesertim obvia fiunt; quem de eis disserentem non modo alumni, sed etiam eruditū homines, et ipsi S. R. E. Purpurati Patres, plerumque mirati sunt.

VI. — Sacrae eloquentiae arte optime usus est; aiunt quadam die Sancto Rocho sacra, deficiente ex inopinato sacro oratore, Ioannem nondum sacerdotem magnificam orationem panegyricam habuisse eo successu, ut in ipsa sacra aede plauderetur, dictitarentque senes se perraro clericum eloquentiorem audivisse; quod non semel contingit. Si igitur praeclaro illi effato adsentiri volumus: « Poëta nascitur, orator fit », fatendum est Ioannem strenue adlaborasse, ut auream illam dicendi facilitatem adquireret, qua postea sacerdos innumeritas hominum turmas in multis Italiae aliorumque nationum civitatibus suaे cathedralē et devinxit et Christo lucrifecit.

VII. — « Liturgiam » etiam mirifice ex-

coluit; non aliter ac Sancta Theresia, param se aiebat ad omnia mala sustinenda potius quam vel minimam « rubricam » parvipendere. Nemo unquam illum ad altare sacrī operantem vidit, quin eius sanctitate intime conmoveretur. Illius pietas fovebatur et augebatur cognitione sensus caeremoniarum assiduo studio adquisita. Alumnos quoque huic disciplinae idoneos volebat, utpote ministerio angelico fungentes. Eo tempore rectores ecclesiarum complures pueros et clericos salesianos sedulo accersebant, quippe quorum opera in sacris peragendis, necnon cantus concinnandi peritia fideles templa adirent adeo frequentes, ut haec imparia iis capiendis evaderent.

VIII. — Dicere plus libet e. g. de eius cognitione Iuris canonici. Patrologiae, Philosophiae, Geographiae, Mathematicae, Musice, etc.; sed ne diutius sermonem protraham, finem loquendi faciam. Non prius tamquam Tullii verba usurpans, « quam multas — inquam — nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum in iis quae studia ecclesiastica spectant B. Ioannes Bosco nobis reliquit! »

Sacros libros diurna versemus manu, versemus nocturna, ut vera scientia imbuti alios etiam docere possimus. Nemo igitur illam S. Scripturae gravissimam sententiam in nos afferre iure audeat: « Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis ».⁴

P. ARDIZZONE.

¹ *Thren.*, IV, 4.

Sapiens nihil potest perdere, omnia in se reposuit, nihil fortunae credit, bona sua in solidum habet, contentus virtute, quae fortunis non indiget.

SENECA.

HIRUNDINI REDEUNTI

*Ergo rursus ades; rursus amabilis
Rumpes multiplices in numeros, mei
Hospes ruris hirundo,
Veris garrula nuntia.*

*Per vastum pelagus, per iuga montium,
Tantillo adgredereis tantane corculo?
Afris tu venis oris
Caelum ut mitius occupes.*

*Mirum! cum peragas per liquidum aëra,
Non te fallit iter, tramite sed volans
Certo, aequalibus alis
Metam tu assequeris statam.*

*Quanta laetitia iam resonat domus
Vix optata redis, mitis avicula!
Ipse, en, se novus annus
Sole ac floribus excolit.*

*Sed quanam interea, seu bona seu mala,
Illinc multisonis canticulis refers?
Numquid tristia narras,
Hic ut tristitiam invenis?*

*Nam, quae insecta tibi blanda puellula,
Ludis posthabitis, saepius attulit,
Mortem, heu, parvula obivit;
Illam tu quoque defleas!*

*At te, forte premit cura suavior;
En, nidum reparas et stipula et luto,
Muscoque instruis intus
Quo sit nempe tepentior.*

*Et iam magna tuo gaudia pectore
Praegustas, querulum cum fieri audies,
Pullorumque videbis
Gentem alas agitantium.*

*O, tunc, ut vigilas et genitis studes
Hostes ut reprimas! Corpore ut incubas
Toto, stans patiensque,
Vel non ipsa tui memor!*

*Ut vero remeas laeta, cibum ferens;
Ut, circum volitans, dextera corripis
Quo places avida ora
Matri prorsus hiantia!*

*O, quae te melior, quae vel amantior
Mater, quae suboli sollicitudine
Tanta prospiciat, nec
Non tanta penitus vacet?*

*Aetas, credo equeidem, desipuit vetus
De te cum retulit tam mala crima...
Natum te ne necasse
Horrendas epulas patri?*

*Te ne, inquam, pavida, tam bona et indole?
Te, quam tanta fides erga hominem tenet,
Eius dulcis amica
Ut sis, atque habites simul?*

*Hoc rus, o, utinam iugiter incolas,
Quo tam tuta sedes! Sed nova frigora
Te quandoque fugabunt,
Ac ponti repetes freta.*

*Heu, cum, multa dolens, denique abiveris,
Quam te nostra carens tristis erit domus!
Circum rura silebunt,
Luctu corda sed ingement.*

Mantuae, IV Kal. Maias MCMXXXIII.

A. TRAZZI.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTITIAE.

DE « ELECTRETE » PERMANENTE.

Nomen *electretis* factum est ex analogia cum magnete.

Ut habeatur electres permanens efformatur compositum ex cera et resina liquefactis, idque solidum fit ex potenti campo electrico.

Tensio, quam attingere licet, paulo minor est quam quae ad scintillationem sufficit; hoc est plurium chilovoltarum per centimetrum.

Proprietas electrica huius compositi videtur stabilis permanere etiam post aliquot annos.

DE « CONSTANTE GRAVITATIONALI ».

Doctor V. V. Narlikar ex indicu athenaeo in urbe Benares deducit ex ratione newtoniana expressionem theoreticam pro *constante gravitationali*, et formula ad quam pervenit eamdem habet figuram ac formula, quae ex ratione einsteiniana deducitur; id quod appetit praesertim in computatione massae totius universi.

DE GENERATORE ALTISSIMAE TENSIONIS.

In officina pro inquisitione de altissimis tensionibus electricis apud Manchester urbem, mense elapso, Allibone, Edwards et Machenzie pervenerunt ad constructionem generatoris per impulsu, qui potest tensionem eruere usque ad tria millia millium voltarum.

NOVA OFFICINA DE SCIENTIAE PERVESTIGATIONIBUS IN URBE CAMBRIDGE.

Die III superioris mensis februarii inaugurata est nova officina pro pervestigationibus quae campis magneticis valde potentibus indigent, et quidem ad gradus caloris minimos. Constat enim difficultatem potentissimos campos excitandi in nimio calore producto consistere.

Magni interest proinde generatores campi magnetici vehementi refrigerationi submittere.

Et nova haec officina pollet refrigeratoribus trium stadiorum, nempe ad temperaturam nitrogenii liquidi, ad temperaturam hydrogenii, et ad temperaturam helii, hoc est usque ad paucos tantum gradus a zero absoluto. Intentio magnetica ad quam pervenire licet, ad aliquot millia millium gaussorum elevatur.

DE « CRYSTALLIZATION ».

Doctor A. Serra ex athenaeo Turritano, in *Atti della Società Toscana di Scienze Naturali*, refert experientias a se peractas circa processus « crystallizationis » in spatio a praexistentibus nucleis crystallinis purgato, ex quibus deducendum videtur, efformationem crystallinam ex dispositione ac distributione corpusculorum in moleculis pendere, non quidem ex praexistentia crystallorum elementarium in aëre.

DE NOVA SPECIE COLEOPTERI.

In Commentario officinae entomologicae Regii Instituti Agrarii Bononiensis, Paulus Luigioni Lynceus describit novam speciem *Phyllopertha*, coleopteri ex familia scarabeidea, quam in valle Calabri fluminis Chratis prope Cosentiam invenit.

Similitudinem refert cum *Phyllopertha lineata* Fabricii, quamvis per plures peculiares notas ab ea discriminetur.

Nomen ab Auctore assignatum est *Phyllopertha Leonii*.

DE ATMOSPHERICIS DURANTE SOLIS DEFECTU.

Inter inquisitiones quae factae sunt in propagatione undarum electricarum durante solis defectu, mense augusto sup. anni, haec etiam locum habuit, de intensitate et de « tonalitate » in atmosphericis.

In recentissimo numero commentarii *The Nature*, domini Burton et Boardman referunt conclusiones huius inquisitionis in Conway (New Hampshire) habitae.

Summa observationum ad haec reducitur: conditiones atmosphaericae durante solis defectu referunt similitudinem cum tempore noctis: intensitas ascendit, tonalitas descendit, utraque non praecedunt defectum visibilem, sed potius sequuntur, ita ut maximus effectus habeatur aliquot,

momenta post maximam defectionem. Hinc facile deducitur huiusmodi effectus non pendere a radiatione corpusculari a sole emissis, sed ab ipsa radiatione luminosa.

DE RHENIO.

Quantitatis istius novi elementi, quod magis ex eius ossidis educitur, magis magisque in dies crevit.

Apparet ex hoc, quum quatuor ante annos ad centum millia francorum per singula grammata pretium computaretur, nunc ad quinquaginta *francos* circiter descendisse.

Similitudinem refert cum elemento viciniori Wolframio et saepe in eius locum sufficitur in staminibus electricis effundandis.

Difffert tamen ex hoc, quod resistentia electrica Rhenii multo minus augetur per elevationem caloris quam in Wolframio.

DE FERRO NATIVO INVENTO

Doctor Aurelius Serra invenit ferrum nativum, in trachidacitis apud Bolotona et in basaltis Silanis in Sardinia.

Quamvis res industriae non intersit maxime, hoc tamen interest, ferrum nativum inventum esse; scimus enim quam rare hoc eveniat.

DE ECOLOGIA AGRARIA.

P. R. Paoloni ex O. S. B. in relatione quam attulit in vigesimo primo consessu *Societatis Italicae pro scientiarum progressu* et nunc praelo vulgata, opportune statuit quid proprie sit scopus et ratio in ecologia agraria.

Est ergo *scientia practica*, cuius est studere iis quae ad bonam et fructiferam vegetationem facilis ducant.

Agitur praesertim de relatione inter necessitates plantarum et conditiones tum agri tum tempestatis.

Fructus autem considerandi sunt quoad qualitatem, quantitatem et vim generativam in sementis.

Factores vero metheorologici, quorum interest, sunt praesertim thermici et hydrici.

Valde opportune ergo auctor in hoc insistit, ut constituatur Institutum quod omnia quae ad ecologiam referantur in studium adducat.

COLLOQUIA LATINA

Convivium.¹

SCIPIO, CAESAR, SATURNINUS, DAMASUS.

SCIPIO. - Salve tu, Caesar, salve Damase; ubi nobis Saturninus?

CAESAR. - Illoco dixerat se venturum, simul ac convenisset debitorem quemdam apud forum proximum.

Sc. - Recte habet. A debitore facilis se extricabit, quam a creditore.

CAES. - Quid isthuc?

Sc. - Sicut in victoria belli conditions fert vitor, non vinctus. Nam a debitore, quum ipse idem volet, se expediet, a creditore quum alter. Sed praemonuistine, ut erat condicuum, ut relicta domi severitate, afferat et ipse nobiscum hilaritatem, leporum, venustates, gratias?

CAES. - Plane ita spero: erimus belli omnes.

Sc. - Reliqua meae curiae sunto.

DAMASUS. - Ecce tibi Saturninus.

SCIPI. - Feliciter.

SATURNINUS. - Et tibi fauste.

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

SCIP. - Expectatissime.

SAT. - Plane rusticane; nam ad prandendum eram invitatus, non ad exspectandum. Sed, quaeso, fui vobis diu in mora?

SCIP. - Non valde.

SATURN. - Cur non recumbebatis sine me? Essetis saltem praemiati de promulside.

SCIP. - Te absente absedissemus?...

CAES. - Satis comitatum; exordiamur iam opus. — O optimum panem et levissimum! Non plus habet ponderis, quam si esset spongia: industrium habetis pollicintorem.

DAMASUS. - Malo ego panem autopsyrum.

SAT. - Ego autem siligineum.

SCIP. - Cur talem?

SAT. - Quoniam audivi, et ita sum expertus, minus me esse quum panis non sit sciti saporis.

DAM. - O pernam sapidissimam!... Puer, brassicam hanc cum larido, si mihi vis auscultare, redde coquo per hoc quidem temporis, aut serva in brumam. Lucanicae huius, contra, scinde mihi buceam unam aut alteram, quo suavius ebibam primum cyathum.

CAES. - Faveamus medicorum consilio, admonentium ut porcinae addatur merum. Funde vinum.

Sc. - Delibes album hoc purissimum: aquam putes solo adspectu. Rhenense est. Sed oenophorus relevit hodie praeterea series alias vinorum duas, alteram vini flavi ex agro Parisiensi, alteram sanguinei Burdigalensis. Neque satis; habetis in apyroto parata et fuscum Aquitanicum, et nigrum a Sagunto: petat quisque ex sententia palati sui.

CAES. - Quid poteras nuntiare laetus?

SAT. - Nuper quum Romae essem, bibi Italica vina et ipsa generosissima omnifariam saporis: vinum dulce, acutum, leve, austerum.

CAES. - Sed nimis mihi tu porrigit plenum calicem; extrahe, quaeso, aliquantum, ut sit locus aquae infundendae.

Sc. - Scilicet ad morem hodiernum, non veterum.

CAES. - Ecquid hoc?

Sc. - Veteres fundebant prius aquam, et super hanc vinum: ita habebant aquam vinatam; nunc ex adverso fit vinum aquatum.

SAT. - Ah! Ego neutrum morem sequor, vino aquam nunquam adiungens.

DAM. - Dummodo vinum prius non sit a vinario irrigatum; quod baptizare vocant, ut vinum sit Christianum.

SAT. - Illi baptizant vinum et se ipsos exbaptizant.

CAES. - Peius, qui iniciunt calcem, sulphur, mel, alumen et alia dictu tetrica, quibus nihil est corporibus perniciosus; in quos publice deberet animadversi, ut in latrones aut sicarios: inde sunt enim incredibilia morborum genera.

SAT. - Ex conspiratione cum medicis id agunt, ut utriusque rem augent.

Sc. - Sorbeamus interim singuli gabatam cum iure carnium; id vere et calefaciet intestina et blande abluet ad molliendum ventrem.

DAM. - Mihi vero, cui non sunt calefacienda intestina, affer, si habes, aliquantum cerevisiae.

Sc. - Ex qua tandem cerevisia?

DAM. - Ex tenuissima; nam aliae nimium incrassant spiritus et reddunt obesum corpus.

Sc. - Puer, curre ad culinam: quid illi cessant? Quin mittunt missum? Vides iam hinc neminem attingere. Affer pullos gallinaceos elixos cum lactucis, buglossa hor tensi et intubo. Vervecinam quoque et vitulinam.

CAES. - Adde etiam in scutulis paulum sinapis aut petroselinati.

DAM. - Violenta res videtur sinapis.

CAES. - Non admodum congruit biliosis;

iis tamen qui crassis et frigidis humoribus redundant, haud inutilis.

SAT. - Idcirco sapiunt populi septentrionales, quibus illa est magno usui, praeципue cibis crassis et duris addita, ut bulbulae et salsamentis.

Sc. - En interim vobis, ad lubitum, orizam et vermiculos ad lycopersici laticem.

SAT. - Oryzam ferunt nasci in aqua; mori in vino; cedo igitur vinum.

Sc. - Ne bibe statim a cibo calido; intermisce prius frigidi aliquid et solidi.

SAT. - Quid?

Sc. - Crustam panis aliquam, vel tundam unam aut alteram carnium.

SAT. - Vah! Pisces cum carnis in eadem mensa! Mare miscetur terrae. Hoc vetant medici.

Sc. - Immo, hoc placet medicis.

SAT. - Credo, quia illis utile.

CAES. - Cur, ergo, vetant medici?

SAT. - Erravi. A medicina prohiber dictum oportuit, non a medicis. Sed qui sunt pisces isti?

Sc. - Appone ordine, primum lapum illum assum cum aceto et capparibus; tum soleas frixas, lucium elixum et capitonem; thynnnum assum recentem, et thynnnum in salamento; crustulata deinde, in quibus insunt et nulli barbari, et murenae, et truttae, et cammari, et cancri, multis condita aromatibus.

SAT. - Ego vero de piscibus loquar, non edam.

CAES. - Si philologus cooperit de piscibus movere controversiam, incipite nobis lectulos insternere: huc erit hac nocte cubandum.

Sc. - Nemo dignatur vel gustare; tolle, puer, haec.

SAT. - Atqui convivia olim Romae lautissima, et, ut ipsi soliti erant dicere, pollucibia, ex piscibus constabant.

CAES. - Tace, tace; sunt mutata tempora!

Sc. - Importate assa: pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquedulas, palumbulos, cuniculos, lepusculos, vitulinam et haedinam; atque intinctus seu embem mata, omphacina, et olivas quassas, in muria asservatas.

SAT. - Hem, pavonem! Ubi est Quintus Hortensius, cui erat in deliciis?

DAM. - Ex quibus carnis sunt artocreas istae?

Sc. - Haec est ex damica; illa, ut puto, aprugna.

DAM. - Condituras ipsas malim, quam carnes.

SAT. - Plane ita est: etiam res amaras condimentum reddit suavissimas.

CAES. - Unus est vitae totius condimentum: aequus animus.

DAM. - Aliud quiddam ego proferam amplius et augustius.

CAES. - Quid tandem meo?

DAM. - Pietas, sub qua et animi aequitas comprehenditur: est ad res universas asperas, faciles, medias condimentum aptissimum et iucundissimum.

Sc. - Puer, muta orbes et quadras: da secundam mensam.

CAES. - Adeo voravi initio avide, ut statim amiserim appetitum.

SAT. - Ego item non appetitione, sed impetu fero ad primas dapes; inde me expleo.

DAM. - Nescio quid edi de piscibus: id gustum meum prorsus detrusit.

CAES. - Tantumne bellariorum apparatus et cupedines, quum nihil amplius superest cupedia? Pyra, mala, cerasa, pruna, persica, caseus multiplex... Sed palato meo congruentissimus est hyppax.

Sc. - Non reor hyppacem esse hunc, qualis e Sicilia usque advenitur columellari ista forma et quadra; qui, quum frangitur, in laminulas finditur sive phyluras. Caseus autem hic, etsi Britannicus, fistulosus est; non erit utique, mea sententia, et doleo, vobis gratus.

SAT. - Sed neque hic spongiosus Hollandicus, Parmensis hic est bene compactus, et satis, ut videtur, recens.

Sc. - Pistor dulciarius nimium moratur, quin afferat scriblitas et artolagana testucia et sartaginea, conspersione in cacabum iniecta mellis.

SAT. - Cruyotas da mihi aliquot, et ad edendum, et ad servandum; fortasse hac nocte nihil edam aliud.

Sc. - Cape igitur spathalium hoc integrum. Vis ex melogranatis? — Puer, affer quae solent vocari sigillum stomachi, post quae nihil est edendum, nec bibendum: buccellatum, cydoniatum, coriandrum sacaro contectum. — Collige frusta et reliquias in canistris. Praebe deinde aquas odoriferas ad manus purgandas.

CAES. - Agamus Scipioni nostro gratias.

DAM. - Age tu.

CAES. - Imo agat Saturninus, qui in hisce rebus multum valet.

SAT. - Referimus hinc domum gravata o quantum! corpora; referimus animos obrutos ac demersos cibis et potionibus, ut nullo hominis officio rite possimus fungi. Tu ipse, Scipio, iudicato equam tibi gratiam debeamus.

Sc. - Haecce est gratia, quam habetis? Sic rependitis prandium tam opiparum?

SAT. - Ita plane; quod enim maius beneficium, quam ut fias sapientior? Tu nos remittis plane bruta: nos te domi tuae volumus hominem relinquere, ut scias consulere tuae et alienae valetudini, et secundum naturae iusta desideria vivere, non iuxta corruptas ab stultitia opiniones. Vale igitur, et sape.

Tempus tacendi et tempus loquendi discreta vicissitudine pensanda sunt, ne aut quum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat, aut quum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.

S. GREGORIUS (*Moral.*, 7).

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 513. - HIPPOCRATES (in lib. *de Coacis*) ait: In iam perniciosis morbis parvi tremores et vomitus aeruginosus, qui in potibus substrepunt, in siccis submurmurant et deglutiunt difficulter. Illud murmur in siccis, iuxta BALLONIUM, referri debet ad id quod saepe adparet in delirantibus, in quibus laryngis musculi siccati sunt, et non amplius motum facilem praestant et obedient. Nam quum bibunt illi et delirant, pars aquae, quae descendit, quodammodo it praeceps cum sonitu, in vacuo et inani descurrere videtur, obauditurque murmur circa praecordia, musculis siccatis et inertibus.

§ 514. - AB HIPPOCRATE quilibet morbus, in quo materies intus conclusa tenetur nec evacuatur, vocatur *ξηρον νόσημα*. Sic ophtalmia siccata, dum nihil resudat, in cerebri affectibus, quum nec per nares nec palatum; iniisque effectibus quum nihil per alvum excernitur.

§ 515. - Si materia excernenda supprimatur, morbus siccus vocatur; quum autem excerni incipit morbus, dicitur *ὑγρανέσθαι*.

§ 516. - In lib. 4 *de diaeta acutorum* invenimus *χόλεραν ξηραν καὶ ὕγραν*, Choleram humidam et sicciam. Videtur, ait BALLONIUS, ex sententia GALENI cholera siccata iis nasci, qui cibos coctu difficiles sumsere, transire nequeuntes, et tunc flatulenta copia impedit, quominus quicquam excernatur.

§ 517. - STOLL. Cholera siccata usu balnei iuvatur, ut patet ex I. 7 *epid.* de Pausaniae filia, quae ex fungi crudi esu incidit in cholera sicciam. Hydromel valde ei consultit.

I. FAM.

¹ Cfr. fasc. sup.

ANNALES

Americana colloquia.

Omnium animos recens occuparunt quae a Roosevelt, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praeside, inita sunt cum Europae civitatum supremis administris aut eorum legatis colloquia. Et primo quidem cum Mac Donald, Angli gubernii praefecto; de quibus nunciatum est, meliorem inde spem concipi posse tum circa omnium gentium conventum ad armorum depositionem constituendam atque servandam, tum circa oeconomics quaestiones populis omnibus instantes. Inter se duos viros convenisse quoque dictitant de commerciorum ratione ita immutanda, ut omnis generis exceptiones, commercia nunc impedientes, abrogentur; praeterea et de bellicis debitibus disputatum eo proposito fuisse, ut pecuniae restitutio, quae proximo mense Iunio facienda foret, ad oeconomum universorum conventum expletum differatur.

Post Mac Donald, Americanum Praesidem inviserunt Herriot, Galliae legatus, et Italicus pecuniarum rationis moderator Jung.

Nationum Societas.

Genevae, apud Nationum Societatem, nova dissensio inter Galliam et Germaniam orta est, quum quaestio de deponendis armis rursus agitaretur, interveniente Norman Davis, Americae legato, qui confirmavit Septentrionalis Americae civitates in studium incumbere pacis per orbem constituendae ex communibus nationum omnium conatibus. Societatis inde sessiones dilatae sunt, usque dum Americanae condiciones partefiant ac disceptandae exhibeantur.

Iaponios inter ac Sinenses bellum.

Iaponii interim a Nationum Societate quum secessissent, impetus contra Sinenses vehementiores fecere, utque sibi subjectam Jehali provinciam firmarent, ultra Tien-Sin et Pekinum versus, processerunt, quas urbes quoque in suam ditionem redigere velle videntur.

Facinus horrendum.

Postrema mensis Aprilis die facinus horrendum Limae, in Peruviana civitatis capite, patratum est. Manuballistae ictibus eiusdem civitatis praeses. Sanchez Cerro, confosstus est a sicario quodam ex « aspiristarum », quos vocant, seditiosa factione; qui statim a civium multitudine ad indignationem commota impetus, facinoris sui poenas per mortem luit.

Oscar Benavides, militiae magister, in defuncti locum suffectus est.

Regia itinera.

Italiae rex Cyrenaicam coloniam circumivit, ubique summis honoribus summaque laetitia exceptus.

POPLICOLA.

VARIA

Bastiae arcis Ferrarensis per cuniculum oppugnatio.¹

Iisdem diebus milites Hispani numero ad novem millia Julio II Pontifici ab rege suo traditi, quum ad Bastiam, Alfonsi (Ferrarensis ducis) castellum ad Padi ripam apprime communitum, se contulissent, tor-

¹ EX PETRI BEMBI *Historia Veneta* lib. XII.

mentis eam verberare, quam proxime poterant, cooperunt: deinde adhibitis ante se cratibus, quae eos tegerent, ne nocere eis posset, terra effossa, per eam demissiores et tutiores facti, etiam proprius pluribus a partibus accesserunt: tertio demum die ad fossas et murum perducti, multis vulneribus et illatis et acceptis scalisque positis eum perforaverunt, sic ut in eo, qui erat latissimus, tamquam concameratiunculam efficerent, atque in eam tormentorum pulverem iniecerunt, cameramque plenam pulveris concluserunt, parvo reliquo foramine, per quod ignis succendi posset, seque a muro parumper retrahentibus, quum visum est, igne immisso, camera cum muri parte decemque hominibus, qui in eo erant, in sublime ita est diiecta, ut homines speciem volantium praebarent. Neque tamen reliqui propugnationem intermisserunt, fortissimeque se defendebant: qui etiam ab Alfonsianis altera ex Padi ripa duobusque terreis propugnaculis tormentis muralibus non parum iuvabantur. Verum Hispani plurimis adductis scalis, sesquihorae spatio in arcem se intulerunt. Alfonsi milites, qui erant circiter centum, interfici omnes sunt cum eorum centurione Vestitello. Ex Hispanis item centum in ea oppugnatione occubuerant.

Leo, Lupus et Vulpes.

Decumbebat in antro suo senio confactus Leo, et insuper morbo correptus. Ad quem visendum omnes animantes convernerant, praeter Vulpem. Hac occasione capta, Lupus Vulpem gravissime accusare, quae tam superbe despiceret regem suum, neque illum aegrotantem inviseret. Haec illo declamitate, advenit Vulpes et de clausula orationis, quam vehementer accusata esset intelligens, et cernens Leonem fremere ira, consilium cepit callidum et sui defendendi et ulciscendi inimici. Itaque,

dicendi copia impetrata: — Quaenam — inquit — de cunctis animantibus tanta cura sollicitudineque afficitur de salute et vita regis, quanta ego? Quae omnia loca pergravi vestigans medicinam, qua sanari posse videaris. Nuper tandem inveni, qui remedium demonstraret, praesens quidem atque efficacissimum.

— Quodquam? — laetus nuntio, inquit Leo.

— Lupi, — inquit Vulpes, — pellem novo distractam et adhuc calentem oportebat te circumdare ventri et costis.

Hisce auditis, ita Leone imperante, Lupo misero pellis deripitur, et leoni applicatur. Cui iacenti insultans verbis Vulpecula: — Non irritare — inquit — te principis animalium, sed mollire potius et flectere oportebat.

Fabula docet, qui alteri struat malum, eum sibi laqueos, quibus capiatur, nectere.

Locosa.

TUCCUS in schola.

MAGISTER. — Indica mihi animalium genera quinque, quae in Africis ardoribus vivant.

TUCCUS. — Leones tres; tigrides duos.

Aenigmata.

I.

(*Permutatio vocalis*)

A mulier queritur facta labentibus annis;
O flet, si gravius fert miserandus homo.

II.

In pratis pascor; frontem mihi sigmate adauge:
In medio vastus monte recessus adest.

Aenigmata in superiori fasciculo proposita his respondent: 1) vulgo *Rebus*: *Parva domus, magna quies*; 2) *M-an-na=Manna*.

DE ROBERTI SCOTTI

[17]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Dum Scottus invisit insulae oram, Campbell tribunus exponere coepit navis onera. Brevi in glacie nituere duae dynamiae traheae, quibus nihil prorsus nocuerat aqua crebris tempestatibus iniecta cistis. Proprio pegmate dimittuntur manuuli, qui quum principio aegre machinis essent immissi, simulatque pedibus nivem tetigerant, videbantur reviviscere. Et statim coeperunt inter se lambendo pellem levare pruritum diu sane toleratum. Canes statim iuncti sunt minoribus oneribus, quae ad terram veherent; sed iam primo die indignandam praesertulere licentiam. Nam pinguini, ut erant stultissimi, gregatim ad ignotam navis speciem accurrebant iactantes in aëra capita, avidissimi spectaculi nunquam ante visi, unice securi de latrato canum, qui retenti funibus in eos nitebantur. Qui quum vellicatim laxaverant funes, et in aves spectatores prosiliebant, pinguini nullo perterriti timore erigebant plumas et moleste ferentes mironum improbitatem advenarum stomachabantur. Quum paulo propius accesserant, canes dato saltu corripiebant, breveque rubra nivis macula indicabat, ubi pinguiorum aliquis vitam canino dente amisset; nam si quid canes fecerant reliqui, larorum greges advolantes praedabantur. Nulla vi stultae aves abigebantur, utpote quae talia nunquam essent expertae. Turbatae demittebant capita et declinabant paululum in partem, videbanturque dicere: « Quid tibi, ineptum animal, venit in mente? Tu vero nos mitte! »

Unius diei intervallo tota regionis facies mutata erat. Casae solum erat complanatum, ad littus advecta erat tota casae

materia, structorum stabat tentorium instructum dierum octo cibariis.

Nonis Ianuariis (anno 1911) Scottus quum ad viros ex cubiculo processisset, in rem incidit suspensae expectationis, quam ipse sic narrat: « Quinque sexve beluae ex genere orcarum gladiatorium circumcursabant navem. Irritatis similes modo emergebant undis, modo submergebant, exserentes ex undis ora ad ipsam ferebantur glaciei marginem. Hic fixus erat ferreus funis puppis, huic alligati erant duo canes polares¹, minimeque venit in mentem his belugas emoveri canibus, sed advocavi Ponting, photographum, qui tam propinquas exciperet. Is statim cum camera approparet et omnia praeparat, ut, simulatque emerisissent, vitro exponeret, nam se modo demiserant. Tum vero glacies, qua parte ipse stabat cum canibus, sublata frangitur. Audiveramus stridentem glaciem cum cete inferiori parti admovere dorsa. Per fissa emergentia singula in bina et terna metra altitudinis ex aqua exsorbent capitones, ut proxime cerneret fulvia capitum lineamenta, parva sed fulgentia lumina, terribiles dentes, quibus immaniores nullis huius terrae animalibus natura dederit.

¹ *Eskimohunde* genus canum statura mediocris minis huic orbi cognitum arcticis hominibus pro iumento fere est.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonae,

Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ANN. XX - FASC. VI

MENSE IUNIO MCMXXXIII

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Iunio MCMXXXIII

Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De infinitivo.

I. — Sicut in lingua graeca, et etiam in linguis hodiernis, infinitivus, imprimis praesens, vices gerit nominis substantivi² neutrius generis,

1º) in nominativo, quum sive subjecti sive attributi, ut dicimus, munere fungitur; v. g.:

Turpe est *mentiri*.

Non est *mentiri* meum (Ter., *Heaut.*, 3).

Vacare culpa magnum est solarium (Cic., *Ad Fam.*, VII, 3).

Ratione *uti* decet (Cic., *De Off.* I, 27, 94).

Facile est hoc *cernere* (Cic., *De Fin.*, V, 20, 55).

Loquar de homine, cui *vivere* est cogitare (Cic., *Tusc.*, V, 38, 111).

2º) in accusativo, quum quodammodo

¹ Cfr. fasc. sup.

² Infinitivum ponit substantivi instar neutrius generis, patet ex adiectione pronominis *ipsum*; v. g.: Quum *vivere ipsum* turpe sit nobis (Cic., *Att.*, XIII, 29). — *Ipsum* quidem *peccare*, quoquo verteris, unum est (Cic., *Parad.*, 3, 1).

NB. — Infinitivus raro aliis adiectivis iungitur; v. g.: *Meum intelligere* nulla pecunia vendo (Petron., 52).

est casus verbi transitivi,¹ et ab eo regitur. Hoc modo ponit solet post verba servilia (*possum, queo et nequeo, coepi et incipio, desino, debo, soleo*)² et post verba volendi et contra (*volo, nolo, malo, affecto, amo, aveo, cupio, gaudeo, gestio, opto*, et similia, cum compositis; item *erubesco, fastidio, horreo, recuso, respuo, verecundor, etc.*); conandi, incipiendi, perseverandi, cessandi (*audeo, cogito, conor, constituo, contendeo, curo, decerno, disco, dubito [= haesito], meditor, molior, nitor, paro, statuo, studeo, tento; aggredior, festino, incipio, instituo, maturo, ordior, propero, consuesco, pingo; persevero, cesso*,

¹ a) Hoc frequentius est apud poetas; v. g.: *Enumerare vales* (VERG., *Aen.*, IV, 334). — Absiste *mo-veri* (VERG., *Aen.*, VI, 399).

b) Cicero scripsit: Quid habes (= potes) dicere (Cic., *Pro Balbo*, 14, 33) — Nefas est dicere: Habeo *dicendum* aliquid (Cf. LAURAND, *Grammaire historique latine*, n. 516).

Infinitivus potest interdum finem significare, praesertim apud poetas; v. g.: *Do bibere*. — Dederatque comam *diffundere* ventis (VERG., *Aen.*, I, 319).

— *Pecus egit altos visere montes* (HOR., *Od.*, I, 27).

NB. — Hic infinitivus, qui recte vocatur infinitivus *scopi*, pariter existit in lingua graeca et in linguis hodiernis, verbi gratia, in sermone gallico.

* Haec verba bene nominantur *servilia* quia serviant ad adhibendum infinitivum, sicut verba *auxiliaria auxiliantur* ad coniugationem in quibusdam linguis hodiernis.

desino, moror, obliviscor, supersedeo, scio, nescio etc.) et alia plura¹ v. g.:

Qui mentiri solet, peierare consuevit (Cic., Pro Q. Rosc., 16).

¹ Etiam ab infinitivis horum verborum potest aliud infinitivus pendere; v. g.: *Si discere posses foeda servare* (Tit. Liv., I, 28). — Mihi stat atere morbum *desinere* (Corn. Nep., Att., 21).

b) Plura ex his verbis etiam cum accusativo et infinitivo construuntur, aut cum coniunctivo et *ut*. — Discriben est quod actio infinitivi pertinet ad nominativum verbi finiti praecedentis, actio accusativi cum infinitivo proprium subiectum habet; denique utraque haec constructio obiectum seu regimen verbi finiti exprimit; *ut* praeterea enunciatur hoc obiectum simul esse effectum actionis verbi finiti; v. g.: *Caius vult se studere*: actio studendi pertinet ad pronomen *se*. Praeterea, in utraque constructione, *studere* est simpliciter obiectum voluntatis Caii; at: *Caius vult ut studeat*: actio studendi simul est effectus quem Caius sua voluntatis ope intendit.

NB. - 1) Ex his constructionibus, verba *volendi* exiguo discrimine usurpant primam et secundam, quam duorum verborum idem est nominativus; v. g.: *Cupio esse clemens vel cupio me esse clementem*; secundam et tertiam, quam diversi sunt nominativi verborum; v. g.: *Cupio ut sis clemens vel cupio te esse clementem*.

2) Post verba infinitivum admittentia raro usurpatur *ut*, si idem utriusque verbi est nominativus; v. g.: *Athenienses statuerunt ut*, urbe relicita naves *conscenderent* (Usitator est infinitivus: statuerunt *conscendere*) (Cic., De Off., III, 11). — *Phaeton* optavit *ut* in currum patris *tolleretur* (= optavit tolli). (Cic., De Off., III, 25).

Raro contra, pro *ut* ponitur infinitivus, si utriusque verbi subiectum est diversum, v. g.: Mihi ante oculos obversatur reipublicae dignitas, quae me ad sese rapit, haec minora *relinquere* (= ut relinquam) *horatur* (Cic., Pro Sext., 3). — Quum vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa *monet* amicitias *comparare* (= ut comparemus) (Cic., De Fin., I, 20). — *Plato* tantum apud *Dionysium* auctoritate potuit, valuitque eloquentia, ut ei *persuaserit* tyrannidis *facere* (= ut faceret) linem. (Corn. Nep., Dion., 3).

c) Auctores, praesertim poetae, infinitivum interdum, more graeco, cum aliis casibus quam nominativo vel accusativo usurpant; scilicet: i) pro genitivo, post substantia et adiectiva; v. g.: *Inquit consilia reges Lacedaemoniorum tollere* (Corn. Nep., Lys., 3). — Sed iam *tempus* est ad id quod instituimus *accedere* (Cic., Top., 1). — *Consilium* capit equitatum noctu *dimittere* (Caes.).

2) pro dativo vel accusativo cum *ad*, post adieci-

Latrare et mordere possunt (Cic., Pro Rosc. Am., 20, 57).

Vellem id non constituisse (Cic., De or., I, 62).

Cato esse quam videri bonus malebat (Sall., Cat., 54).

Quum constituisses Corfinio proficiisci cum exercitu et ad me *venire*, miror quid causae fuerit quare consilium mutaris (Cic., Att., VIII, 8).

Huic incipio sententiae *diffidere* (Cic., Tusc., V, 1).

Quod si scribere oblitus es, minus multi iam te advocato causa cadent (Cic., Fam., VII, 14).

Vincere scis, Hannibal; victoria ulti nescis (Tit. Liv., XXII, 51).

II. — Ubi narratio fit concitatior, non raro, pro perfecto aut imperfecto, usurpatur praesens infinitivi, comitante nominativo;¹ v. g.:

Catilina mirari, surgere, indignari (Cic.).

tiva *utilis, aptus, idoneus, paratus*, etc... v. g.: Nisi vos servire magis quam *imperare parati* estis (Sall., Cat., 20).

3) pro ablativo, post *dignus, indignus, contentus*; v. g.: *Lyricorum Horatius fere solus legi dignus* (Quint., X, 1).

Denique infinitivus post adiectiva denotare potest accusativum partis; v. g.: *Conscendere ocior* (Ovid., Metam., III, 615). — *Doctus tendere sagittas*.

NB. - In soluta oratione fere usurpantur gerundia in *di, do, dum*.

a) Hunc infinitivum, historicum quem vocant, praecedere potest coniunctio temporalis « *quum* »; v. g.: *Nec multum erat progressa navis, quum*, dato signo, *ruere* tectum loci (Tac., Ann., XIV, 5). — *Fusis Aruncis, Romanus promissa consulis fidemque senatus exspectabat; quum* Appius et insita superbia animo, et ut collegae yanam faceret fidem, quam asperime poterat, ius de creditis pecunias *dicere* (Tit. Liv., II, 27).

b) Hic infinitivus narrationis facile explicatur, videlicet quia subauditur verbum praecepit, plurumque verbum « *coepi* ». Nominativus autem referatur ad verbum subauditum, non vero ad infinitivum.

Clamare omnes, ego instare (Cic., De Jurisd. Sicil., 177, 188).

Alexander territos castigare, adhortari, praelium quod elanguerat solus accendere (Q. Curt., IV, 15).

Rex primo nihil metuere, nihil suspicari; dies unus, alter, plures: non *referri* (Cic., De Signis, 29, 66).

Mirari stultitiam *alii, alii* amentiam... *Pueri* autem Sisennae oculos de isto nusquam *deiicere* neque ab argento digitum *discedere* (Cic., De Signis, 15, 33).

Efferri sine thecis *vasa, extorqueri* *alia* e manibus mulierum, *effringi* mulitorum *fores, revelli claustra* (Cic., De Signis, 23, 52).

III. — In oratione directa, interrogatio vel exclamatio vehementior effertur aut infinito aut accusativo cum infinito. — Praeterea, cum his constructionibus semper usurpari potest enclitica « *ne* »;¹ v. g.:

Sed re totos dies in villa ista? (Cic., Att., XII, 44).

Ludibrio esse populi Romani nomen piratico myoparoni! In portu Syracusano de classe populi Romani triumphum *agere piratam!* (Cic., Verr., II, 5, 28, 100).

¹ Potest interdum huiusmodi interrogatio coniunctivo cum « *ut* » efferriri, subauditio verbo quod hanc propositionem regat; v. g.: *Iudicio ut arator decumanum persecutatur (impars)* (Cic., Verr., III, 10). — Quippe nunc in una urbe tantum dissensionum esse quid in duabus fore? Victam ne *ut* quisquam victori patriae *praeserret, sincerque* maiorem fortunam captis esse Veis, quam in columbus fuerit? (Tit. Liv., V, 24). — *Te ut ulla res frangat?* Tu *ut unquam te corrigas?* (Cic., Cat., I, 9).

NB. — a) Potest etiam supprimi « *ut* »; v. g.: *Tune (ut) impune haec facias?* (Ter., Andr., V, 4, 209).

b) Hic subiunctivus, quem comitatur aut non comitatur coniunctio *ut*, exprimit indignationem contra hypothesis quae admitti nequeat. Cuius subiunctivus loco, in lingua vernacula, conditionalem aut infinitivum exclamativum usurpamus. Est subiunctivus *indignationis* vel protestationis; v. g.: *Tibi ego possem irasci?* — *Nos non poetarum voce moveamur?* (Cic.). — *Tu, ut unquam te emendas?*

Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam! (Cic., Verr., V, 44).

Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrymis et sordibus! *Idque fieri mea culpa!* (Cic., Fam., XIV, 2).

Me miserum! *Te, ista virtute, fide, probitate, in tantas aerumnas propter me incidisse!* (Cic., Fam., XIV, 1).

Non mihi licere meam rem me solum cogitare, sine te arbitrio? (Pl. Cas., I, 1).

Tantamne rem tam negligenter agere!

(Ter., Andr., 253). ... *Mene incepto desistere victam, nec posse Italia Teucrorum avertere regem?* (Verg., Aen., I, 37).

Huncine hominem tantis delectatum esse nugis! (Cic., Div., 2, 13).

Adeone hominem esse infelicem quemquam, ut ego! (Ter., Andr., I, 5).

S. Leonardi in Helvetia.
(Ad proximum numerum). I. Jss.

DE ALCHYMIA

Cham, qui et Chamos, a priscis traditum Aegyptiorum pater; hinc saepe in sacris litteris Aegyptus et quae circa late regiones « terra Cham » appellantur. At, haud multo post obitum huius protoparentis, eum nepotes et posteri quasi Deum coluerunt, et simulacrum constituerunt in templo, idolumque vocaverunt *Chamos*. Qui sacerdotes huic Numini serviebant doctrinas coluerunt e Noetica domo defluentes, propterea quod, quum in illis excellerent, scientiam hanc ipsam dicere placuit *Chamiam* seu *Chimiam*, cui voci addita syllaba *el* seu *al* (idem enim sonat ex *aleph*), indicavit scientiam divinam Cham, seu Chamos; uno nomine: « Alchy-

miam». Qui vero consideraverint apud sacerdotes delubraque fuisse tunc temporis medendi omnem artem, fuisse et remediorum dispensationem, habebunt integrum, meo iudicio, causam, qua vel nunc pharmacopole apud gentes nonnullae «Chemistae», et «Chemistes» nuncupentur, quum et «Alchymistae» nominati sint illi, qui disciplinis naturalibus, dicam rectius, qui viribus naturalibus occultis freti, et posse mirabilia facere iactabant, et fortasse nonnulla mirabilia patabant.

Notabo insuper scientiam duplex invisse iter duas inter gentes, Chaldaeas nempe et Aegyptias. Illa se astris inspiendis praesertim addixit, Aegyptia vero naturalibus praesertim rebus, quae propter solum sunt, neque tamen astronomica reliquerunt inculta; nam scimus quid adstruxerint Aegyptii de Sothiaco anno usque ad Ptolemaeum illum, qui absolutum quoddam systema astronomicum finxit, stellas catalogo descriptis, pluraque confecit, ex quibus aeternam sibi famam et recordationem comparavit.

Quidquid est, in humanis rebus eadem contingunt, quae in fluminibus videmus accidere. Pellucidae lymphae primo e fonte erumpunt, purissimaeque bibuntur. Eadem longo decurso, sive quod terras erodant et sibulis, arenis, crassique soli partibus imbuantur, sive quod minime puris admisceantur rivulis, et foeditate contaminatis aliqua fontibus copulentur, nitorem pristinum amittunt, turbidae fiunt, et qui Tbris, qui Anio septifons purissimi sunt, iidem postea vel viridescentes, vel albantes, vel flavi apparent. Sic humana omnia, — a philosophica disciplina exordior, — ad artes quae initio bona, recta, rationabilia traduntur et coluntur, ubi, per discipulos, ad tertiam aetatem vel quartam pervenerint, sive malitia, sive ambitione mala, sive nescio qua caecitate sequentium, ita in excessus abeunt plerumque contra-

rios ut non facile credas utramque scholam et disciplinam una exortam esse ab origine. Quid inter Iudeos hodiernos, Mahumetanos et Christianos nunc est? Et ab una Abrahami domo tamen tres sunt. Quid, nisi hoc sanctissimae conprobarent historiae? Laboraret profecto traditionum fides ubi fuisse tales crederemus.

Neque aliter ea disciplina se gessit, quae in sacrariis coenobiisque Chamos tradebatur, et fortasse tunc ambitiosum superbissimumque illud *al* sibi adscivit, copulavit, praefixit, ut haberetur divina, quando divinitate, scilicet veritate, abdicata et repudiata, conversa est ad fabulas, et posse se dixit quae impossibilia rebantur. Haud aliter apud Graecos tunc, *σοφία* quae primum, *φιλοσοφία*, id est sapientiae desiderium et amor et studium, dici copta est, quando, superbia sternente iter hominibus, non hi scientiae studebant, sed proprio nomini, qui communi refugiebant a scientia, ne ceteris haberentur aequales.

Itaque sacerdotes illi Chamistae postquam plura incubuere in remedia, quibus morbi arcerentur, plura experientes, vix nova febrium cohors terris suis incubuit, ubi invenerunt remedia, qua pestes dimoverent, iure quidem sanctissimo, ea quae siverunt quae corpora humana a morborum incursu et impetu conservarent immunia; non enim tam iucundum est a damno revalescere, quam nullum in detrimentum incidere. Hinc ea medicinae pars venit, et sponte venit, quae incolumes faceret homines, quae vires non modo restauraret, ut integræ starent et quassari non possent, aut saltem labantes et fatigentes non apparerent. Inde fuerunt omnia facie medicamina, quorum usus praesertim apud pecuniosas invaluit foeminas; hinc aphrodisiaca omnia... Ne progrediari, rogo, candide lector, nam limina mortis patent, et venena ex herbis quaeruntur, et statuto lunae tempore quaeruntur, et certis sub invocationibus inconditisque

vocibus avelluntur... Habes brevi omnia deliramenta sagarum, habes quae misceant aconita novercae, habes quae Locustae Neronibus comparent.

At dum haec labuntur in peius, non defuere viri, et erudit et a sceleribus longe abhorrentes, quibus ex mixtione elementorum, ex coacervatione quarumdam rerum, ex repetitis conatibus nonnulla apparuere mirabilia, et haec sunt sequuti, dum plerique aut nimiam in spem crescentes, aut desiderio divitiarum contabescentes de transfigurandis corporibus, de communrandis cogitant. Duo tamen humanum genus, prouti antea, prouti nunc etiam, torquebant: auri sacra fames; desiderium iuventutis aeternae. In haec invenienda incubuerunt: hi dum Indiam quaerunt, in Americam incurunt; illi dum se habere utrumque satentur, fraudes adstruunt et alieno auro potiuntur. Primum illud pharmacum lapis philosophicus dicebatur, quem qui ferret nunquam senesceret, incolumis a ferro, a veneno, ab insidiis abiret; alterum, scilicet commixtio quaedam et proportio metallorum et rerum, quae torrente igne commutarentur in aurum, quadam ex parte cum lapide illo philosophico conveniebat; quadam vero ex parte cum scientia naturalium rerum et consideratione stellarum inclinantum, vel coeuntium, ut opus conficeretur.

Atque h̄c novus alchymistarum modus, nova conditio alchymistarum habetur. Ipse enim eodem tempore est quid necessarium apud singulos reges, principes, dynastas; regia nulla, arx nulla est, quae ipso carere possit: datur sapienti viro domus singularis, turrim habet a qua speculatur astra, servos habet audientes dicto, qui herbas, qui aquas, qui fructus quaerant, et afferrant singulares. Ipsi de praenoscentis procellis, de terrae motibus, de fulminibus, de turbinibus cura est, ipse tuebitur domini salutem, dominae pulcritudinem; pharmaca suppeditabit utrique opportuna; qui-

nimo et potentissima venena, si domini lex talia tulisset. Quid sit alchymia quaeris? Haec de re tradit I. B. Biselli Cosmæ Mediceo: «Alchymia est ars, quae humanos opibus propemodum infinitis ditat; quae philosophia iure dicitur, laetitia animarum, angelicae sapientiae splendor, medicinae mater, philosophorum desiderium, thesaurus inexplibilis, exterminatrix moeroris, virtutis comes. Laetificat iustos, cum bonis habitat, detestatur improbos et scelestos. Super omnibus regnis regina, virtutem ex herbis exprimit, et medicinae per distillationem tradit *essentialias*, omnesque artes iuvat, et ab ignorantia relevat praecepsis divini Hermetis (qui Aegyptius est!)». Post haec enarrat quae alchymiae clarissimi fecerint, qui alchymiae praecepsis usi, metalla quomodo purgarentur invenerunt, qui vini essentiam, quam *alcool* et etiam «aquam vitae» dicimus, Raimundo Lullio faciente, invenerunt, qui aurum potabile, alexipharmacum princeps, et *nepente* singulare confeerunt. Prosequitur inde enumerans lithargiria, praecipitatum, «sublimatum», et sexenta quae nemo quidem negabit. Addemus et nos Brandt Hamburgensem invenisse phosphorum, Schwartz pulverem pyricam... Et sic de pluribus.

Quid inde? Ab alchymia, quae primum recta veraxque fuerat, et circa sananda corpora, vel tuendam incolumentem et iuuentutem, et vires et pulcritudinem versabatur, alchymia illa mendax et fraudis plena et beneficii nata est. At nemo negabit etiam inde natam alchymiam, quae rerum vestigans elementa, plurima tentans, illa adinvenit quae nemo sperabat, quaeque nunc alchymiam ipsam ad sua reportarunt exordia, qua usi docti viri, plurima generi humano constituerunt, quibus nunc augentur artes, divitiaeque comparantur, quum nullae penitus modo sint artes, quibus chymica vires non suppeditet suas.

D. L.

VETERUM NAVIGIA

Ilva in insula, ad Etruriae litora, plurimas inter sagittas, bipennes, cultros et cuspides lapideos *lapidea aetate* insculptos, utensilia quaedam iacebant ex crystallo, cuius nullibi per insulam fodina aut vena extaret. Eadem et Planosae proximo in litore inventa sunt, ita plane, ut arguendum fuerit, vel antiquissima illa aetate homines ratibus exstructis marinos fluctus iam aliquantulum persulcare sive expertos. Harum forte, quae hactenus vetustae magis innouerunt, tres scaphae sunt in urbe Daniae capite asservatae, ex queruum truncis vix excavatis, nullo in spondis remorum fulcro.

Quot vero putas effluxisse saecula antequam, rudioribus hisce inventis repudiat, Boeoti naves illas construxerint, quas passim Homerus memorat? Hae et singulari arbore in media nave defixa muniebantur, distentis hinc inde chordis, prora et puppi alligata, veloque instructa, quarum remiges aptis transtris insedebant, et remi mobili fune retinebantur.

Erythraeam qui primi incoluisse dicuntur, biremes postea invenerunt, quos sequutus deinde Corinthius Aminocles anno septingentesimo ante Christum natum, novo ordine superimposito, triremes exstruxit. His autem paullatim Samnites, Siculi reges et Corcyrenses usi sunt, qui Cambyses et Cyro Persarum regibus, maximis illis maiorum navibus iam fruebantur. At Ionii planas easque latissimas rates adhuc adhibebant, et Pheaces bellicas naves concendebant, exiles sane, sed in longitudinem maxime productas, quae hinc et inde quinquaginta remis pollentes, quinquaenariae appellabantur.

Hae vero rostro acutissimo communitae, tantaque remorum vi impulsae, terribiles hostibus apparebant; quam quidem offendis

sionis vim tunc maxime auctam sibi senserunt, quum nautae Thasio ex insula nati, proris et puppis lignea tegumenta superimponentes, tutum veluti castrum eas redididerunt, ex quo et ballistis et quibusvis tormentis hinc et inde pugnare licet.

Attamen multo post, quarto circiter a. C. saeculo, primas multis remorum ordinibus a Graecis parata internum hoc mare vidi in fluctus compulsas, quarum deinde maximam putant Ptolemaei Philopatoris, Aegyptiorum regis, duo et viginti brachiorum altitudine, remorum ordinibus alius super alium quadraginta, quos remiges quattuor millium numero agebant.

Tum vero Graecorum, tum Romanorum naves, proram figuris et signis decoram gestabant, et auro saepe rutilantem et floridis coronis contextam. His autem suberrat abdita veluti scorpionis cauda, ferreum calcar, quod arietis forma plerumque insculptum et trabi rigide confixum, in hostium latera citissimo cursu impellebant, ut ea disiiceret. Hoc autem, quo ex chalibe parato hodierna etiam loricata navigia utuntur, Pisaeus tyrannus primus invenit. Prorae ducem « proretam » appellabant; nauta ligneo plerumque tecto munitus conseedebat in puppi.

At remi aptis foraminibus in utraque parte per latera ordine perfectis erant innesi, quorum triremes septuaginta supra centum plerumque numerabant; quinqueremes vero tercentos aut quadringentos, singulis ad quinque usque mensurarum longitudinem productis. Funibus, tormentis, scalis ligneis, catenis, anchoris iisque similibus et ipsae muniebantur, et gubernaculo erant instructae, prout in hodieris videmus.

Malum vero vix unum vetustiores triremes habebant, quo denique geminato, bina pariter vela uterque gestavit.

Turres et rostra Romani addiderunt, quibus, veluti adunco ponte, Duilium consulem tunicas naves retinuisse notum est,

ut in eas ad terrestrem veluti pugnam legiones districto gladio immitteret.

Erant denique, prout et hodie servatur, veterum navibus nomina apposita, quae Graeci plerumque muliebria diligebant, aut ad auspicium Σωζοῦσσα (servatrix), Ήγεμονεῖα (imperium), aut ad mulierum celeberrimarum memoriam, veluti Nausicae, illius Pheacium regis filiae, quam diuturnum Ulyxis iter solatam esse Homerus suavissime enarrat.

A. C.

at levis, immani sublato pondere, virgo non dubitat celeri devolitare pede.

Invidet indocilis perfunctae turba labore, viribus innitens, ultima valla petit.

Unus et alter abit; circum confunditur agmen consult et socios et sua quisque refert; nec lacrymae desunt, fundit quas pallida virgo et verbis terget mollis amore puer.

Ultimus in nudo cunctatur carcere alumnus, cui socii pavido mens neque praebet opem.

Candidus est animus, coluit cor candida tan- tum;

Palladis illecebri purus et albus abit; porrigit at chartam calami non pondere laesam: praemia te maneant, languide digna, puer!

Anconae, Kal. Iun. MCMXXXIII.

IUNIUS GARAVANI.

PERICULUM

Sol fulget; taciti pueri trepidaeque puellae insistunt abacis; non leve fervet opus.

Pondera num valeant, miseri, persolvere [pensi?] infensique scholis, Palladis arte dolent.

Pervolvunt chartas, libros volvuntque tabel- [las] et currens calamus, plurima nigra notat;

Sordida scribuntur, delentur terque quater- [que] scriptaque non valeat cernere quisque sua.

Sollicitate manus, velox nam labitur hora; poeniteat longas praeterisse moras.

Deficiunt vires, oculi vertuntur utrimque; sibilat os furtim, poscit et addit opem; mendosos volitat profundens chartula ver- [sus], mutorum gestit more subacta manus.

At vigilis vigilant, cohibent puerosque ma- [gistro] nec tolerant chartas, ora manusve loqui.

Tradidit impatiens tandem sua pensa puella; aspicit arridens, cui data scripta patent:

EX BATAVIA.

De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXXII

Accepimus, et libenter edimus:

De triginta octo carminibus in certamen anni MCMXXXII missis, ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit carmen quod inscribitur *Ruris facies vesperi*. Praeterea sumptibus legati in volumen recipientur carmina, q. t. *Napoleon*, *Pietas*, *Epistola ad Murrum Reatinum*, *Caelestia*, si poetae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

En titulorum index:

1. *Militum qui pro patria in Alpibus occiderunt Chorus.* 2. *Roma triumphat.*



3. *Napoleon*. 4. *Fabulae aniles*. 5. *Caelestia*.
 6. *Pilati somnium*. 7. *Decennalia*. 8. *Minores famuli*. 9. *Fabularum liber alter*.
 10. *Ad musam Latinam*. 11. *Parvula Mater*. 12. *Nocturna in Volsiniensi lacu navigatio*. 13. *Divi Heliae sacellum*. 14. *Iephetae Filia*. 15. *In mortem Thomas Edison*.
 16. *Miles captivus*. 17. *Ruris facies vesperae*. 18. *Euenus et Elisa*. 19. *Epistula ad Murrum Reatum*. 20. *De lege Latina*. 21. *Fides*. 22. *De fuga in Aegyptum*
B. V. Mariae ad cognatam Elisabeth epistula. 23. *Fons et vita*. 24. *Apotheosis Nicaeni herois sponsaeque Annitae*. 25. *Ionae vatis somnium*. 26. *Ionae vatis somnium*. 27. *Columba*. 28. *Pietas*. 29. *Venus cum Apolline*. 30. *Pan et Syrinx*. 31. *Troiana mater*. 32. *Rus Pascolianum*. 33. *Flavia et Vitinius*. 34. *Dantes et Galilaeus*. 35. *Villula, ad Hermannum Weller Epistolium*. 36. *Cyllarus*. 37. *Flos solitarius*. 38. *Dolor*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXXIVmittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eisque subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1^a m. Maii, a. MCMXXXIII.

P. SCHOLTEN
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

His addere possumus auctorem carminis praemio insigniti esse:

ANACLETUM TRAZZI,

Mantuanum illum poëtam, cuius carmina suavissima pluries, et in ipso superioris mensis Maii fasciculo, a nobis, pro eius humanitate, edita sunt. Cui quidem laboris nostri socio clarissimo gratulamur ex animo, maiora simul auspicantes.

ALMA ROMA.

De certamine poëtico Locrensi

De exitu certaminis poëtici Locri in Bruttis a Carmelo Triumviri constituti traditum nobis est neminem triumphum reportasse.

Magna vero laude iudicata sunt carmina Quirini Ficari, Pisaurensis lycei doctoris, quorum tituli: *Decennalia et Finis Aquileiae*; Iosue Salatiello Panormitani, cuius titulus: *Altera Roma*, et Ioannis Napoleone, c. t. *Sermo*.

Praeterea laudatum est carmen *Perilla* Caroli Vignoli in Romano lyceo « Tasso » doctoris; et in limine laudis posita fuere carmina: *Pugilum certamen*; *Augusta Taurinorum* atque *Nemesys* inscripta.

Leve fit, quod bene fertur, onus.

OVID.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE SYMBIOSI ET DE RADIS MITOGENETICIS.

Ex plurimis scriptis quae de symbiosis agunt, facile deducitur multa animalia polleare peculiaribus membris, bacteria vel alia microcorpora continentibus, quae, dum propria officia exercent, simul animalibus quorum hospites sunt, utilitatem conferunt.

Sic, exempli gratia, iuxta investigationes notissimorum biologorum (Pierantoni et Scholae, Stile, Buchner et Scholae, et al.) exstant insecta, quae in plantis vivunt et membra possident bacteria continentia, quorum officium est glycosum in anidridem carbonicam et alcoholum etilicum convertere.

Alia animalia hematophaga (arthropoda, vermes) in membris suis bacteria habent, quorum est sanguinem immoderate suctum concoquere (Reichenow, Zirpolo); alia xilophaga, quae ad lignum concoquendum sunt apta; alia denique bacteriis photogenis hospitium praebent (Pierantoni, Zirpolo).

Novimus Ries, qui translationes membrorum symbiotorum ex specie ad speciem operatus est, advertisse translacionem hanc ducere ad degenerationem et membrorum et symbiosorum.

Praeterea ipse Ries, et Aschner, ex officina zoologica Wratislaviensi nuper symbiotici membra extirpationes in pediculo vestimenti peregerunt.

Extirpatio huius membra in larvali statu progressionem singulorum membrorum non commutat.

Foeminae orbatae membro symbiotico in ultimo momento larvali magis laeduntur quam masculi; isti enim symbios amissuri sunt.

Larvae microcorporibus orbatae non

progrediuntur: foeminae ova deponere possunt, sed haec, quamvis crescere incipient, foetum tamen ad perfectionem non adducunt.

Etsi animalibus, symbiotis ablatis, sanguinem assidue praebamus, haud bene vivunt; id quod ostendit symbios vitae eorum necessarios esse.

Haec omnia confirmant ea quae Pierantoni viginti abhinc annis asseruit, quum prior symbiosis naturam detegebatur et descrebat.

Ex experimentis a me ultimis hisce annis perfectis, deducere potui bacteria photogenia, in luminosis sepiolidarum membris inventa, radiationes diffundere, quae incrementum ovorum paracentroti lividi et quadrangulare plantarum, rapidius efficiunt. De his iam alias locutus sum; non est ergo cur in idem redeam.

Sed hoc animadvertisendum videtur, nempe inter radiationes mitogeneticas, vel radios Gurwitschii, et symbiosim, relatio quedam haud negligenda interesse. Horum symbiotorum constans praesentia, qui per hereditatem mirabili machinatione transfunduntur, nobis persuadet radios illos in symbioticam quoque naturam influere.

Loquuntur equidem de singulari quoddam symbiotica substantia, vitaminae forte simili, quae regularem concoctionem expediunt; sed hoc non prohibet quominus radiones quae ab huiusmodi corporibus emittuntur, saltem a photogenis a me studio subiectis, suam habeant rationem vitae et phoenomenon symbiotycum interpretandi, quod, ut ab initio insinuavi, valde generale exstat et maximi momenti in biologia.

I. ZIRPOLO.

NOTITIAE.

DE PLANETOIDS.

Anno 1932 inventae sunt ducentae et quatuordecim planetoidae, quae tamquam novae sunt notatae, et quidem in Heidel-

berg nonaginta, in Flagstaff triginta, in Uccle vigintiseptem, in Johannesburg vingtiquinque, in Simeis viginti et una; in septem aliis speculis reliquae.

Dimidia tamen earum pars semel tantum observata est, ita ut vix spes sit eas iterum inveniendi.

Quadraginta planetoidae, quarum orbitae iam sufficienter notae sunt, acceperunt stabilem numerum; numerus ultimus iam nunc est mille et dugentarum viginti et trium.

Troianorum decimus Troii nomen accepit; iam adsunt quinque Troiani in utroque librationis puncto.

Dolendum est memorabilem istam planetoidam 1932 H A, quae orbitas Martis, Terrae et Veneris transgreditur, disparsuisse prius quam eius orbita ex observationibus sufficienter nota esset ideoque eam vix certo perditam esse.

C. Hoffmeister ex collectivo lucis zodiacalis studio hypothesim ponit, orbem zodiacalem esse lucem universam omnium planetoidarum, quibus intermixtus sit annulus corpusculorum molis exiguae, quae Solis lucem repercutant.

DE LUCIS HAUSTU IN SPATIO GALACTICO, QUAE IN COLORE CUMULORUM SPHEROIDALIUM PRODIT.

Nuper astronomus Stebbens cellulam photo-electricam perquam sensibilem telescopio giganti Montis Wilson aptans, ususque filtri flavo et caeruleo, determinavit indices coloris quadraginta septem cumulorum spheroidalium, hosque eo maiores invenit quo cumulorum latitudo galactica minor sit.

Hinc confirmatur, quod iam a Trumpler et Van de Kamp ex aliis rationibus illatum fuerat, adesse nempe materiae stratum lucem absorbens, parallelum equatori galactico, et ab utraque huius parte se extendens.

Huius strati altitudo integra satis incerta est: iuxta Trumpler ducentorum vel trecentorum *parsecs*; iuxta Van de Kamp centum septuaginta quinque *parsecs*; iuxta Stebbens quingentorum quadraginta *parsecs*.

Hinc deducit Stebbens distantias cumulorum et dimensiones galaxiae, quae ex apparentibus stellarum magnitudinibus, haustus ratione non habita, derivatae erant, non parum esse minuendas, et quidem distantias aliquot cumulorum in parva latitudine galactica ad quartam partem reduci; diametrum systematis galactici ab octoginta milium *parsecs* forsan usque ad triginta milium *parsecs* minui: centrum galaxiae a Sole spatio decem milium, et non sexdecim milium *parsecs* distare; nebulosae Andromedae ducentorum et quinquaginta milium *parsecs* a nobis distitae, haustus ratione habita, diametrum decem milium *parsecs* assignandum, qui tertia erit pars diametri galaxiae, adeoque ingens discrimen inter dimensiones nostrae galaxiae et aliorum systematum stellarum evanuisse.

NOVA GEMINORUM.

Die 20 martii curr. anni in specula Uccle photographice inventa est stella nova magnitudinis undecimae, in constellatione Geminorum, ascensione recta 7h 18m, 5° declinatione 20° 38'.

Die sequenti erat magnitudinis duodecimae. In photographiis anterioribus istius regionis nullum eius vestigium apparuit.

Etiam subsequentibus diebus 22 et 23 martii in speculis Kopenhagen et Heidelberg frustra quaesita est.

COMETA WINNEKE.

Cometa Winneke die 24 sup. mensis martii iterum inventa est ex specula Hamburgensi: erat magnitudinis decimaquartae. Eius periodus est annorum sex.

DE POLARIZATIONE ELECTRICA IN VAPORIBUS.

Hugo Grassi doctor inquisivit in polarizationem molecularem tricloruri phosphorici.

Iuxta doctrinam a Debye propositam, ut notum est, polarizatio molecularis exprimitur per duos terminos, quorum primus non pendet a temperatura, alter e contrario proportionatur rationi inversae temperaturae absolutae.

Generatim experientia confirmare videtur doctrinam hanc. Sed quae Grassi obtinuit a dependentia linearis cum inversa temperatura deflectunt.

Iuxta Auctorem causa huius deflexionis inveniri potest in existentia duplicitis momenti electrici, duplice vis stratui respondentis.

DE EXPLORATIONE CAMPI MAGNETICI PER RADIOS ELECTRONICOS.

Radii electronicci parvae velocitatis, si campum magneticum ingrediuntur lineam percurrunt, quae facilis est ut photographice describatur.

Hinc ex mensura curvaturaie trajectoriae deduci potest intensitas campi magnetici.

E. Brüche ostendit radios electronicos ex staminibus emissos bene hoc praestare, quem eorum velocitas sit demissa et bene cognita.

DE RADIATIONE COSMICA.

Quae de radiatione cosmica hic usque novimus, opportune P. M. S. Blackett in consessu regiae Societatis meteorologicae Londini recens exposuit.

Exploratio in intensitatem radiationis extenditur a ducentis ac trecentis metris in profundum aquae ad ducentas et octo chilometra in altitudinem atmosphae, et quidem in altissima atmosphaera ra-

diatio centum millies maior est ac in profunda aqua.

Distributio ionizationis est fere uniformis in tempore, geographice tamen non ita, sed circa lineam aequatorialem minuitur.

Probabiliter primaria radiatio quae atmospheram ingreditur assimilari potest radiationi corpusculari, cuius media vis decem ad decimam potentiam voltarum exsuperat.

SIMUS IN ETRURIA.

Benedictus Bonacelli in *Studi Etruschi* demonstrat nomen etruscum simii fuisse *Harimos*, quod derivat a vocabulo semitico *Harim*, id est latine «simus», seu nasus depresso.

Picturae eiusdem animalis et figuraciones ambraceae, eburneae, aeneae, fictiles, vitreae, vel sunt imitationes artis Africæ punicae, vel directe illinc in Etruriam adductae. Commercium enim inter duas has regiones, ut plura documenta demonstrant, antiquissimum et frequentissimum exstitit.



COLLOQUIA LATINA

XVIII.

Narratio convivii. — Ebrietas.¹

DAMASUS, SATURNINUS, AMBROSIUS,
GERARDUS.

DAMASUS. — Quid tu dicas, Saturnine? Quam laute nos heri accepit Scipio?

SATURNINUS. — Male sit illi! Non potui tota nocte quiescere: convolvi me subinde

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

toto lecto, modo ad spondam interiorem, modo ad exteriorem: fauces et stomachum videbar mihi reiecturus. Nunc prae dolore capitis, nec oculorum officio possum fungi, nec aurium. Lamina ponderosa plumbi videntur mihi in frontem et oculos incumbere.

AMBROSIUS. – Frontem et tempora fortiter astringe fascia, et rex videberis.

GERARDUS. – Seu ipse potius Bacchus, a quo institutum manavit diadematum in reges.

AMBR. – Recipe te domum, et edormi crapulam.

SAT. – An non dixi me oculis non posse somnum videre meis? Quinimo mittamus puerum aliquem qui nobis afferat ex eodem vino quod apud Scipionem potavimus: nulla est certior huic veneno theriaca.

AMBR. – Estne hoc exploratum?

SAT. – Quidni esset? Memineris versus, quos cantat Colax: « Ad sanandum mortuum canis nocturni, sume ex pilis eiusdem canis ».

GER. – Narra tu, Damase, quaeso, de convivio.

SAT. – Ne narres, nisi velis apud me remotum quidquid habeo in ventriculo, cum ipsis vitalibus.

GER. – Facesse igitur tu paullisper.

DAM. – Ego narrabo quam commodissime, ut nusquam sit honor praefandus.

GER. – Incipe tandem.

DAM. – Itaque audiām. Primum omnium accubuimus severi; tristes dixeris: silentium ubique et quies. Coepimus expedire cultellum quisque suum; speciem praebebamus non invitatorum, sed invitorum; faciebamus revera adeo segniter; nondum enim incaluerat animus ardore illo libero. Aptat quisque mantile suum humeris, non nulli etiam pectori; alii de mappa extendent super gremium; sumit panem, aspicit, volvit, purgat si quid esset carbonis aut cinerum, decorticat; et haec omnia lente et cunctabunde. Quidam auspicati sunt

coenam a potionē; alii priusquam biberent, paulum sumpserunt acetariorum et bubulae salitae et pernae ad excitandum dormiens palatum et stimulandum languidulum. Primus scyphus fuit cerevisiae, ut frigidum caementum substerneretur ardori vini. Allatus est sacer hic liquor primum poculis angustis et exiguis, quae magis sitim irritarent, quam stringerent. Scipio, homo festivissimus, qui potiorem in hac tota regione nullum habet, ac ne parem mea utique sententia (quod sit dictum sine cuiusquam iniuria), iubet afferri pocula capacissima, et coeptum est largiter potari more Graeco, et loqui, tum incalescere. Hilaritas ubique et risus diffusissimus. O coenae noctesque deorum! Alii alias praebibimus, et magna aequitate faciebamus paria: nefas erat sodalem fraudare, tali praesertim tempore.

AMBR. – Merito, quum agitur non de calice vini, sed de sensu et mente, rebus in homine praecipuis. Sed ut hac de rem tam laeta, tam festiva inter nos colloquamur, primum rogandus es, ne sis ebrius.

DAM. – Non revera, et facile est cognoscere ex ordine orationis meae; nam, si essem, putas me haec referre potuisse adeo composite?

GER. – Dimittamus ista. Cedo, quod vinum bibebatis?

DAM. – Quid nostra confert quod sit vinum, aut cuius? Habeat modo nomen et colorem vini, id satis est nobis.

AMBR. Quae ergo potest esse delectatio, quum id non gustas, quod in corpus ingenis?

GER. – Fortasse initio nonnulli aliquid gustant, integro palato: mox vero depravato ex tanta humoris redundantia, gustum omnem amittunt.

DAM. – Putasne ad voluptatem nos potare, aut quod sit iucundum?

AMBR. – Tanto ergo estis peiores bestiis, quae aviditatibus naturalibus aguntur: vos neque illud deducit ratio nec retrahit natura.

DAM. – Dicit sodalitas: ita paullatim inebriamur imprudentes.

GER. – Quoties estis inebrati? Quoties alios ebrios vidistis?

DAM. – Quotidie plurimos.

AMBR. – Non sufficiunt ergo tam multa experimenta ad evitandam rem tam foedam? Atqui bellua vel uno experimento fieret cautior.

GER. – Quibus ex poculis hauriebatis vinum, et quomodo?

DAM. – Primum allata sunt vitrea; post, sublati illis, exhibita argentea.

GER. – Quis fuit tandem conviti extitus?

DAM. – Inebriati sumus omnes!

AMBR. – Miserum te! Quid putas esse ebrium?

DAM. – Probe et ex animi sententia indulsisse genio.

GER. – Cui genio? Bono an malo?

AMBR. – Si recte omnia scruteris, nusquam invenies cui indulseris, neque enim animo, nec voluptati, nec ulli rei alteri qui vitiis obtemperant et pravis animi cupiditatibus indulgent. Inebriari autem est sensuum facultates amittere, exire de potestate rationis, iudicii, mentis; plane ex homine fieri vel pecus, vel saxum. Quae deinceps sequantur facillimum est conjecturare: loqui et nescire quid loquaris; si quid commissum est tibi arcanum maxime celandum, effutire; atque ea dicere, propter quae te et tuos, et saepe patriam ac provinciam universam in grave discrimen adducas: nulla distinctio amici et inimici, rixae, iurgia, inimicitiae, plagae, vulnera, occisio. Post ebrietatem vero cruditas, debilitatio nervorum, paralises, arthritici cruentatus, gravedo capitis et corporis totius, hebetatio sensuum omnium; memoria extinguitur, ingenii acies retunditur; unde stupor in tota mente et ad intelligendum sapiendumque et ad eloquendum:

DAM. – Iam incipio intelligere magnum esse malum ebrietatem; posthac dabo sedu-

lam operam, ut bibam ad hilaritatem, non ad ebrietatem.

AMBR. – Hilaritas est ianua ebrietatis: nemo venit ad bibendum eo animo ut inebretur, sed bibendo exhilaratur; continuo post sequitur ebrietas; difficile est enim signare hilaritatis metam, atque in ea sistere. Lubricus est gradus ab hilaritate ad ebrietatem.

GER. – Dum autem vinum habes in scypho, illud est in tua potestate: dum in corpore, tu es in illius: haberis, iam non habes. Quum bibis, tu tractas vinum pro tuo iubito; postquam biberis, illud te tractabit pro suo.

DAM. – Quid ergo? Nunquamne est bibendum?

AMBR. – Bibendum quidem, non potandum. Natura sola hoc docet bruta, hominem non docebit eadem natura, ratione adiuvante? Edes quam esurias, bibes quam sities: fames, sitiis te admonebunt quando et quatenus edendum et bibendum.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 518. – Nulla est consensio inter Graecos et Arabes de leipyria febri, ait BALLONIUS; imo nec inter Graecos ipsos καίσον et febris leipyriac magna est affinitas, iisdemque symptomatis morbus uterque se prodit: sitis est ingens, incitatio, mentis percussio, vigiliarum assiduitas, partium extimarum refrigeratio. Sed praesertim in leipyria, aestus in internis. GALENUS vero ait (*Com. in aphor. 48*): Partium exti-

¹ Cir. fasc. sup.

marum refrigeratio aestuantibus internis; solis accidit febribus, quae *καῦσοι* dicuntur; perniciosis, vel potius malignis, ut leipyriis.

§ 519. – BALLONIUS ait in *causo* linguam scabram esse, in leipyria vero nigram, causam autem leipyriae statuit ab humoris biliosi congestione, vel ob bilem adustam in ventriculo erysipelatis modo aestuantem.

§ 520. – HIPPOCRATES narrat (in *Propheticis*) duas esse diarrhoeas, una cum febri, variis excrementis hepatis, inflammatione, aut praecordiorum, aut ventris, cum ciborum aversione: aliae quidem sunt sine his signis, cum ramentis quidem et sanguine, sed breviores sunt, et eas vocat *λυστελέας*, fructuosas, commoda-que aegris, quod aut a diuturnis, aut brevibus morbis aegros uferat.

§ 521. – De singultu et febri singultuosa, sive per se talis sit, sive in prolapzione intestinorum accedat, deque eorum cura-tione abunde dictum est ab HOLLERIO in *Methodo medendi*.

§ 522. – Quum quidam menses quatuor febri quartana, erraticaque laborasset, emaciatus plane, squallidus coepit tantisper desipere, delirare, cerebro resurgere et inde cataphora, seu catalepsi prehensus interiit. Item RONDELETIUS, diligens rerum observator, annotavit: caron, catophoram et catalepses in febres quartanas longas, et tertianas incidere.

§ 523. – Alius, quum bimestri tertiana laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, quum caelum incanduisse paulum, datur medicamentum, cui in dormiendo imprudens pharmacopaeus consulit. Ab eo tempore vix febris expers: de dolore capitis, de quo prius non querebatur, modo conqueritur. Dum paroxysmus repetit, repente *ἄφωνος* fit, elatis in cerebrum vaporibus, imo et febri ipsa cerebrum occupante, unde caloris acerrimi sensus apparebat, ac si febris esset capitalis (ut sic loquar). Per horas viginti quattuor

ἄφωνος fere fuit, et catochus eum prehenderat. Victus erat debilis, nil natura praestitit, quamvis irritata: convulsus, interitus. In cerebro nil reprehensum: venae intumuerant parum; vi febris interiit; obsesso cerebro quoque, ut interea non esset flabelatio cordis ob respirationem non liberam.⁴

§ 524. – Notat Hippocrates, (*Quid. lib. 4*) quartanam febrim tum cessavisse, quum homo factus esset typhodes aut typhoides stupore attonitus.

§ 525. – Vir quidam, annorum pene 28, imbecillis pulmonibus ac purulentis, ut fidem eventus fecit, crudeli phrenitide decubuit. Pulsus inaequalis et intermittens. Vena ter quaterve secta. Convaluit. Addit BALLONIUS, intermissionem hanc ab aetate esse, iuvante quoque duritie pulsus tum ratione inflammationis, tum duritiei vasorum. Quod animum addidit ad secundam venam in hac intermissione, erat *pulsus* magnitudo: etenim ad istam intermissionem pulsus crebritas cum parvitate accedat, angustior longe spes est. Istam pulsus inaequalitatem saepe de industria in molliusculis pueris conspicuam vidit, praesertim cum dormitarent.

§ 526. – Partium externarum perfrigatio pertimescenda est in inflammacionibus partium internarum.

§ 527. – In febribus epialis non solum est sensio caloris et frigoris simul, in quo *epialis* natura consistit, sed etiam mox calor percipitur, mox frigus.

§ 528. – In febribus cum catarrho iunctis, alterna frigoris calorisque permutatio non solum in partibus corporis extimis, sed etiam in toto corpore ipso usu venire solet.

I. FAM.

⁴ Vide deliria, coma, catalepsin etc. a biliosa potius saburra in hypochondriis stabulante et resorpta oriunda. Probe haec affectiones capitis distingui debent ab aliis eiusdem affectionibus; illas biliosas, has vere inflammatorias potius appellare convenit. Illis purgans, solvens, vomitum ciens; his venae sectio medetur. STOLL.

ANNALES

Nationum Societas.

Genevae conventus de deponendis armis iterum in periculo esse apparuit novae dilationis, ob Germaniae pertinaciam, parius sibi de bellicis apparatus repetentis, postquam copias suas iisdem rationibus aptavit, quae ceteris nationibus omnibus constitutae sunt. Hoc vero consilio compositum discrimen est, nempe examen et disceptationes persequendi circa proposita ab Anglis de re adumbrata, nulla correctione, nulla conclusione illata, dum hinc inde singularum nationum legati per privata colloquia difficultates dirimere conati fuerint; praesertim quum Hitler, Germanici gubernii praeses, sua cogitata palam fecerit. Huius vero oratio satis respondit optatis; pacata et bene perpensa, Germaniae voluntatem declaravit operam suam bona fide conferendi politicae rationiae qualitatibus atque iustitiae, quae universo orbi pacem sponsura esset. Itaque alternis sessionibus, iuxta Gallicum desiderium, resumptae fuerunt et de securitate et de bellico apparatu disputationes, quas omnes sperant fore ut tandem ad definiti aliquid adducant, ante omnium nationum de re oeconomica conventum, qui ad dimidium Iunium hunc mensem indictus est, atque *vectigali mora* initium habebit, fide nempe a participibus data de novis consiliis quibusvis minime interim capiendis, quae magnis iam existantibus difficultatibus inter nationum commercia obstarre possint.

Neque praetereundum est Roosevelt, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praesidem, ad nationum universi orbis rectores omnes epistulam misisse, hortantem ut bellici apparatus imminentia instituta, tum illud praesertim, quod ad maiestatem pertinet: quaecumque enim

circa necessitatem communis discessus ab armis, monetque de periculo, quod coram universo orbe in se reciperet qui eidem obstaret.

* *

Bella.

Dum pax ubique invocatur, atque laeto animo accipiuntur nuntii eam inter Peruvianam et Columbianam civitatem esse compositam, breve futurum ut et Iaponios inter ac Sinenses sequatur, en vulgariter bellum a Paraguayana republica in Bolivianam decretum esse, quod haec arbitratum apud Hagense collegium recusasset. Valebit ne Societatis Nationum interpositio?

* *

Ex Hispania.

Publicus Hispanus coetus legibus ferendis legem sanxit de Congregationibus religiosis, in qua docendi munus Cleri membris quibusvis denegatur. Suis ita magistri septingentia millia puerorum orbantur!

Contra hanc novam Hispanae reipublicae in Catholicam religionem iniuriam, Pius PP. XI iure meritoque per encyclicas litteras publice reclamavit.

Kal. Junii MCMXXXIII.

POPULICOLA.

VARIA

De Deioce.⁴

Fuit Deioce quidam Medus, vir sapiens in primis; qui quum propter iustitiam, ut est apud Herodotum, rex esset constitutus, cum alia multa dicitur: habuisse salutariter instituta, tum illud praesertim, quod ad maiestatem pertinet: quaecumque enim

⁴ Italice scripsit I. CASA.

inciderent, transegisse per interpretem dicitur, ut Medorum audiret ipse neminem, neque cuiquam aspiciendi sui potestatem faceret. Metuebat scilicet vir magnus invidiā; aegreque laturos sentiebat cives suos, qui cum pari dignitate tam multos annos vixissent, eum ipsum tanto sibi honore praeferri. Huic igitur malo occurri ea ratione putavit posse, si sese non familiari modo, sed etiam oculis civium subtraxisset: fore enim ut paullatim ab ea, quam de se cogitationem habere soli essent, desuefacti, maius quiddam animo conciperent, et mente. Sic est enim omnino: nam quae incognita intractataque habemus, ea maiora plerumque animo nobis fingimus, et suspicamur esse.

Invidus.

Volens explorare sensus hominum Iupiter, misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognosceret. Hic primum incidit in Avarum et in Invidum. Qui buscum colloquutus, copiam illis fecit petendi quod vellent, ea lege, ut quod sibi alter petivisset, alteri praestaretur duplum. Nullo igitur induci pacto potuit Avarus quicquam sibi ut peteret; et Invidus erui unum oculum sibi petiit, ut Avarus ambos amitteret.

Desribitur hac fabula avaritiae et invidiae pessimum et deterrimum vitium.

Locosa.

Tuccius cum aequalibus quibusdam ludit; ex improviso magnis dissonisque clamoribus conqueritur, quod sibi alapa impacta sit.

— Et cur — inquit unus ex adstantibus — ei qui duxit, colaphum non reddisti?

— Oh! Iam primus ego ei reddideram!

Ebrius quidam birotam velocissimam obaequitanus, in viatorem offendit, qui in eum iure inerepat:

— Num orbus es, furcifer?
— Quinimo duplicata quum videam, inter duos vos transire conabar.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Herbacei orbes in iure natantes.
Pastilli furfuriculi, presso lacte atque perna farti, pisis circumfusi.
Pulli ad vinum album in trulla acti.
Asparagi in butyro semusti.
Mala aurea gelido cremo Lusitanico perfusa.*

Aenigmata.

I.

Ad caelum surgo frondoso vertice. Muta vocalem: iam te semita tuta manet.

II.

Virus in ore meo latitat. Mihi praefice sigma:
Per venas vegetas vividus humor abit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Anus, Onus;*
2) *Pecus, Specus.*

LIBRORUM RECENSIO

MICHAEL MUCCIO, *A fascium regimine constituto anno exeunte decimo.*

Alchaicum carmen nitide editum memorat Italicos belli triumphos atque post bellum civiles factiones; postremo autem Italianum cele-

brat, claro Duce, in pristinam dignitatem restitutam:

*Stat Roma; sol non pulchrior enitet,
Nimbū minantem cum boreas procul
Iam distulit.*

*...In pace cives. Assiduus labor
Acerque fervet cunctaque provehit:
Mores nitent, doctrinae et artes:
Quae patriae studiosa pubes!*

Poëta rithmis alchaicis optime utitur; leves mendae. « Mirificam Italiae unitatem » non satis probabo; sed, quum poëta unam *Italiā* celebret, versus facile emendari potest. De carmine poëtae gratulamur.

ALOISIUS COSSIO, *Studia Vergiliana.*

Auctor, Recineti Lauretique episcopus, tria scripsit volumina, unum tamen, bimillenario Virgiliano, edidit; diu expectavimus an et cetera ederentur; nunc tamen, ne longior esset mora, primum volumen recensendum putavimus.

A. Cossio, qui materiam, maxima cum rerum cognitione novit atque illustrat, in hoc volumine, primum Vergilii vitam, quae a Suetonio, grammaticis ceterisque fontibus nobis tradita est, maxima doctrina et studio narrat et explanat; deinde de « genuinitate », cum minorum, tum maiorum operum disserit. Postea quae emendata, interpolata, desperdita in maioribus pateant; postremo fontes, maxima cura, requirit.

Quamquam auctor omnia funditus penitusque, longe lateque novisse et vidisse ostendit, tamen de Bucolicis eius maxima peritia studiumque patet; nam in *de interpolatis Bucolicis* capitulo, novam ab aliis non temptatam materiam aggreditur: item tria Bucolicorum genera copiose illustrat.

Volumen editum ad eruditionem doctrinamque pertinet; cetera de materia, de poësi et arte desiderantur atque in ceteris non editis partibus suum locum habent.

Auctor fatetur non omni ex parte expeditum opus se confecisse; non omnia fortasse (volumen 568 paginas, latina lingua ample-

ctitur) iisdem floribus vigent sed et doctissimis probandum et nostra quidem sententia Cossii opus unum ex optimis, quae in Virgiliano bimillenario edita sunt, ducendum est; auctori magnopere gratulamur atque eum rogamus, ut cetera volumina quam primum sit editurus.

ACASTES BRESCIANI, *In urbem Aquileiam.*

Carmen in poëticō certamine, ad vetustos Aquileiae fastos atque Ignoti Militis ritum celebrandum, praemio ornatum est.

Poëta celebrat veteres Aquileiae res gestas atque antiquum Poponis templum, quod, in maximo nuper bello, preces Italicorum militum audivit.

In hoc templo, ex undecim Italiae castris, singula ignotorum militum corpora translata sunt:

*Annus exactus decies iam volvit orbis:
singula castra viri dederant sine nomine corpus,
inde hoc delatim in ritum laudemque triumphi,*

atque, circum stipante clarorum civium globo, mater, *bello cui natus ademptus*, unum ex undecim elegit, cui Romae solemnia agenda sunt; cetera in Aquileiae templo reconduntur atque, omnibus Patriae festis diebus, cives, ante sepultra, moestum et clarum ritum renovabant.

*Res non visa prius, non umquam deinde videnda
adstantes movit. Nigro velamine cincta
en prodit mater, bello cui natus ademptus,
praetclarique duces trepidam comitantur euntem,
aurea queis rutilant virtutis pectore signa.
Passibus incedit tardis feretrisque propinquat
electura virum, cui donet in Urbe triumphum.
... Tres scandit genetrix passus, decimumque fererunt
elegit imponens tumulo nigrantia vela.*

Poëta omnia canit politissimis (178) exametris tanta versuum dulcedine et rerum gravitate, ut animos moveat et carmen iure praemio ornatum esse videatur.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

Medio tutissimus ibi.

OVID.

DE ROBERTI SCOTTI

[18]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Visae sunt beluae circumspicere, quid suis artibus et homini et canibus intulissent fortunae. Ille non emotus vestigio, saltu in firmam se dederat glaciem, et, quum glacies fortuito circum canes et inter eos deffissa esset, neuter eorum deciderat in aquam, sed miseros edebant ululatus belua eis a minus duobus metris minitante perniciem. Sed cete neglecta praeda evanuere in undas; nos et canes et, quod fere maius erat, complures petrolei amphoras collocavimus in tuto, quibus, ut non erat dubium, quin illa marina monstra, si qui decidissent in undas, exemplo devoratura fuerint, sic inexpectatares erat eas meditato dolo et communim impetu glaciem totius fere metri crassitudinis confringere.

Celeriter deinde reliquis diebus exstructum est hibernaculum et tota merx navis ad terram advecta. Equuli vehabant ad chilogrammata quadrigena, quinquagena. Inferiorum ordinum viri ipsi oneratas trahas vehebant, cooperuntque uti baculis, quibus qui dilabuntur nivalibus calceis, nituntur, qua illi re non minime iuvantur. Quidam in eo opere parum cauti nivium candore obcaecati sunt. Scottus veritus ne dura glacie repanda trahearum ligna¹ detererentur, qua re ad poli iter redde-rentur inhabiles, certum traharum numerum in ea advectione mercium adhiberi noluit.

VII Idus Ian. Scottus scribit id natum incommodi, quod glacies, qua comearent vehicula onerum, remollescere coepisset et tenuari, ut saepe pedibus scarent equuli.

¹ Quas nos *Kufen* vocamus hoc loco « repanda ligna » dixi. Vocant alii: « trahae pedes ».

Ponting semper cupidus novarum imaginum lucigenarum¹ traheam vehens oneratam photographico apparatu tendebat ad quendam montem glaciei, in quo natura elaboraverat mirificum et colorata luce coruscum antrum. Modo collecto humore obscuratum nivale perspicillum² erat, cum repente animadvertisse subditam pedibus glaciem. Neque quisquam propter erat, qui esset mergenti auxilio.

¹ Lucigenam imaginem audacule fortasse, sed tamen ad illam artem accommodate appellandam duxeram imaginem radiis lucis effectam, vel photographiam. Miranti formam nominis consultet Forcellinus.

² Nivalia perspicilla *Schneibrillen*, sunt maiora vitra ocularia caerulei coloris vel fumidi, quibus minuitur portanti nocua oculis albedo nivium. Hic te interrogare mihi licet, prudentissime lector, quas tibi faciendas putes Gallorum *lunettes d'automobiliste* quas simplicius Germani *Autobrillen* enuntiamus. Mihi certe recepta semel illa Arcadii Avellani moderatoris « Praeconis Latini » novata voce, ut pro *autocinetu* « digam » i. e. cui desit ingum, dicere instituerim, ultra menti nascentur rerum figurae, cum a me adiiveris « perspicillum digarium » vel « digam onciariam » vel « publicam digam » vel « digam personaram » i. e. digam transportandis hominibus. Rector digae erit « digarius », « Praeco Latinus » — nam dicendum hoc est adolescentilis — commentarii fuerunt latine scripti. Prodibat Philadelphiae, in urbe Americae septentrionalis, sed completo anno octavo post generosissimam Arcadii Avellani operam, inopia adiutorum constituit. « Consilium igitur cepimus » haec sunt mense septembri anni 1902 tamquam funebria solentis Avellani verba, « ab infructuoso arduoque labore, quem pauci tantum aestimant, qui tamen omnemque substantiam exigit, cessandi, ut otio sic puto rectius uteremur ».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TIPI POLYGLOTTIS VATICANIS.

ANN. XX - FASC. VII

MENSE IULIO MCMXXXIII

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latīna colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Julio MCMXXXIII

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De gerundio.

I. - Gerundium est substantivum verbale declinabile, et reapse non raro substantive ponitur, sicut infinitivus; v. g.:

Tempus *legendi* (= lectionis).

Scribendo (= scriptio) adesse (Cic.).

Promptus ad *irascendum* (= iram).

Breve tempus aetatis satis longum est ad bene *vivendum* (Cic., *De Senect.*, 19).

Nullum tempus illi unquam vacabat aut a *scribendo* (= scriptio) aut a *cogitando* (= cogitatione) (Cic.).

Prohibenda maxime est ira in *puniendo* (= punitione) (Cic., *De Off.*, 1, 25).

II. - Gerundia post se casus suorum verborum admittunt; v. g.;

Tempus *oblivisciendi iniuriam*, *ignoscendi inimicis*, *coercendi cupiditates*, *abstinendi maledictis*.

Gerundium in *di* iungitur interdum cum genitivo plurali, pro accusativo; v. g.;

Facultas *agrorum* (= agros) condonandi (Cic., *Phil.*, V, 3).

Ex maiore enim copia nobis quam illi,

suit exemplorum colligendi potestas (Cic., *De Invent.*, 2, 2).

Licentia diripiendi *pomorum* (Suet.).

florum videndi gratiā (Plin.).

Eorum assequendi causā (Cic., *De Fin.*, V, 7).

Cum genitivo gerundii iunctus reperitur etiam genitivus pluralis *sui*, pro accusativo *se*; et interdum *vestri*, pro *vos*; v. g.:

Doleo tantam Stoicos nostros Epicureis *irridendi sui* (= se) facultatem dedissem (Cic., *De div.*, 2, 17).

Quum multi principes civitatis Roma, non tam *sui* (= se) *conservandi*, quam suorum consiliorum reprimendorum causā, profugerunt (Cic. *Cat.*, I, 3).

Non vereor ne quis me hoc *vestri* (= *vos*) *adhortandi* causā magnifice loqui existimet (Tit. *Liv.*, XXI, 41).

Hoc invenitur etiam, sed rarius, cum tui genitivo singulari feminino; v. g.:

Quoniam *tui* videndi est copia (Plaut.).

Copia placandi sit modo parva *tui* (Ov., *Her.*, 20, 74).

Gerundia in *di* finita; interdum in *do*, *dum*, frequentius, passionem significant, nec post se casum admittunt; v. g.:

Athenas *erudiendi* causā (= ut eruditur) missus (Cic.).

¹ Cfr. fasc. sup.

Censendi causā (= ut censeretur) haec frequentia convenit (Cic., *Verr.* Act. I, 18).

Spes restituendi (= ut restituatur) (Corn. Nep., *Att.* 9).

Aqua utilis bibendo.

Ferrum rubens non est habile tundendo (Plin., 34, 63).

Caro ad vescendum apta.

Ad visendum patebant quotidie (Cic., *De Signis*, 3, 6).

Ante domandum (Verg.).

Pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto sint (Sall., *Iugurth.*, 5).

Ad censemendum (Paterc., 2, 15).

Memoria excolendo augetur (Quint.).¹

Genitivus, dativus, accusativus et ablative gerundii usurpantur post substantiva, adiectiva et verba quae hos sibi casus adseiscunt; ² v. g.:

¹ At illa iam Ciceronis tempore inter obsoleta referebantur. Etenim ad Paetum scribit: Nunc ades ad imperandum (= ut imperetur tibi), vel ad parendum potius; sic enim antiqui loquebantur (Cic., *Fam.*, IX, 25).

² De gerundio plura legere poteris apud grammaticos. Hic tamen quaeradum notare iuvat, quibus haec nostra regula amplificetur.

a) Verbum esse interdum cum genitivo gerundii, vel potius cum adiectivo verbali verbi transitivi legitur, significans pertinere, tendere ad aliquam rem; v. g.: Regium imperium initio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat (SALL., *Cat.*, 6). - Ut ambitiones ex omnibus civitatibus tolleret, quae res evertendae reipublicae solent esse, ostendit sese in omnibus civitatibus censores esse facturum (Cic., *Verr.*, II, 53). - Quae temere agitassent, ea prodendi imperii Romani, tradendae Hannibali victoriae esse (Tir. Liv., XXVII, 9). - Lectis rerum summis, quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse, dixit sese eos libros in ignem conjecturum esse (Tir. Liv., XL, 29).

NB. - Apud scriptores non eximiae latinitatis, hunc sensum retinet, etiamsi esse neque exprimatur neque ullo modo exprimi possit; v. g.: In Aegyptum proficiunt cognoscendae antiquitatis (TAC., *Annal.*, III, 27).

Cui genitivo sine «esse» dativus suffici potest; v. g.: Firmanda valetudinē (= ad firmandam valitudinem) in Campaniam concessit (TAC., *Annal.*, III, 31).

10) Post substantiva:

Sapientia ars vivendi putanda est (Cic., *De Fin.*, 1, 13).

20) Post adiectiva:

Dumnorix Aeduus, insuetus navigandi mare timebat (Caes., *B. G.*, V, 6).

Barbaris consilium non desuit; sed erant et virtute et numero pugnando pares nostri (Caes., *B. G.*, V, 34).

Ad pingendum apta manus est (Cic., *De natura deor.*, II, 60, 150).

30) Post verba:

Nulla res tantum ad dicendum proficit quantum scriptio (Cic., *Brut.*, 24).

Mores puerorum se inter ludendum simplicius detegunt (Quint., I, 3).

Hominis mens discendo alitur et cogitando (Cic., *De Off.*, I, 30).

Tu quid cogites de transeundo in Epulum, scire sane velim (Cic., *Att.*, IX, 1).

III. - Gerundia in *di*, *do*, *dum*, verborum quae accusativo casu gaudent, sere elegantius effreruntur per participia in *dus*, *da*, *dum*, quae gerundii casum retinent; genus autem et numerum nominis assumunt; v. g.:

Tempus legendae historiae (= legendi historiam).

Eiusdem sensus est dativus attributionis aut scopi qui apponitur nominibus munierum ac dignitatum, ad eorum destinationem indicandam; v. g.: Me Albani ducem bello gerendo creavere (Tir. Liv., I, 23). - Decemviro legibus scribendis creavimus (Tir. Liv., IV, 4). Ita: duumvir sacris faciundis; triumvir coloniis deducendis, agro dando, iuventuti conquirendae, senatu legendi: triumviri reipublicae constituendae; comitia regi creando, duumvir aedificiendo (Tir. Liv.), iuridicendo (Cic.), etc.

b) Adiectiva a quibus pendet dativus gerundii interdum eleganter reticent; v. g.: Solvendo (par) non erat (Cic., *Att.*, XIII, 10). - Pro se quisque inermes ea modo quae extinguendo igni (apta, utilia) forent portantes, in agmen ruebant (Tir. Liv., XXX, 6).

c) Post adiectiva quae vel dativum vel accusativum cum ad regunt, multo usitator est accusativus gerundii cum ad, quam dativus; v. g.: Omnis aetas apta est studendo; vel (saepius) ad studendum.

Pacis inter cives conciliandae esto cupidus (Cic., *Fam.*, X, 27).

Sunt nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus (Quint., I, 3).

Animum hominis sensibus ornavit natura ad res percipiendas idoneis (Cic., *De Fin.*, 5, 21).

Quis est qui nullis officiis praecepsit tradendis philosophum se audeat dicere? (Cic., *De Off.*, I, 2).

Oculos natura nobis, ut leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit (Cic.).

Commutatio gerundi in participium interdum reperitur cum gerundis verborum fruor, fungor, potior et utor, quae nunc ablativum regunt, at olim cum accusativo construebantur; v. g.:

Iustitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti (Cic., *De Off.*, II, 12).

Expetuntur autem divitiae quum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates (Cic., *De Off.*, I, 8).

Oculos probe affectus ad suum munus fungendum (Cic., *Tusc.*, III, 7).

Hostes in spem potiundorum castorum venerant (Caes., *B. G.*, 6).

Omnia bona ei utenda ac possidenda tradiderat (Cic., *Verr.*, II, 18).

Genitivus gerundii, sequente accusativo, mutari potest, at non debet; v. g.:

Tempus eius interficiendi quaerere instituerunt (Corn. Nep., *Alc.*, 5).

Parsimonia est scientia vitandi sumptus supervacuos (Sen., *De Ben.*, 2, 34).¹

Dativus, sequente accusativo, semper mutatur; v. g.:

¹ Non dices: *Mei irridendae* aut *irridendi* (feminino genere), *nostrī irridendorum* aut *irridendi* (plurale numero) causā, hoc fecit. Sed: *me, nos irridendi* causā ... etc.

Quarumdam avium digiti non sunt accommodati complectendis transferendisque ovis (Plin., X, 50).

Terendo oneri par, aut impar.

Accusativus, sequente accusativo, mutatur; v. g.:

Musicen natura ipsa videtur ad tolerandos facilis labores velut muneri nobis dedisse (Quint., I, 10).

Ablativus gerundii cum praepositione, si sequatur accusativus, semper mutatur; sine praepositione, plerumque mutatur, non tamen necessario; v. g.:

Praelia de occupando ponte crebra erant (Tit. Liv., VII, 9).

Ab oppugnanda Neapoli Hannibalem absterruere conspecta moenia (Tit. Liv., XXIII, 1).

Orationem latinam profecto legendis nostris efficies pleniorē (Cic., *Off.*, I, 1).

Omne desiderium litteris mittendis accipiendisque leniam (Cic., *Fam.*, XV, 21).²

Gerundium in *dum*, accidente verbo *sum*, eleganter mutatur, si gerundio fuerit regimen directum; v. g.:

Pietati summa tribuenda laus (= summam tribuendum laudem) est (Cic.).

Pecuniae est fugienda cupiditas (= fugiendum cupiditatem).²

Mutatio gerundii in adiectivum verbale non est facienda, si accusativus est pronomen vel adiectivum neutrius generis absolute positum, cuius genus, mutatione facta, fieret incertum; v. g.:

¹ Aliquando sensus adiectivum verbale reicit; requirit autem gerundium: v. g.: *Invidiae nomen dictum* est a nimis *intuendo fortunam* alterius (non autem *intuenda fortunā*) (Cic.). - *Defendendo pacem*. - Tunc attentio fertur praesertim in verbum et solum modo secundario in nomen.

² Cicero tamen scripsit: *Aliquam viam quam nobis ingrediendum est* (Cic., *De Senect.*, 2, 6).

Studium *illud* efficiendi (non autem *illius*).¹

Cupido *plura* cognoscendi (non autem *plurium*).

IV. – Haec verba: *do, loco, conduco, redimo, mando, curo, habeo, trado, attribuo, praebeo, relinquo, suscipio, depono, obiicio, propono, sumo, assumo* et similia, participiorum in *dus, da, dum* accusativis iunguntur absque praepositione, ad exprimendum finem ad quem res datur aut accipitur;² v. g.:

Mihi litteras *legendas* (= ad legendum) dedit (Cic., *Fam.*, X, 12).

Consules porticum Catuli *restituendam locaverant* (Cic., *Att.*, IV, 2).

Redemptor columnam Iovis *conduxerat faciendam* (Cic., *Div.*, 2, 21).

Polydorum *mandarat alendum regi* (Verg., *Aen.*, III, 49).

Caesar pontem in Arare *faciendum curavit* (Caes., *B. G.*, I, 13).

Natura mulieri domestica negotia *curredit ad id* (Col.).

Edem Castoris Iunius *habuit tuendam* (Cic., *Verr.*, I, 50).

Attribuit nos *trucidandos* Cethego (Cic., *Cat.*, IV, 6).

Haec porcis hodie *comedenda relinques* (Hor., *Ep.*, I, 7).

Laudem gloriamque Africani *tuendam conservandamque suscepit* (Cic., *Verr.*, VI, 6).

Qui se *committit homini tutandum improbo*, exitium invenit (Phaedr., I, 31).

Provincias *vexandas diripiendasque consulibus permisit* (Cic.).

Verba *suadeo, admoneo, censeo, puto*, etc., eadem admittunt participia; v. g.:

Onerandas tributo provincias suadentibus (Suet., *Tib.*, 32).

Legatos *mittendos* in Africam *censuerunt* (Tit., *Liv.*, XXX, 11).

Non abest aliquid discriminis, post haec verba, inter adiectivum verbale et gerundium. Nam gerundium melius quam adiectivum verbale indicat scopum, intentum; v. g.:

Quum alteri Syriam pacatissimasque gentes *ad diripiendum tradidisset* (Cic., *Pro Dom.*, 23).

Stultissimum credo *ad imitandum* non optima quaeque *proponere* (Plin. *Iun.*).

Aegyptum Nilus irrigat, mollitosque et oblimatos agros *ad serendum relinquit* (Cic.).

(*Ad proximum numerum*).
S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE¹

De locis Deorum cultui mancipatis.

Quaedam esse debere in terris loca, quae a profano usu secreta uni religioni dicarentur, ethnica ipsa sibi persuasit antiquitas. Quare plures obsequii cultusque sedes suis illa diis ponere connisa est; quae dicendi nobis argumentum hodie suppeditabunt.

Ubi sacrorum officiorum perfunctionibus coli numina solebant, diversis ea quidem loca appellationibus dicta sunt *Templa, Aedes sacrae, Delubra, Fana, Sacella, Lararia, Luci*.

¹ In usum praesertim tironum.

¹ Cicero optime scripsit: Natura cupiditatem ingenit homini *veri* inveniendi (*Fin.*, 2, 14). – Iustitia cernitur in *suo* cuique tribuendo (*Fin.*, 5, 23); et alia huiusmodi. Nulla enim adest amphibolia.

² Participium tunc facile vertitur substantivo abstracto; v. g.: Demus *nos* philosophiae *excolendos* (= ad culturae nostri) (Cic., *Tusc.*, IV, 38).

Atque ut a *Tempulis* ordiamur, hoc vocabulum *a tuendo* factum, eam vel caeli, vel terrae partem primitus denotavit, quam ad auguria captanda augur lituo designasset definissetque; vocatam iam caelestem illam quidem regionem, quia tota aperte prospiceretur, terrestrem vero quod inde quaquaversum liber pateret adspectus.¹

Quoniam autem huiuscemodi regiones, *templa* dictae, per auguriorum religionem quodammodo sacratae ducebantur, hinc ortum est, ut quaecumque per urbem loca consecrata augurato fuissent, *templorum* item nomine appellarentur. Hac prorsus de causa tum rostris in foro positis, tum curiae habendo senatui ea vox quoque adiuncta fuit.

Postremo ad inaugurata sacrorum religionisque domicilia ita id nomenclature genus translatum est, ut eis maxime omnium proprium factum fuerit.

Aedes sacrae, ubi constitutae praeviis a guriis fuissent, nil plane a templis absimiles erant, at inaugurate si minus forent, in templorum numerum ordinemque adscribi non poterant. Idque est, quod ex Varrone declaravit Gellius (XIV, 7): Non omnes aedes sacras tempula esse, ac ne aedem quidem Vestae templum esse.

Delubra a deluendo dicta traditum est, eoque proprie hoc insignita nomine fuisse tempula, ante quae fons sive lacus ad deluendas sordes exstaret. Affert hanc opinionem Servius,² quem inquit: «Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluntur». Eodem redit, quod e nonnullorum sententia tradit Asconius,³ nimirum ea tempula fuisse delubra, in quibus *labra* essent ad ablendum. Quare apposite admonendum ad christianam rem Isidorus:⁴ «Delubra — inquit — veteres dicebant tempula

fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur ... Ipsa nunc sunt aedes cum sacris fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur». Eas igitur opiniones, quibus existimat antiquitus quoque fuit, delubra inde vocata, vel quod ibi simulacra a *delibrato* ligno colerentur; vel ex eo quod illic deus esset positus, ut *a deo tuerit delubrum*, perinde atque a candela candelabrum; has, inquam, opiniones non tanti faciendas esse putamus.

Fanum ex principe notione dictus locus ad statuendum templum *effatus*, id est augurio consecratus. Indicat id luculentier per haec verba Livius:¹ «Fanum tantum, id est locus templo effatus, iam saceratus fuerat». Hinc *sistere fana*, testante Festo, fuit, futurorum in condenda urbe templorum loca constituere.

Ceterum pro indicandis templis saepissime usurpari hanc vocem, multo notius vulgatusque est, quam ut monitore indigeat. Ex qua communi significatione intelligitur, quare *Fanatici* dicti sunt quorumvis templorum sacerdotes.² Qui ipsi sacerorum antistites, quoniam divino afflati nomine credebantur, eam ob rem *fanatica arbor* apud Festum est fulmine afflata. Ex eo autem quod illi oracula edentes sese totos mire iactabant, *fanaticus* pro insano et furioso dictus.

Sacella fuere loca diis sacraa sine tecto, prout tradidit idem auctor; vocata propterea a Graecis *περίβολα*. Sed et pro quolibet aediculae genere id adhibitum esse nomen compertum est.

Luci silvae erant vel diis, vel mortuis dicatae; eoque saepe vel tempula, vel sepulcra circumstantes. Qui quoniam ob sacra ibi peragi solita frequenti lumine collucebant, eam ob rem fuere nomine donati

¹ Lib. X, 37.

² Hoc pacto in vetere lapide extra Romam, unde Dacerius adnotat. in Festum v. *Fanatica*, haec legebantur verba: Q. COELIO APOLLINARI FANATICO DE AEDE BELLONAE.

³ XV, 4.

Huius generis, praeter non paucos alibi, Romae fuit qui memoratur a Livio¹ a Numa Camoenarum cultui attributus, et peculiari tum sacrificiorum religione, tum augurum ministerio consecratus.²

Lararium, quod et *Sacrarium* appellatum, fuit domestica aedicula, ubi custodes familiae Lares asservati singularibus observantiae officiis colebantur. De hoc genere Tullius:³ « Erat — inquit — apud Heium sacrarium magna cum dignitate in aedibus, a maioribus traditum, perantiquum, in qua signa pulcherrima quatuor ».

Memorabile in hanc rem est, quod de Alessandro Severo refert Lampridius (29): « Matutinis horis in Larario suo (in quo et divos principes, sed optimos electos, et animas sanctiores... Christum, Abraham et Orpheum... habebat, ac maiorum effigies) rem divinam faciebat ». De quo eodem paulo post (cap. 31) dicitur, Vergilii ac Ciceronis imagines in altero larario habuisse. Unde et illud discas, duplex sacrarium, maius minusque, habitum apud Principes.

Monendum hic vero est, infimae sortis hominibus pro larario fuisse Focum, ubi deos suos servabant.

Quibus positis, ad templorum situm, structuram, partes et ornamenta describenda procedemus; in alium vero numerum, ne longiores hodie evadamus.

S. A.

¹ Lib. I, 21.

² Pervetustus ac longe lateque diffusus Lucorum cultus fuit, ab Orientis regionibus in primis ortus. Frequens admodum eorum in Sacris Litteris fit mentio. Ita *Iudic.* VI, 25, praecepit his verbis Dominus Gedeoni: « Destrues aram Bael... et nemus, quod circa aram est, succides ». Quam ipsam impietatem amplexata aliquando Israëlitica gens, lucos subinde numeribus consecravit. Hinc illud *III Reg.*, 14, 23: « Aedificaverunt et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos ». Similia alibi legas. Nulla vero fuit orbis pars, quo egressa ex illis potissimum oris superstitione non pervaserit, et ubi non altas egerit radices.

³ IV in *Verr.*, 2.

HORAE SUBSECIVAE

ASCENSUS IN ALPES¹

Sole sagittante hoc tandem sum culmen adep-
[*tus,*
Blandini optatum in quo eminet hospitium.
Magna super subterque offert se et visio cir-
[*cum,*
Hinc atque inde oculis dum vigor atto-
[*nitis.*
Singulo in obtutu virides admiror amictus,
Et concreta gelu flumina perpetuo.
Exsultans: Adsum! vocito obvenientibus: Ad-
[*sum!*
Me ipsique ut socium comiter excipiunt.
En montana domus iuvenum molita saluti
Sub Stanislai caelitis auspiciis.
Ingredior prius aediculam persolvere grates
Hunc mihi quod montem sit superare da-
[*tum.*
Atrium subeo, aulas atque cubilia, nec non
Altilia in clathris rimator et horticulum
Miscens cum sociis sermones, edita narrant
Dum juga non claudio saepe subacta pede.
Viribus effetis mussant sed ventre querelae,
Nam stimulis urget me bene suada fames.
Hinc raptim struitur mihi mensa dapesque
Laudanda sapidas comparat ante coquus.
Ecce armus vituli flamma crepitante perustus,
Foverit ut vacuum fumida oryza sinum.
Praesta sunt olera et caseus mulcere palatum
Dulcia liba ori, mitia poma, nuces.
Interea aspergit vivax pulmenta lyaeum,
Ilio quod rorans mox rubet inde genis.
Tandem arabum liquor granis expressus ama-
[*ris*
Amphitronis edax rite coronat opus.
At fame sedata mihi somnus claudit ocellos,
Vis per membra statim diditur unde nova.
A somno requies: artus virtute calescunt
Ut montes iterum pes levis exsuperet.

¹ Ad S. Stanislai domum alpina in Valle Sæxa, supra Leucum in loco Blandini.

Hospiti Praeses grates Tibi reddo paranti
Hoc pene exhaustis civibus effugium.
Et vos montivagi iuvenes properate frequentes
Auras Blandini culminis ebibitum.
Sic impleturi pensa redibitis urbe;
Corpore enim sano mens quoque sana vi-
[*get.*

Salve o Blandinum! te invito marte relinquo :
Vix bona configerit sors redditurus adhuc!

Mediolani, IV Kal. Iulias MCMXXXIII.

CAESAR MAMBRETTI.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE PROPAGATIONE BREVIORUM UNDARUM.

Quae propagationem breviorum undarum respiciunt, intensius in dies a peritis studio subjiciuntur.

Non desunt theoreticae lucubrationes nec analiticae solutiones; attamen elementa quae actu interveniunt tam varia sunt et incerta, ut non nisi ex experientia duci in re debeamus.

Experientiam dicimus, et quidem pro singulis exquisitam problematis, nam quae pro determinata quadam communicatione inter duas stationes apta esse inventimus, non semper aliis undarum itineribus eodem modo aptare possumus.

Sunt tamen quaedam generales normae, quae constanter valere dicendae sunt, et ad haec fere reducuntur.

Agitur quidem de propagatione breviorum undarum; istae enim unae aptae sunt ad longiores vias percurrendas.

Novimus alias esse quae noctu securius procedunt, alias quae durante die. Illae sunt quae inter triginta et sexaginta me-

trorum longitudinem includuntur, istae quae a tringita usque ad quindecim circiter metrorum longitudinem minuantur.

Sed generatim via, quam undae ingredi debent, nec tota in luce est, nec tota in tenebris; agitur enim de locis valde dissipatis.

Aliquando vero nescimus etiam viam, quam undae sequuturae sunt. Quamvis enim certe admittendum sit traiectum propagationis iuxta circulum maximum, qui emittem et recipientem coniungit, circumduci, potest tamen fieri ut facilior via sit iuxta arcum longiore illius circuli potius quam iuxta breviorem.

Verius etiam dicendum est, undas ad metam advenire ex utraque via, quamvis non eadem vehementia.

Sunt etiam momenta temporis quae difficiliora se habent tum pro emissione, tum pro receptione; neminem enim latet occidente, vel oriente sole maiores haberi perturbationes.

In omnibus istis circumstantiis opportuniores videantur undae, quarum longitudine sit media inter longitudines, quae per noctem et quae per diem eligendae erant. Addo tamen, ex iis quae ipse expertus sum, in difficultibus illis casibus, rationem habendam esse potius de statione recipiente quam de emitente, ita ut longitudine eligitur quae pro diurnis vel pro nocturnis horis apta sit, ratione habita de statione recipiente, utrum in luce sit an in tenebris.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTITIAE.

QUAEDAM DE NUNDINIS LIPSIENSIBUS.

Inter multa quae de electricis applicationibus videre fuit in nundinis Lipsiensibus quaedam innuenda ducimus:

Ampullae ad constanter dirigendos electricis rivulos, hydrargirii vaporibus utens, quae 500 amperas sub potentiali, 500 voltas ducere possunt.

Sunt autem et pro communioribus usibus, ut exempli gratia ad accumulatores ditandos, rectificatores, qui siccii dicuntur, ex oxidis metallicis, qui plura *chilowatta* dabunt sub potentiali 60 volt, vel 500 *watta* sub 1000 volt. potentiali.

Quod ad electricas lampades pertinet, exhibita est ampulla quinquaginta chilowattorum.

Multiplices vero diversimode accommodati erant apparatus ad mille domesticos usus milleque studia.

DE ELECTRICITATE IN LIQUIDIS SEGREGANTIBUS.

Ex experimentis recens instauratis asseri posse videtur debilem illam electricam vim accipiendo proferendique calorem, quae etiam in liquidis segregantibus bene purgatis manere novimus, tribuendam esse minimis residuis aquae, quae nunquam perfecte separare fas est.

In electrolytibus aquae moleculas in duobus iones disiici necesse est; isti autem finita quadam velocitate in electrico campo aguntur.

Sed distributio potentialis inter electroda, nunquam uniformis existit, et densitas ionum generatim maior est prope electroda.

A. Gemant, ex *Hertz Instituto* Berolinensi, refert ingeniosa quaedam ad hos effectus detegendos.

Apponunt enim cylindrum ex charta bibula in vase ad electrolysim apto, et quidem prope electrodum.

Parietes chartaceae non prohibent fluxum electrici rivuli.

Postquam vero per aliquot momenta electricus rivulus fluxit, vas chartaceum extrahebatur et in aliud vas, oleo repletum, inducebatur.

Tunc per electrometrum ballisticum facile erat praesentiam electrici rivuli detegere, et quidem oppositi signi ac illa quae in electrodo fuerat.

Plures huiusmodi observationes et mensurae effectae sunt, et variantibus circumstantiis, praesertim ad inquirendam potentialium distributionem in electrolythis.

DE FAUNA ET DE FLORA IN DANCALIA ITALICA MERIDIONALI.

Xaverius Patrizi plura collegit et descripsit quae valde conferunt ad cognitionem tum faunae tum florae in Dancalia.

Quamvis enim iam antea a nonnullis italicis exploratoribus plura collecta fuerant ex hac regione, multa tamen, quae diligenter requirunt inquisitiones, illos effugerant.

Terra enim arida est, flora rara, ex natura basaltica et ex absentia praecipitationis; fauna vero minus rara sed magis abscondita, ita ut nonnisi ex diurna et diligenti exploratione uniuscuiusque « uadi » uniuscuiusque « ambae », et quidem in diversis anni temporibus, possibile fiat sufficientem exemplarium cumulum colligere, quod huiusmodi inhospitalis regionis adaequatam afferant cognitionem.

Sunt et singulares terrae configurationes, quae difficiliorem reddunt explorationem; nam liquefacta saxa a vulcano egesta, aggeres basaltici, profundioraque scoriarum cinerumque particulae innumerabiles tegunt fracturas et rimas, quae plures hospitant mammiferorum, rectilium et insectorum formas, generatim mimeticas, et proinde difficilius detegendas.

Diurna vero permancio Auctoris in illa regione perutilis facta est.

DE CALVARIIS FOXILIBUS.

Ex analysi comparativa a doctore S. Sergi instituta inter calvariam ad opidum Saccopastore (Romae) inventam et alias antea cognitas ex Gibraltar, La Ferriarie, La Chapelle, Rhodesia et Pechino, quaedam deduxit Auctor, quae nova omnino dicenda sunt.

Quae ex Rhodesia calvaria nota est, ab aliis Neandertalicis separatur; quum illa *frontopeta* certe dicenda est, et contra istae *occipitopetae*.

Calvaria e Saccopastore omnimodam similitudinem refert cum calvaria e Gibraltar.

Dispositio foraminis occipitalis in ambabus eadem est ac in hodiernis hominibus invenitur.

Neandertalici proinde habendi sunt eiusdem rationis ac homines aetatis nostrae, erecto capite procedentes, nec ullo modo sunt describendi, quem ad modum recentes quidam anthropologi fecerunt, quasi more pecudum terram versus incedentes.

Recte igitur restitutio a Klaabsch proposita dicenda est « une véritable carrière », ut Boule iam definiverat.

Relationes chronologicae stratarum, in quibus hae foxiles calvariae inventae sunt, nondum cum certitudine assignari possunt.

DE CYCLICA DISTRIBUTIONE AFFLUXUM METERICORUM.

In primo conventu interregionali Venetorum, F. Ramponi ex « Studio Hidraulico agrario Patavino » novas intulit observationes, ex viginti duobus stationibus pluviometricis italicis deductas, quae relationem illustrant inter pluviogrammata et diagrammata macularum solis iam prius a Wolfer propositam.

Ex comparatione clare appareat praecipitationes medias minimas cum maximis in maculis simul procedere, quamvis in illis levis animadvertisatur dispositio in constanti quadam retardatione.

Eodem modo, quamvis non eadem praecisione, valores maximi in praecipitationibus cum valoribus minimis in maculis solis eundem cyclum protendunt.

Duratio cyclica media computatur ad

annos undecim, quamvis variationes adsint inter novem et quatuordecim annos.

Nemo non videt quomodo huiusmodi relationes, si ulterius confirmatae fuerint, rerum agrariarum intersint.

COLLOQUIA LATINA

XIX.

Ludus chartarum seu foliorum.¹

VALERIUS, THEODORUS, LUDOVICUS, CAROLUS, MARIUS.

VALERIUS – Quam asperum tempus! Quam rigidum et saevum caelum!

THEODORUS – Quid nos monet hic caeli habitus?

VAL. – Non egredi domo.

THEOD. – Quid vero domi agere?

VAL. – Ad luculentum focum studere, meditari, cogitare de rebus, quae aliquid emolumenti afferant menti et probis moribus.

CAROLUS. – Id quidem agendum praecipue, nec aliquid esse debet homini carius. Sed ubi ab intensione illa delassatus fuerit animus, quo divertet hoc dumtaxat tempore?

VAL. – Alii quidem alia sunt animorum refectiones; ego vero lusu foliorum magnopere oblector, ac recreor.

THEOD. – Et haec temporis qualitas eo invitat, ut abdamus nos in cubiculum bene clausum et obreptum undique a vento et frigore, lucente camino, mensa posita cum chartis.

CAR. – Uh! minime chartas.

THEOD. – Lusorias dico.

CAR. – Istud placet.

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. – Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

THEOD. - Tum pecuniae promatur non nihil, et calculi ad computandum.

VAL. - Nihil opus erit calculis, si minutuli adsint nummi.

THEOD. - Ego nullos habeo praeter crassiores.

VAL. - Commuta aliquot minuta pecunia. Heus puer, cura nobis ex his numerosos simplos, duplos, quadrantes; non maiores.

CAR. - Recipiamus interim nos in cubiculum tuum, Theodore, et accersamus ex sodalibus aliquot maxime animo refocillando idoneos.

THEOD. - Tuum conclave est ad id commodius; nam in meo cubiculo subinde a famulae meae petulantia saepius interpellaremur.

CAR. - In coenatione potius mea, si vobis placet.

THEOD. - Esto ita. Eamus. Puer, siste hic nobis Franciscum, Ludovicum, Robertum, Marium et Bernardum.

VAL. - Mane. Minime Bernardum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, et qui minimis de rebus excitat tragoe-dias.

CAR. - Optime profecto mones; nam si homo talis recreationi se nostrae admisceret, non esset id ludere, sed serio rixari. Accerse igitur pro illo Rodericum.

VAL. - Neque hunc, nisi velis, quaecumque hic fuerimus nugati, ante solis occasum notum esse toti civitati.

CAR. - Tam bonus est praeco?

VAL. - Etiam rerum, quas scire nihil attinet; nam res bonas secretius reticet, quam Mysteria Eleusina.

THEOD. - Veniant ergo Ludovicus et Marius soli.

CAR. - Hi sunt belli sodales.

THEOD. - Et mone illos ut afferant secum numerosos; quidquid est autem severitatis et serii, domi commendent Philopono tecum; veniant facetiis, lepore et gratiis comitati.

LUDOVICUS. - Salvi sitis, sodales festivissimi.

VAL. - Quid sibi vult contractio isthaec frontis? Exportrigite istos vulticulos. An non estis iussi cogitationes omnes litterarum apud musaeum deponere?

LUD. - Cogitationes nostrae litterariae sunt adeo illiteratae, ut eas Musae, quae sunt in musaeo, respuant.

MARIUS. - Salvete.

VAL. - Salus est dubia, quando ad acies et pugnas vocamini, et quidem quibus et reges sunt interfuturi.

THEOD. - Estote bono animo; crumenae impetuntur, non iugula.

LUD. - Crumena plerisque est pro iugulo, et pecunia pro sanguine et spiritu.

MAR. - Nolo ego auctor esse in hac fabula; sed spectator.

THEOD. - Quia sic?

MAR. - Quia sum infortunatissimus; semper a ludo discedo victus et spoliatus.

THEOD. - Scis quid dicunt proverbio aletores? Ibi quaerendam esse togam ubi amiseris.

MAR. - Verum; sed periculum est, ne dum togam amissam quaero, perdam et tunicam et interulam.

THEOD. - Accidit quidem hoc non raro; sed qui non periclitatur, non ditescit.

MAR. - Ea est metallicidarum sententia.

VAL. - Cuiusvis sit, non possumus nos, nisi quatuor ludere; sumus quinque: sortiemur quis erit aliorum spectator.

MAR. - Ego, inquam, sine sortitione.

VAL. - Nihil tale: nulli est facienda iniuria; non cuiusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus Rex obtigerit, sedebit otiosus spectator, et si quid incidet controversiae, iudex.

LUD. - Ecce vobis fasciculos duos foliorum integros: alter est Italicus, Gallicus alter.

VAL. - Italicus hic non videtur iustus.

LUD. - Quid ita?

VAL. - Quoniam desunt ogdoas, enneas, decades.

LUD. - Non solent Itali habere ut Galli. Chartae enim Italicae in quattuor sunt quidem genera, seu familias, quemadmodum et Gallica, divisae; sed dum istae corda, rhombulos, trifolia, vomerculos, seu palas seu ascicula habent, illa aureos numeros, carchesia, baculos, enses. Est praeterea in Gallica familia Rex, Regina, Pedes; in Italica Rex, Eques, Pedes; in Italicis denique chartulis sunt monas, dyas, trias, quaternioni, pentas, senio, heptas; in Gallis etiam quae deesse tu animadvertisisti

CAR. - Quo lusu ludemus?

VAL. - *Triumpho*, si placet, et distributor retinebit sibi indicem chartam si sit monas, aut imago humana.

MAR. - Sciamus iam quis erit ludo exclusus.

THEOD. - Probe mones: cedo folia: hoc est tuum, hoc istius, hoc Ludovici: tu es Iudex.

VAL. - Malim te mihi Iudicem, quam collusorem.

LUD. - Bona venia, cur istud, quae so?

VAL. - Quia es in ludendo admodum vafer et cavillator: tum aiunt te artem teneare componendi folia, ut tibi expediatur.

LUD. - Non habet fraudem mea lusio, sed imperitiae tuae industria mea videtur impostura; quod vulgo ignaris contingit. Ceterum etiam tibine placet Carolus, qui simul ac lucratus fuerit pauxillum pecuniae, deserit collusores?

THEOD. - Eludere est hoc quidem, potius quam ludere.

VAL. - Levius hoc malum; nam si vincatur, affixus erit ludo, clavo plusquam trabali.

THEOD. - Sed lusuri sumus bini, duo contra duos: quomodo erimus comparati?

VAL. - Ego iudi huius insciens adhaereo tibi, Carole, quem audio esse excellentissimum.

THEOD. - Adde etiam callidissimum.

CAR. - Non est hic opus electionibus: sorti sunt committenda omnia: quibus obvenient plura puncta, adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.

VAL. - Esto ita; assigna folia.

MAR. - Ut optaveram. Ego et Carolus ab eadem stamus parte: contrarias tuebuntur partes Valerius et Theodorus.

VAL. - Sedeamus, uti solemus, decusate. Da mihi illam sellam reclinatoriam, ut quietius perdam.

THEOD. - Appone scabella: assideamus iam; sortire cuius sint primae partes.

VAL. - Meae sunt. Distribue tu, Carole.

CAR. - Quomodo? A sinistra in dextram an a dextera in sinistram?

VAL. - Hoc modo.

CAR. - Quot folia dabo singulis?

VAL. - Novena; sed quaenam erit sponsio?

MAR. - Terni in singulas manus denarii cum geminatione sponsonis.

CAR. - Sensim, amice mihi; nimium properas. Non esset is lusus, sed furor, ubi tantum pecuniae veniret in periculum. Quomodo potes oblectari in anxietate illa, ne tot nummi tibi pereant? Denarii singuli sufficient, et auctus sponsonis erit dimidii.

VAL. - Recte consulis; ita nec nihil ludemus, quod est insipidum; nec quod doleat, quod est acerbum.

CAR. - Habetis singuli novena folia? Ensium est familia dominatrix; et hie eques est meus. Augeo sponsonem.

VAL. - Ludum habeo dissipatum et male cohaerentem: cedo tibi.

THEOD. - Et ego item. Distribue tu, Mari.

VAL. - Quid agis? Non vertis chartam indicem?

MAR. - Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim.

VAL. - Unam habes plus iusto.

MAR. - Deponam.

VAL. - Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, et transeat ad sequentem. Cede folia.

MAR. - Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem.

VAL. - Hercle! facies.

MAR. - Quid tu dicis, Iudex?

LUD. - Profecto ignoro quid sit in eo facto statuendum.

MAR. - Qualem Iudicem nobis praefecimus sine iudicio, ducem sine oculis!

VAL. - Quid ergo fiat?

MAR. - Quid tandem, nisi ut mittamus Romam qui hac de re afferat nobis aliquod Senatus consultum?

CAR. - Misce omnia, et rursum impertire.

THEOD. - O qualem ludum mitto de manibus! Non obveniet mihi hodie similis.

CAR. - Misce probe isthaec folia, et praebeto singulis attentius.

VAL. - Rursum augeo sponsonem.

THEOD. - Num non praedixi non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? Semper sum infortunatissimus: cur ego ludum vel aspicio oculus?

CAR. - Hoc vero non est ludere, sed se afflictare: hoc est refici et recreari animum, ita concitari? Ludum oportet esse ludum, non molestiam.

MAR. - Sustine paullisper; ne abiicias folia.

VAL. - Responde an recipias.

MAR. - Ego recipio, et rursum augeo.

VAL. - Quid tu speras me ferocibus tuis verbis protelare? Non concedo.

MAR. - Effare tandem semel et expedite: admittisne?

VAL. - Etiam, et quidem libentissime; et animus instigat me tali ludo maiore pretio certare; sed istud inter amicos sufficit.

THEOD. - Quid vero me non computatis inter vivos? Adeo nulla est mei intentio?

CAR. - Quid igitur tu ad haec, homo vilis?

THEOD. - Ego vero augeo mea ex parte depositum.

MAR. - Quid tu dicis, Carole?

CAR. - Nunc me consulis, posteaquam

tua opera depositum crevit in immensum: ego incrementum hoc non auderem hoc meo ludo sustinere.

VAL. - Agedum! Responde affirmative.

CAR. - Non habeo quod sic respondeam, sed valde ambigue, et dubitanter, et cunctabunde, et timide, et diffidenter. Est ne sic satis expresse dictum?

MAR. - Deum immortalem, quanta copia! Non tam densa cadit grando. Sed, quaeso te, periclitemur paullisper.

CAR. - Experiamur, quando ita tibi placet; a me vero non sperabis magnam opem.

MAR. - Feres tamen quas poteris suppetias.

CAR. - Nihil necesse id habes admonere.

MAR. - Plane victi sumus.

THEOD. - Vicimus denarios quatuor; misce.

VAL. - Addo quinque asses.

CAR. - Nescio an cedam; nam scio me certe victimum iri.

THEOD. - Rursum alteros quinque.

CAR. - Quid tu ad hanc provocationem dicis?

MAR. - Quid dicam? Fugio.

CAR. - Tu perdidisti proximum ludum; sine me hunc arbitratu meo perdere. Sentio me esse inferiorem, sed sustinendum est quamdiu aliquid videro superesse viarium.

VAL. - Quid ergo dicas? Recusas?

CAR. - Non, immo addico.

THEOD. - Tu, Valeri, non nosti Carolum hunc? Superiorem habet ludum tuo, sed ita solet callidos provocatores illectare in suum rete. Vide ne quo progrediaris temere, ubi tenearis irreitus.

VAL. - Divum fidem! Quomodo potuisti divinare solum mihi postremum restare huius familiae?

CAR. - Novi omnia folia.

VAL. - Omnino est isthoc incredibile.

CAR. - Ita plane: novi a facie.

VAL. - Forsitan etiam a tergo?

CAR. - Nimium suspiciosus es.

VAL. - Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia.

THEOD. - Dispiciamus, num quae sint chartae aversae maculatae, unde possint noscitari.

VAL. - Faciamus. quaeso vos; angit me hic ludus tam infeliciter cedendo.

CAR. - Ubi voles, qui nescis ludum scienter ad victoriam accommodare, qui iacis folia absque arte, ut sors tulerit, ratus nihil interesse quid prius, quid posterius mittas, quis, quo loco sit iacturus.

THEOD. - Omnium rerum est satietas, etiam voluptatum; et ego defessus sum in sedendo: assurgamus aliquantis per.

LUD. - Cape testudinem hanc, et aliquid nobis cantilla.

THEOD. - Quid tandem?

LUD. - De ludo quid piam.

THEOD. - Carmen Vergili?

LUD. - Isthuc ipsum; aut, si mavis, Ioannis Ludovici Vives nostri, quod ille nuper nobis cecinit.

VAL. - Anserina voce.

LUD. - Cane tu olorina.

THEOD. - Deus meliora; nam olor non canit, nisi fato iam urgente. Arrectis igitur auribus adstetis:

Ludunt et pueri, ludunt iuvenesque senesque. Ingenium, gravitas, cani, prudentia, ludus; Denique mortalis, sola virtute remota, Quid nisinugatrix et vana est fabula vita?

CETERI. - Pulchre! Bene! Recte!

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 529. - GALENUS ait inaequalitatem et intermissionem in arteriarum obstructione et asthmate minus esse terrificam; quod de asthmate dixit, idem potest audiri de infarctu pulmonum et copia pituitae, licet homo ita repletus, quod forte latum habeat thoracem, non sit asthmaticus.

§ 530. - HIPPOCRATES (*De vet. medicina*) scribit non a calore simplici, aut a frigore, sed ab amaro, acido, acri, aestimandos morbos esse, ut in vacuando potius, quam in alterando laboremus.

§ 531. - Decoctione visci quercini in morbis epilepticis, aut quasi epilepticis, tempore BALLONII valde celebrata fuit.

§ 532. - Constitutio aquilonis impense frigida saevierat. Morbi multi, praesertim febres, cum magna perfrigeratione; calescendi frigescendique erat vicissitudo et crudor quidam (ARISTOTELES, *Problemat.*, IX et X). Ille autem crudor, maxime ob frigidam, siccum aquiloniamque constitutionem solet contingere. Pleuritides grassatae sunt, peripneumoniae, pulmonumque variae affectiones. Atque inter cetera tusses et raucedines, praesertim quum desaeviente hyeme, quae in summo squallore et rigore frigoris coagulata fuerant, fundi liquarique cooperunt. Ophtalmiae multis *ρώδεες*, multis *ξηφαί*. Item deglutiendi difficultas oris squallore quadam, iuncta cum virium infirmitate. Solemnis remediorum usus nihil valebat. Sine tussi, sine excretione, oris siccitas. Languent admodum aegri per 20 et 30 dies. Dolor occultus et latens colli, musculorumque

¹ Cfr. fasc. sup.

omnium, qui ad humores usque protrahuntur. Color faucium non alienus a naturali. Sitis nulla, oculorum quaedam cavitas, fuliginosus spiritus arcens atque aestuans, ac si in hec tam laberentur. Cl. MAGNUS morbum hunc vocavit anginam συντηχήν, colliquativam anginam, et catarrhosam colliquationem; nam partes omnes ad guttum, collum et fauces attinentes liquefieri quodammodo videntur: et in exiguis venis ichor tenuis contineri videtur, qui superficialium dolorem excitat. Omnium morborum hic difficilimus et ad cognoscendum et ad curandum BALLONIO visus est. Conferent humectantia ex passo fici, glycyrrhiza, althea, oxymelle.

§ 533. – BALLONIUS (*Consil. LXI*) describit foemimam, paroxysmos aut hystericos aut epilepticos pati solitam, de qua dicit: continenter aqua ab ore defluit; et in ultimis paroxysmis tota facies rubore suffunditur, manentque veluti exanthematum quaedam vestigia quarto a paroxysmo die. Hic notat STOLL: «Hanc salivationem et continuam sputationem ipse vidi in foemina affectiones hystericas pati solita. Exanthemata autem rubra circa nasum, labia et in mento tempore paroxysmi hysterici oriri sunt solita, et quaedam pustulae rubrae, quae post paroxysmum aliquandiu visibles apparent. Huc pertinet genarum, oculorum, et praecipue nasi totius tumor dolorque tempore paroxysmi oriri solitus; post paroxysmum autem disperat».

§ 534. – In morbo epileptico aut quasi epileptico, quum dubitatum esset an a cerebro, vel a partibus cerebro subiectis proveniat, BALLONIUS ita aiebat: «Quum aegrota sit sagax, expedito et solerti animo, ingeniosa, non videtur malum a cerebro esse. Nam quum quis epilepticus est, maxima ex parte hebes est, obtusus, obliviosus, socors, ignavus, oculis concavis, somniculosus, gravi capite, vertiginosus, et nullis signis praeeuntibus statim concedit. At qui ob partes, capiti subiectas,

est epilepticus, non statim concedit, sed pleraque patitur, tamquam futuram accessionem praesagientia.

§ 535. – Vertigo, nausea, vomitus, cardagiatus aequivoca signa sunt, quum fere aequa affectionem cerebri et ventriculi consequantur.

§ 536. – GALENUS et HIPPOCRATES aiunt, in imminentibus morbis per distantiora revulsionem esse faciendam: in praesentibus vero per locum proximum. Unde observat STOLL: Ergo sectio venae penes locum affectum nil novi est.

§ 537. – HIPPOCRATES (*De diaeta*, lib. 1) ait: Morbi paullatim fiunt, et crescunt, et paullatim collecti affatim et acervatim apparent.

§ 538. – Quum eodem die modo calor, modo frigus adpareat, id autumnales morbos parit.

§ 539. – Theriaca initio febrium quartanarum data, duplices triplicesque quartanas facit.

§ 540. – GALENUS (Lib. *de typis* c. 4) ait: Quartanam typum sequuntur inappetentiae, salivationes, aliquando ex causis contrariis appetentiae intensae, tussiculaque ipsis adest, quando corporis habitus corruptitur. Hic STOLL: «In quartanarum paroxysmo vidi etiam ego famem intensam».

§ 541. – Corpora macilenta, attenuata, squallentia, arida, quaeque adstricta alvo laborant, validioribus medicamentis tentanda non sunt. Eiusmodi ventris siccos et arentes HIPPOCRATES vocat *ambustos exustosque*. Non calefacientia, at lenientia eccoptica prosunt; nocent scammoniata. Ea corpora *praehumectare* oportet, ex consilio HIPPOCRATIS (in *Aphor. de usu helleotismi*). Quidam ex coaetaneis BALLONIUS illa corpora purgabat, ut per tres dies continuos, et bolis cassiae tamquam alimento sumptis, et iusculis vitulinis *praehumectaret* et *praepararet*.

I. FAM.

ANNALES

Ad pacem inter nationes foven-dam.

Die VII superioris mensis Iunii, Romae, pactio constituta est, quam inter Italiam, Galliam, Angliam et Germaniam Italici gubernii supremus Moderator, Mussolinius, suaserat, quo eaedem nationes melius simul consentirent pacificamque operam sociarent de civilibus quæstionibus, quae universorum res propius attingerent.

Cuius quidem pactionis origo et vires, praesertim ne fines suos excederet tum circa Nationum Societatis constitutionem et spiritum, tum circa solutionem generalium totius Europæ quæstionum, itemque circa recognitionem foederum post bellum initiorum in casu positam; præterea et pacis per decem saltem annos cautiones ex pactione ipsa orituræ; pignus denique beneficæ evolutionis de Italo-Gallicis rationibus; haec omnia declarata atque explanata sunt in oratione, quam ipse Mussolinius eadem pactionis die apud Senatum habuit.

Pacis hanc victoriam, maximi quidem ponderis, quum maiores triumphos in futurum comparaturam esse credendum sit, eius auctori gubernia Europæ omnia et Septentrionalis Americae Foederatorum Civitatum iure meritoque gratulata sunt; sitque id quidem cunctis gentibus bonum, felix faustumque.

* *

Oeconomicus coetus Londini congregatus.

Eundem exitum heu! sortitus esse haud videtur omnium legatorum conventus de oeconomica et nummaria re. Londini congregatus, ob quem centralis, qui dicitur, coetus ad quæstiones de minuendis ubique armis dirimendas Genevae con-

stitutus, in diem IIII mensis Iulii sessionem suam protulit. Rogatum enim ibi est, ut iterum singulae civitates ad firmam monetæ aestimationem ex aurei pari pretio reverterentur; negavit id firmiter Rooseveltius, Septentrionalis Americae Praeses, effectuinde ut difficillimum, ni impossibile dicamus, fieret gravissimarum quæstionum examen, quod stabilem monetam tamquam necessarium ponebat fundamentum. Ex ceteris civitatibus, dimidiis numerus, — in quo Italia et Gallia sunt — *custodiam*, ut ita dicamus, *auream* constituerunt, eaque — in conventu nummariorum emissionis mensarum Lutetiae Parisiorum habito — simul perpenderunt rationes magis idoneas ad *basim auream* defendendam.

Non tamen arduum est conicere, et huiusmodi conatus ad oeconomica totius orbis discrimina laxanda, incassum evasuros.

* *

Ex Germania.

Hitlerus in Germania ad constituendum, prout vulgo nuncupatur, «statum totalitarium» nulla adversariorum ratione habita, audacter procedit. Ita direptae sunt cum aliis ipsae Teutonum-nationalium et Catholicorum partes (vetus illud et rebus egregie gestis præclarum «Centrum»); dum interim cum Apostolica Sede conventio peragitur.

POPULCOLA.

VARIA

Templum Pantheon Romæ.¹

Habet quippe concameratam illam et mira laqueatam arte testudinem; habet veleti hemisphaerion, hoc est caeli formam

¹ Ex orationibus TAR. GALLUH., vol. II, 11.

longe pulcherrimam, quo magis ad Deum colendum animos excitet eorum, qui divini domicilii simulacrum illud oculis intuentur. Habet in summo hemisphaerio medium lumen; habet infra lithostratum variis distinctum marmoribus. Habet e pavimento surgentes circumquaque columnas striatas et epistiliis exornatas Corinthiis; habet in intercolumniis ipsis sacella, ubi per ambitum erant olim statuae collocatae. Habet pronaum sive porticum illam immanibus suffultam columnis, iisque eteribus, quibus Syracusana spectantur ab Agrippa imposita capita. Habet antes et parastatas; aereas trabes, olim etiam inauratas. Cernuntur ex aere Corinthio valvae; cernitur ostium illud amplissimum, ornatumque, ubi sunt antepagmenta e marmore firmissima, cymatia, coronae, supercilia, margines, astragali, cetera denique eo artificio perfecta, ut in eius molitione materiam ars, artem et materiam vicesse videatur ingenium.

Olitor et Canis

Delapsum in puteum Canem Olitor servare et retrahere cupiens, demisit et eodem se ipse. Canis veritus ne descendisset sibi nocendi gratia, et ut suffocaret dentibus illum petere et morsu lacerare. Tum saucius Olitor cum dolore: «Iure mihi — inquit — hoc accidisse facto: cur enim auctorem ipsum sui interitus ego servare volui?»

Haec narratur fabula contra stultitiam et iniustitiam. Narratur et talis fabula agitasse quemdam asellum iuxta praecipitum quoddam, et asellum semitam angustum atque lubricam, quum ille qui agebat conaretur retrahere, voluisse ingredi. Tum iratum hunc tandem, detrusisse asnum in rupes, quum diceret, ut Horatius scripsit:

Quis enim invitum servare labore?

Iocosa.

— O quam pulcrum pomum! Unde ad te?

Tuccius — Emi ab olitrice hic proxima:

— Quanam pecuniae summa habuisti?

Tuccius — Libella una.

— Bombax!

— Ita quidem: dedi ei libellam, eaque mihi tradidit pomum, additis immo duodeviginti nummis.

— Amice, commoda mihi libellas mil'e.

— Quum e Gallia rediero, faciam libenter.

— Ah! in Galliam es profecturus?

— Minime quidem!

* * *

Aenigmata.

I.

Accipe dimidiad malum partem (neque reffret

Mite sit an crudum), lector; partique priore lunge novam partem, bis sumptam dimidiato. Ex tergo (cauda detracta) oviumque boumve. Adde semel quod bis rapidus devolvit Ara-

[xes:

Femina tum surget, pedibus subnixa quaternis, Quam consanguinitas, tibi, lector, copulat [arcta.

Arctior et tum nexus erit, si femina binos A tergo resecetque pedes, servetque priores.

II.

A tibi praesidium est, animus si clade labore; O petit; O possit naufragus arripere!

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Collis Callis*; 2) *Anguis-Sanguis*.

* * *

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Naturae igitur tractus impetu pergit currere, et post aliquot puncta horae in stabili solo deponit pedes, sudore per omnes artus usque manante.

Postridie eius diei postrema ex tribus dynamicis traheis dum ad terram trahitur perfracta glacie resorpta undis est, eaque tota pars glacie tam facta erat dubia, ut navis ad superiore locum appellenda videretur. Inde V Idus plana et expedita ad hibernaculum patebat via. Totum diem ultro citroque commeabant trahae: equulis iungebantur onera duodecimum centenariorum, quini canes vehebant quina vel sena centenaria, viri vel terna. Itaque eodie ad littus apportatum est casae fumariolum et immissoria aëris¹ et multa casae supellex et carbidi² instrumenta biologica et physica, medicamenta et pabulum bestiarum et decem amphorae carbonum. Eduardus Evans statis intervallis inspiciebat viam, et sicubi fissa glacies erat, nive et tabulis iubebat expleri. Bowers, quae allata erant, examinabat, et quo essent afferenda ordine, statuebat. Hic unus ex optimis canibus post brevem tussim periit, nec quisquam dicere potuit quae interitus fuisset causa.

Postero die, qui fuit a. d. IV Idus Scottus in commentariis scribit: «Hodie recte dixerim in terram egressos nos esse. Numquam, opinor, tantum opus tam cito

¹ Intelleges sic me reddidisse quae *ventilatores* Gallice dicuntur. An mavis novato nomine «ventilatoria» dici, aut mutata vel aucta significatio «ventilabrum»? Utrumque enim ex ventilando, noto antiquis verbo, ducuntur.

² *Carbidum* rectius mihi ab aliquo nominari cupio. Carbida dicuntur composita chimica ex aliquo metallo et carbonio. Carbidum Scotti carbonicum calcium fuit.

tamque bene perfectum est». Deinde structuram describit hibernaculi. Cuius latera duplice vestiebantur tabula interiecta alga. Tecti pars interior tabulata erat. Exterior pars item contabulabatur, tabulis imponebatur duplicatum ruberoidum³ alga, altera contabulatio, ruberoidum triplex. Etiam solum tabernae coaxatum erat. Axibus insternebatur primum alga, tum lana coacta, tum altera coaxatio, quae tegebatur linoleo. Circum tabernaculum ita coacerata erat arena, ut neque ventus penetrare, neque calor effugere posset.

Ex parte ad occidentem et ad antarcticum conversa insuper exstructi erant compressi globi feni. Versus arctum interparitem casae et feni murum equile erat. Idibus Ianuariis in vacuefactam navem saburram comportare cooperunt. In loco supra tabernam, edito in metra decem vel summum quindecim, rudera saxorum immituntur saccis. Impositi firmissimis traheis impelluntur. Suopte ponente in campestrem delapsi glaciem transponuntur in equorum traheas, quibus trahantur ad navem.

Die Dominica, a. d. XVII kal. Febr., primum in littore rem divinam fecerunt, qua omnium animi mirifice sunt affecti. Post tertio die, in hibernaculum transmigratum est. Dum adhuc tabernae adlaboratur commoditatibus, Scottus deliberat, qua ratione quam primum in Rossi glaciem perferretur penus itineris. Erat ad eam glaciem ex hibernaculo progredienti via versus arctidem in sinu maris meridiano, qui

³ «Ruberoidum» est tegumentum factum ex coactis lanis imbutum massa poris carenti — quae massa compositio ruberoidica nominatur — illitum utrumque, nisi fallor, vernice.

sinus in superiore et inferiore dividitur, porrecta in mare lingua cuiusdam glaciatae molis; qua lingua transita perveniebat ad locum hibernaculi Discovery et ad Armitage promontorium, ad quod promontorium Rossi glacies descendit. Ad eam, quam dixi linguam, Scottus, ire cogitabat navi, quum mannuli pedestres in crusta maris ducerentur. Itaque parantur omnia et imponuntur in navem, quae VII kal. soluta, feliciter peracto cursu, appulsa est ad glaciatae illius molis angulum ita, ut puppis navis aequaret glaciem linguae. Scottus egredens exspectat adventantes equos, qui facile molem transgressi, alligantur prope navim.

Sed Campbell interim in inferiore sinu conspicatus erat fissum glaciei bestiis impervium. Itaque alio loco eoque superiore quaeritur, qua tuto incederent. Inventa via, equi nullo negotio incedunt, dum, qui eorum tertius incedebat, vetere fossa tum expleta nive, sorbetur, ut caput tantum et priores pedes ex tate extarent. Aegre funibus extractus toto corpore tremuit. Tamen postremo ad unum omnes descendenter incolumes, refectique pabulo imposito onere procedere coeperunt. Traducti deinde canes magna cum virorum aegritudine. Nam levi iuncti ponderi sic ferebantur, per omnia impedimenta viae, ut nemo iam retinere posset. Ab illa glacie quum processissent chilometra decem et a promontorio abessent chilometris quattuor, primum huius itineris cibarii, hoc est preferendis et in via poli collocandis cibariis, statutum tentorium est. Fuerant ei rei perficienda: lecti viri duodecim, mannuli octo, canes viginti sex. Victum et ignis alimenta Scottus assumpserat in hebdomadas quattuordecim, compressi feni placentarum canum, farris avenaceae pondus erat amphorarum septem et dimidiae. Accedebant trahae cum ornatu bestiarum, et vas aquae, tentorium cum perticis, et funis, et oleum, et foculus alendus spiritu, et sacci dormitorii, et calcei nivales, et instrumenta non pauca,

et subsidiaria singulorum vestis, et quae sibi quisque ad usum necessaria esse putaverat: omnino satis ponderosa et equis et canibus sarcina.

A. d. VII kal. Scottus revectus ad navem canibus est. Quum postero die illa profectura esset ad sedes hominum, totum diem insumpsit ad scribendas epistolas et ad constituenda quae mandarentur nautis. Hora post meridiem quinta, egreditur ex navis. Paulo ante omnes nautas convocatos postremum salutaverat, et pro summis eorum meritis collaudayerat. Illi ex animo iusserunt valere. Discedentem cum sociis Ponting retinet, ut et viros et iunctos equos, et iunctos canes camera excipiat. Nullius unquam navis, inquit Scottus, coniunctioribus animis convectores fuerunt. Ad unum omnes praese se ferebant insignem fortitudinem, speroque rem eos, qua hoc mereant studio, gesturos esse felicite. Deus optimus praeservet eos incolumes!

Tum vero onera advecta navi perferri oportebat in aequoream Rossi glaciem. Quod Armitage promontorii glacies tenuior esse videbatur, Scotto in anfractum versus orientem, ut procederetur, placuit adhuc sollicito, quantum iungi bestiis posset ponderis, praesertim quum unus ex mannulis mancus esset et priore die canes nimium defatigati essent vehendo. His vix satis futura, quae darentur, diebus singulis grammata trecena quinquagena placentarum. Aktison profectionis tempore cubabat laborans ex calce. Ceteri socii accesserant pridie ad casam Discovery et nuntiaverant aegre effodi posse, sed magnam se in ea repperisse copiam bis cocti panis et butyrum et chocolatum, gratam sane copiam alimentorum, si casu serius, quam esset constitutum, essent reversuri.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

Per.
Lat
011

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venuindantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXIII

Fasc. VIII-IX



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

RURIS FACIES VESPERE

Carmen ANACLETI TRAZZI in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCXXXII praemio ornatum.¹

*Vesper adest: caelo iam declinavit ab alto,
Moxque maris rutilas sol demergetur in undas;
Rore madens aér immensam purpurat aethram
Nubibus abstersam, dum lux tenuata calorque
Undique odoriferas agris exsuscitat auras.
En, florum studiosa cohors in olentia, dulci
Iam satiata thymo, sollers apiaria cessit;
At, mixtis circum clamoribus atque susurris,
Curas qui extremas comitant operasque diei
Et tranquilla solent revocare silentia noctis,
Ruris adhuc placidi crepitat vicinia cuncta.*

*Haec aure accipiens, quis tot discrimina vocum
Multiplicesque sonos referat?*

*De more iuvenci
Hinc, stabulo inclusi, poscunt mugitibus escam,
Clamosaque gulas, stipulae glomeramina gestans,
Riteque distribuens, properat saturare bubulcus.*

¹ Quod clarissimus Auctor, laboris nostris socius, carmen in nostro commentario edi pro sua benevolentia concesserit, amplissimas Ei gratias habemus et referimus.

*Quae dum dente terunt, tranquillos stercore purgat,
Everritque fimum scopis, et mollia subter,
Mollius ut recubent, furca stramenta refundit.
Dein, stimulo arrepto, binos praesepe solutos
Ad puteum ducens, adsibilat; urget aquentur.*

*Inde sues grunnire simul, simul ostia totis
Viribus, ut rabidae faciant, quassare suilis,
Furfuris ac farris intrita alimenta petentes.
Impiger at famulus cum grandi adcurrit aheno,
Vixque illas cohibet, donec fumantia tandem
Alveum in ingentem cupidis effundit anhelus,
Sicque, uteros implens vacuos, compescit et ora.*

*Qui, haec inter, bruchum rimantes atque locustam,
Ante vagabantur sparsi per iugera circum,
Umbrarum timidos iam congregat area pullos.
Dum, plumis diversa, strepunt haec agmina: passer
In tecto dum pipit adhuc argutus, et alta
Flebilis haud longe moeret philomela sub ulmo,
Tanta fit extemplo vocum symphonia discors
Ut, prius ad nidum redeant, extollere carmen,
Orbis et Artifici memores benedicere credas.*

*Hic gallus, pennis gradiens cristaque superbus,
Non equidem cantat, proprio sed murmure rauco
Convocat addictas sibi gallinas, nec enim iam
Lascivire salax parcit; meleagris at illic
Expandens caudam, rubra et palearia promens,
Turgidus incedit, torvus singultat et ardet.
Nec, stomacho monitae de sueta temporis hora,
Vel niveae desunt lapsae de turre columbae,
Quae placidae ingeminant gemitus atque oscula figunt.
Ultima paret anas clangens et crure vacillans,
Et simul, et pariter fluviis laetissimus, anser
Alas qui quatiens vicinum praecinit imbre.*

*Tum, formosa artus, quamvis incompta capillos,
His frumenta ferens, gremium succincta per amplum,
Aedibus egreditur, ferme sub pondere nutans,
Villica, pullorum cui cura reflectitur omnis.
Quam simul adspiciunt, celerant, avidique coronant
Quisque sui modulum tollens clamoris; at illa,
Frugibus effusis gremio, citiusque voratis,*

*Sedula collectos in cellam aut septa reducit,
Et properat remeare domum coenamque parare.*

*Dum pueri vero, penso curisque soluti,
Indulgent alacres ludo, clamantque strepuntque,
Aut infans misere plorat procul, ecce colonus
Paucis cum famulis opera deque sodalibus; armis
Quisque suis humeros oneratus agrestibus, atque
Membra lacertosa abiecto vix tegmine opertus,
Ex agro reddit ac per iter adfantur amice.*

*Tum canis, in palea toto qui sole quietus
Dormierat, nempe ut noctu vigilantior esset,
Nare sagax dominum praesentit et, illico surgens,
Obvius accurrit cevens, latratibus echo
Excutiens multam, qua rus simul omne resultat.
Blanditiis illum curat placare colonus,
At frustra; ille etenim indocilis, latratibus instat,
Et salit ad faciem, et lambit velut oscula iungat,
Donec herus iam tecta subit nova iussa daturus.*

*Interea Famuli mites mulsere iuvencus;
Candidus in situlis dum spumat lacteus humor,
En, pueri adcurrunt et adesis pocula labris
Immergunt, tepidumque bibunt, ludosque resumunt.*

*Ast inopinate, rabido sua vincula dente
Solvens, bimus equus furtim praesepe relinquit,
Quadrupedansque ferox, altis cervicibus hinnit,
Cursitat hac illac, patulis et naribus ignem
Eructat, luduntque iubae per colla, per armos.
« Heus tu, Petre, iubet pater, i cito, volve fugacem,
Fac sata ne terat, adductum mox carcere clade ».
« Ad fabrum tu perge, Creon, dic reddat aratum;
Hordea terra rogit spargamus vere secanda ».
« Tuque, Leander, adi festinus pharmacopolam
Infirmo ut proavo, quae scit, medicamina mittat ».*

*At vero Hesperiis iam sol se condidit undis
Et magis atque magis nigrescunt omnia circum.
Noctis imago ruit quae sera, aestate, cadebat,
Vixque recens, caeli conscendens limite ab imo,
Pallida luna micat tenuatis cornibus orbi,
Internaque domus resplendent luce fenestrae.*

*Sedula sed mater, pueros sudore madentes
Quae prius ex ludis humiles revocarat in aedes,
Atque igni undantem dederat fervere lebetem
Ad modicam coenam, dum flavente orbe polentam
Dextra super flamas iterumque iterumque volutat,
Ante focum stantes, quandoque et poplite flexos,
Auditur docuisse preces queis candida turba.
Voce quidem varia sed clara, consonat omnis.*

*O vetus, at sapiens pariter mos! Nempe, ut olivae
Germina fructiferae in campis speciosa benignis,
Haud aliter tectis adolebat prisca iuventus.
Numina sancta colens, mitis, parvoque sueta,
Et patiens operis, docilisque parentibus, annos
Virtute aequabat, patri nova gaudia praebens,
Securumque olim baculum veniente senecta.*

*Ah, quis non querulus laudator temporis acti
Fiat, vel fatuum risu dicteria sfernens,
Pubem si adspicint quam praesens exhibet aetas
Urbibus et pagis? Haec aspernata laborem,
Atque oblita Deum, tantum oblectamina quaerens,
Semper habere cupit quae varie prodigat aera,
Omnibus ut ludis pompisque insignibus adsit,
Et spectare queat vel et exercere palaestras.
O, utinam vitiis ne sit peioribus acta!
Namque, imberbis adhuc, vel mollia vincla refutat
Nec iuga fert ulla, aut monitus; quin, patribus obstans,
Imperitare domi petulans contendit et audet.
Non equidem vita in tetro sit peior Averno!*

*Felices igitur queis aevi tempora cuncti
Contigit exigere ac tandem concludere ruri!
Hic secura quies, hic pax, hic gaudia vera.
Quid refert tenuis si res, si sobria mensa,
Indecoresque lares, haec dummodo non bona desint?*

*Sed iam cuncta silent circum; iam lumina et intus
Quaeque exstinguuntur domibus; iam fessa labore
Membra iacent lectis, et dulcem carpere somnum
Haud procul invitat gryllus crepitante susurro.*



DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA

MEDITATIONES

Omnia in rerum natura miro et contineri et agere ordine nemo non adspicit; ordo autem mentem monstrat ordinantem, quae tam late, tam alte attingat ordinata ac dominetur, quam late quam alte idem ordo regnet; quumque non exterius tantum aut partim, sed penitus rerum naturam attingat et latissime rerum universitatem mirus idem ordo contineat, agnoscamus necesse est sapientissimam eandemque potissimum Mensem, quae ordinem praesignaverit, attingens a fine ad finem fortiter omnia atque omnia suaviter disponens. Quem ordinem mens nostra in omne genus studiis sibi revelare conatur; nihil enim scientia hominis est nisi huius ordinis agnitus eo profundior; nihil praeterea sapientia, nisi eiusdem in vita nostra agnitus, imitatio, expressio; quem violare quidem se posse quisque persentit, mutare autem aut evertere nunquam: ordinem, inquam, non *staticum*, quasi templum ex mortuis inertibusque lapidibus, sed *dynamicum*, quo potius videatur admirandus concentus in quo *ens* quodlibet suam concinit una cum ceteris laudem gloriamque Ordinanti; vel quasi solempne poëma, quod pulchrius concinniusque per saecula condecoratur; ita quidem, ut cetera concinant, nec tamen quidquam intellegant, nec ideo gaudeant; nos vero homines et concinamus, et audiamus, et admirati gratulemur ut beati fiamus, eo amplius quo perfectiores altius contendamus.

Qua via, quibus auxiliis eo contendendum ut certo perveniamus, nostrae hae meditationes quaerunt.¹ Atque primum ne nos

¹ Eas institui non tam styli, quam animi, in tam multis rerum undique lacrimis, exercendi ac recreandi causa.

praetereat exordiendum esse ab iis, quae ipsi nos experimur nostro collustrante intellectu, sine quo nihil nosse possumus; quo duce dispiciemus undenam profecti, quo appetamus quidque agendum ut id assequamur hoc in rerum ordine in quo vivimus. Nostrum itaque primum audiemus animum, dein et sapientiorum hominum, atque demum, si quam certo invenierimus, caelicolum et Dei vocem.

* * *

Age modo, nihil avidius cupimus quam vivere et bene vivere; vita autem est agere, vires eas evolvere, quas quisque nostrum sibi inditas natura ipsa persentit in ordine quem *spirituale*, et in eo quem *corporale* vel physicum appellant;² evolvere, inquam, et perficere ratione humanae naturae consentanea. Agendi itaque haec necessitas³ est et *spontanea*³ et *immanens*⁴ et simul *finalistica*, uti aiunt;⁵ nam in nobis est et nos urget cum ipsa nostra vita, citra nostram voluntatem, et in nobis perficitur ipsis, immo nos perficit, neque a nobis potest separari; praeterea ad finem quemdam contendit, etiamsi eundem ple-

¹ Voces locutionesque diuturno usu receptas, quum classici nullas alias suppedinent, non reformido; id autem nonnisi perraro occurre pro certo habeo.

² Necessitatem agendi intellige in genere, quatenus e definitione ipsa vitae profuit quasi accidens necessarium; nam in specie nulla necessitas, sed integra nobis libertas est; item agere heic nobis est quilibet vitae motus.

³ Spontaneum philosephi appellant quod ipsum sese moveat immediate; interest inter *immobile* mortuum, quod plane ab alio movetur, et *liberum*, quod sese movet sciens volens: porro *reflexum* aequivoce appellant, nec satis concinne, quem motum excitat tum spontaneum, tum liberum.

⁴ Immanens dicimus quod natura ipsa nobis inest; transcendens quod supra nos est; itaque nobis Deus transcendens, non enim Ipse in nobis, sed potius nos in Ispo vivimus, movemur et sumus.

⁵ Finis nomen, pro «eo quo contendimus», Latinis priscis ignotum, sed iam usu receptissimum esse censeo, nec sine causa; inde adiectivum quo utimur.

rumque non attendamus reflexe, ad bonum quoddam assequendum quo augeatur et perficiatur nostrum ipsum *esse* quadantes. Facile autem intelligit homo sibi ipsum non sufficere, sed aliis indigere, atque extra se quaerendum sibi Bonum summum, idemque assequendum, possidendum: percipit finitum sese esse in sua natura, paene autem infinitum in suo desiderio, anxiusque quaerit intra et circum quid tandem sit hic rerum ordo et ad quid; quid sit vita ipsa, quid ipse homo, unde venerit, quo tendat, num et qua via possit eodem pervenire.

SYLVIA ROMANI.



DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De supino.

I. - Supina in *um*, sive sola, sive cum suo casu, iunguntur verbis, quae motum significant; ² v. g.:

Cubitum discessimus (Cic., *De republ.* 6, 10).

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Raro iungitur verbo quod motum non significat; v. g.: *Neque ego vos ultum iniurias hortor* (SALL., *Orat. Licinii Macri* § 17).

NB. - *Hortor* motum non significat. Fere tamen construitur cum *ad*. Quod omnino requiritur in verbis, ut sequi possit supinum in *um* (= pro accusativo cum *ad*).

b) Coniugatio huius supini cum verbo *ire*, eudem fere sensum exhibet ac verbum simplex, quin usurpetur *ire*, plerumque tamen cum notione futuri; v. g.: *Dicit se iniuriam excidio ipsis ultum iturum* (TAC., *Ann. XII*, 45). — Sint misericordes in furibus aerari, ne, dum paucis sceleratis parcant, bonos omnes perditum eant (SALL., *Cat.*, 52).

c) Generatim tamen supino in *um* Latini praefuerunt accusativum gerundii cum *ad*, vel eius genitivum cum *causā*, vel *ut* aut *qui* cum coniunctivo, vel interdum participium in *rūs*. Quorum omnium discriben ex primitiva singulorum significatione de-

Totius fere Galliae legati ad Caesarem *gratulatum convenerunt* (Caes., *De bel gal.* I, 30, 1).

Athenienses *miserunt* Delphos *consultum* quidnam facerent de rebus suis (Corn. Nep., *Them.*, 2, 6).

Praemissus ab Iugurtha subdole *speculatum* Bocchi consilia (Sall., *Iug.* 108, 1).

Supina in *u* nullum casum regunt, adhaerentque nonnullis adiectivis ut *honestus, turpis, iucundus, ingratus, facilis, difficilis, utilis, dignus, memorabilis, mirus, incredibilis, horrendus*; item vocabulis *fas, nefas, opus*, et verbo *pudet*, v. g.:

Difficile dictu est (Cic., *De Off.*, II, 14, 48).

Quid est tam *iucundum, cognitu* atque *auditu*, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio? (Cic., *De Or.*, I, 8).

Quod *optimum factu* videbitur, facies (Cic., *Ad Attic.*, VII, 22, 1).

Humanus animus cum alio nullo nisi cum ipso Deo, si hoc *fas* est *dictu*, comparari potest (Cic., *Tusc.*, V, 13, 38).

Nefas est *dictu* miseram fuisse Fabii senectutem (Cic., *De Sen.*, 5, 13).

Non longius quam quod *scitu opus* est (Cic., *De Inv.*, I, 20, 28).¹

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

(*Ad proximum numerum*).

ducendum est; v. g.: Imperiti facile *ad aliquid credendum impelluntur* (Cic.). — *Cohortandi causā profectus* (CAES. *De bel. gal.* II, 21, 4). Legati missi sunt *ut (qui) consulenter* Apollinem.

NB. - 1) Sic semper vertendum est, si verbum supino caret; v. g.: *Venio ad studendum, ut studeam*.

Pro supino ponunt poētae infinitivum, more graecorum v. g. Non ferro *populare Penates venimus* (VERGIL. *Aen.* 1, 531).

¹ Quamvis paulatim plurima huiusmodi supina usurpata sint, antiqui tamen et probati auctores vix alia noverunt, quam sequentia: *auditu, cognitu, dictu, factu, intellectu, inventu, memoratu*. — Si qua sunt alia, considerantur potius ut ablativi substantivorum;

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De locis Deorum cultui mancipatis.¹

Eo collocari templo apud plures gentes olim solebant, ut eorum aditus esset ad orientem; itaque adorantes in templo ad occidentem respicerent. Certum id est ab Herodoti, Diodori, aliorumque testimoniosis. Verum, immutata tandem alicubi ratione, eo ventum est, ut vicissim templorum fores occidentalem plagam respicerent. Ex quo novo situs genere edixit Vitruvius (IV, 5): « Signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam caeli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem

v. g.: *Foedum inceptu, exitu* (Tit. Liv., Praefat.). *Locus aditu difficilis* (SALL., *Iug.*, 91).

NB. - *Natu modo supinum est, post adiectiva *grandis, maior, minor...* etc...; modo substantivum cum iisdem adiectivis concordans v. g. Q. Maximum colere coepi non admodum *grandem natu* (Cic., *De Sen.* 4.).*

— *Mulier maior natu*.

Multa alia hoc supinum supplere possunt; v. g.: *Facile est inventire, cognoscere rem*.

Iudicari difficile est cui aetati fuerit aptissimus (CORN., NEP., *Att.*, 16).

Pro patria et in patria *mori* praeclarum est (Cic., *Ad Att.*, VIII, 1).

Non facile diudicatur, facilis intelligi potest.

Haec *ad indicandum* sunt facillima (Cic., *De Off.*, III, 6).

Opus est factu.

Facilius est *explicatio perorationis* (Cic., *Orat. part.*, 15, 52).

Oppidum erat *difficili ascensu* (Cic., *In. Verr.*, II, 4, 28, 51).

Cognitione dignus (Cic., *Orat.*, 21, 70).

Opus est conjectura (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 10, 37).

Ad aspectum venustus (Cic., *Orat.* 68, 228).

Quod mihi gravissimum esset, *si dicerem* (= *dictu*) (Cic., *Pro Planc.* 6, 16).

NB. - 1) Supinum sic suppleri necesse est si verba supino careant aut post se casum habeant; v. g.: *Difficile est studere lectioni* — *Iucundum est virtuti favere*.

2) Pro supinis in *u*, poētae utuntur infinito; v. g.: *Erat tum dignus amari*.

¹ Cfr. fasc. sup.


caeli orientis ... ipsaque simulacra videantur ex orientia contueri supplicantes et sacrificantes ». Ex quo conicere possis, quae fortasse Romae fuerit, sequiore saltem aevo, templorum positio.

Verum hoc ipsum aliquando ob certas causas non servandum monuit idem architectonices magister; nam statim subdidit: « Sin autem loci natura interpellaverit, tunc convertendae sunt earum aedium constitutiones, ut quamplurima pars moenium e templis deorum conspiciatur. Item si secundum flumina aedes sacrae fient, ita ut Aegypto circa Nilum, ad fluminis ripas videntur spectare debere. Similiter si circum vias publicas erunt aedificia deorum, ita constituuntur, ut praetereentes possint respicere, et in conspectu salutationes facere ».

Ad structuram quod attinet, curatum primum est, ut templa ad maiestatem dignitatemque ab urbis solo altius attollerentur. Ita gradus ad ascendendum a fronte habebant: hos impari semper numero fieri iussit Vitruvius (III, 3): « Namque — inquit — quum dextro pede primus gradus ascendatur, item in summo templo primus erit ponendus ».

Templa ipsa quadrangula persaepe fuerunt — docent hoc nummi —; nec vero rara extitere rotunda. Eiusmodi notum vulgo est templum Vestae exstisisse; eiusmodi et Marti Victorii ab Augusto dicatum, eiusmodi templum Bacchi extra portam Viminalem; taleque in primis Pantheon, quod ab Agrippa universis diis exstructum, tandem a Bonifacio IV Pontifice Maximo B. Virginis atque sanctis Martyribus consecratum, vetustatem ad nostra tempora felicissime refert. Sed et eiusdem formae alia plura fuisse, in dubium revocandum non est.

Iam in templis quadrangulis ita columnas intus disponere mos fuit, ut vel in prima tantum aedis parte, vel in extrema etiam, vel a lateribus quoque locarentur;



eo tamen semper modo, ut inter ipsas columnas et parietes ambulatio intercederet. Hinc autem diversa exorta sunt vocabula; et primi generis aedes *prostylos*, alterius *amphiprostylos*, tertii *peripteros* appellata. Quod si non unus modo, sed duplex circumiectum columnarum ordo foret, tunc aedes ipsa *dipteros* dicta est. In columnarum porro, totiusque ferme aedis, medio Cella (de qua inferius) sita erat.¹

At in rotundis templis ea servata ratio fuit, ut unicus columnarum ordo, aut a muro interposita ambulatione seiunctus, aream aedis medianam, simulque Cellam ambiret, aut parieti ipsi adnexus esset. Quarum aedium priores illae item *peripterae*, posteriores *monopterae* vocantur ab eodem Vitruvio (IV, 7). His vero postremis tradit idem, Cellam non fuisse, sed Tribunal.

* * *

Praecipuae autem templorum partes (praeter *Aras*, de quibus latius alias dicemus) fuere *Cella*, *Sacrarium*, *Favissae*, *Tholus*, *Fastigium*.

Cella aedicula erat muro (nisi qua fores essent) circumsepta, inque medio prope templo collocata. Ibi stabat Numinis simulacrum, unde est ut Maro (*Georgic*, III, 16) ubi de aede a se Caesari ponenda agit, hoc utatur dicendi genere:

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

Indidem oracula emittebantur; quo respiciunt Senecae verba in *Thyest.*, V, 1:

*Hinc orantibus
Responsa dantur certa, cum ingenti sono
Laxantur adyto fata.*

Sciendum in primis illud de Cella est, eam duobus dedicari diis non potuisse. Rem causamque prodit Livius (XXVII, 25): « Negabant — (Pontifices) — suam Cellam

¹ De his omnibus cf. *Vitruv.*, III, 1.

amplius quam uni deo rite dedicari: quia si de caelo tacta, aut prodigi aliiquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod, utri deo divina res fieret, sciri non posset, neque enim duobus, nisi certis deis, rite una hostia fieri». Quapropter si quando in uno templo plures dii (qui dicti *οὐρανοί*) colerentur, iis non una, sed plures, pro ipsorum numero, Cellae statuebantur. Hac ratione in Capitolino templo, narrante Dionysio, tres erant Cellae ex ordine, a lateribus communione parietum clausae: media Iovis, utrinque altera Iunonis, altera Minervae, sub eodem laqueari, eodem tecto.

In Cellam non fere, nisi sacerdotibus, licebat ingredi.

Propterea tamquam insueta res dicitur apud Gellium (VII, 1): « Scipionem in Capitolium ventitare solitum, ac iubere aperiri Cellam Iovis, atque ibi solum diu morari, quasi consultantem de republica cum Iove ».

Quoniam igitur primaria illa Numinis sedes ineunda vulgo non erat; ea de causa *adytum* quoque (a privativo *a*, et δύω, ingredior) nuncupata est. In quod iam tute videris quantopere convenient illa Maronis in *Aeneid.*, II, 296:

*Sic ait et manibus vittas, Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert, penetrabilibus ignem.*

Ac deinde (V, 351):

*Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii.*

Quae ultima poëtae dicta in mentem etiam morem illum revocant, quo arae ante ipsam Cellam extraherentur; itaque verissime scripsit Arnobius (*Contra Gent.*, VII): « Thura iniiciuntur altaribus ante ipsa Numinum signa ».

Sacrarium locus fuit sacris rebus asservandis destinatus. Quare non inficete urbs Caere, ubi olim, bello Gallico, sacra Romanorum custodita fuerant, dicitur apud

Livium (VII, 20): « Sacrarium populi Romani... Receptaculum Romanorum sacrorum ».

Favissae (ab antiquo *favio*, pro *foveo*, vel *fodio* nomen adeptae) cisternae ad continendas aquas primitus fuerunt; quod apparet a Festo. Postea cellarum functae sunt vices ad sacras templi res vetustate corruptas accipiendas. Itaque Varro apud Gellium (II, 10): « Favissas — inquit — esse cellas quasdam et cisternas, quae in arca sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quae ex eo templo collapsa essent, et alia quaedam religiosa donariis consecratis ».

Tholus breve veluti scutum in medio tecto erat, prout explicat Servius ad *Aeneid.*, IX, 407. Celeber is maxime eo fuit, quod ad ipsum suspendi donaria consuerant.

Testatur hic Maronis locus:

*Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi
Suspensive tholo aut sacra ad fastigia fixi.*

Est tamen de Tholo alia opinio: fuisse eum id testudinati operis genus, quod pro praesenti more testudini ipsi fastigii instar insidet, dictum Gallice: *Lanterne*. Indicasse videtur Ovidius, quem de templo Vestae inquit (*Fast.*, VI).

*Par facies templi nullus procurrit in illo
Angulus; a pluvio vindicat imbre tholus.*

Fortasse utraque res pro diversa structurae ratione fuit adhibita; atque utrique vox eadem accommodata.

Fastigium insigne illud templorum fuit, quod Graeci dixerunt *ἀκροτήριον*, videlicet signa tecto imposita.

Itaque quum Cesaris aedibus fastigium Senatus consulto concessum fuit, divinus ei honor tribui creditus est. De qua re Florus: « Omnes unum in Principem congesti honores... suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in caelo ». De hoc eodem loquutus est Suetonius, in *Caesar*,

81, quum inquit: « Calpurnia uxor imaginata est collabi fastigium domus ». Quem ipsum casum, referens Plutarchus in *Cesar*, illud appellavit *ἀκροτήριον*.

(*Ad proximum numerum*).

S. A.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTITIAE.

DE MOTIBUS PROPRIIS NEBULARUM PLANETARIUM.

Astronomus van Maanen, reflexore Montis Wilson cum aperitione 150 cm. usus, ex photographiis, 12 fere annorum spatio inter se distantibus, motus proprios apparentes 21 nebularum planetarium determinavit. Valores pro deflexione annua sunt inter 0° 002 et 0° 017, valor medius 0° 007. Distantia media ex his deducta pertinet ad 1500 parsecs; quumque harum nebularum media magnitudo apparet sit 12.7, congruens magnitudo absoluta photographicā erit + 1.9. Ex temperaturis nucleorum ab astrologo Zanstra determinatis, quarum medius valor est 42.000 graduum, van Maanen deducit magnitudinem absolutam bolometricā — 0.8; unde sequitur — iuxta legem Stefan-Boltzmann — nuclei radium quintam circiter partem radii solaris attingere.

Ex relatione Eddingtonii inter massam et fulgorem sequitur, massam nuclei esse sextuplum massae solaris, dum ex periodis rotationis plurium nebularum, determinatis a Campbell et Moore, sequitur nuclei massam 250 massas solares aequare. Qui valor parum probabilis videtur; attamen certum est stellae centralis densitatem pergrandem esse, eamque solis

densitatem ad minimum millies superare. Unde deducendum est stellas centrales pertinere ad typum degenerem, qui « nani albi » dicitur.

DE EXISTENTIA ELECTRONUM POSITIVORUM.

Cl. viri Chadwick, Blackett, Occhialini, in *Cavendish Laboratory* inquirentes in actionem radiationis ex polonio super beryllum in capsula expansionis, et sub actione campi magnetici, adesse experti sunt radios, quorum curvatura respondet massae electricae positivae, quae in corpusculo ionizato invenitur, et massae inertiae eiusdem magnitudinis, quae in electronem negativo.

DE ALTISSIMIS TENSIONIBUS ELECTRICIS.

In *Instituto technologico* apud Massachusetts doctores van de Graaf Compton et van Atta ad productionem electrici fluminis sub altissimo potentiali pervenerunt, superaddendo onus electricum in ampla sphaera insulata, per zonam recurrentem, ex machina electrostatica deductam.

Videntur obtinuisse flumen, cuius intensitas ad viginti quinque microampères pertingeret, et sub potentiali mille et quingentarum kilovoltarum.

DE EXCITANDIS RADIIS PENETRANTIBUS.

Novimus, quoties in tibiis aëre evacuatis excitationem electricam provocamus, radios-canales, vel cathodicos, vel etiam qui a Roëntgen nomen habent, educere nos posse; qui omnes radios a substantiis radioactivis emissos aequant.

Porro intensitas emanationis positivae, seu radiorum-canarium, si ad unum *milliampere* pertingeret, idem valeret ac emissio radiorum *alfa* ex massa radii, cuius pondus per centena chilogrammata mensurandum esset.

Difficultas huiusmodi radios excitandi est in altissimo potentiali quod assignan-

dum esset; nempe mille millium *volta-rum*, dum e contra generatim pervenire non possumus nisi ad aliquot centena millia.

Doctores Brasch et Lange pervenerunt nullatenus ad constructionem cuiusdam condensatoris, per quem excitatio electrica in tibiis vacuis potentiale attingit altissimum, et ex quo proinde erui possunt radii altissimae penetrationis.

Radii cathodici ab ipsis obtenti penetrare possunt in aërem, sub normali pressione, usque ad metra octo a tibia, et in aluminio per duo millimetra.

Spatus calcicu, ab huiusmodi radiis excitatus, splendorem retinet per plures horas; in metallis radii soppositis, effor-mantur crateres per fusionem et evaporationem.

Vis radiorum-canarium, qui sic excitari possunt, inferior est ac cathodicorum, sed penetrari tamen possunt in aërem ad octo centimetra et aethorum disgregationem aliquando producere.

DE NOVO « INVAR »

Mixtura metallica, quam huc usque novimus nomine « invar », a Guillaume inventa est anno 1896; eius ratio expansionis thermicae est $1,2 \times 10^{-6}$.

Recens, dr. Kotaro Honda, ex Sendai in Iaponiis, pervenit ad efformationem tem-perationis, cuius ratio expansionis reducitur ad ordinem 10^{-7} .

In quibusdam casibus obtinuit etiam expansionem negativam.

Metalla, quae huiusmodi mixturas ingrediuntur, sunt ferrum, cobaltum, chromum, et quidem his fere rationibus: ferrum 36,5 per centum partes; cobaltum 45,5; chromium 9.

Peculiaris proprietas huius metallicae temperationis in hoc est, quod corrumphi nequit ab aëris elementis; ex hoc nomen quo donatur est *invar absque macula* (« *stainless invar* »).

COLLOQUIA LATINA

XX.

Educatio.¹

FIRMINUS, GENESIUS.

FIRMINUS. - Quanam gratia misit te huc ad me pater tuus?

GENESIUS. - Dixit te esse hominem egregie instructum, sapienter educatum, eaque de causa omni civitati gratum: cupere se, ut ego iisdem, quibus tu, vestigiis insitens perveniam ad similem favorem populi.

FIRM. - Quomodo igitur te id assequitur censes?

GEN. - Ingenua educatione, quali te omnes praedicant esse praeditum. Adiecit pater eam educationem magis decere me, quam alium quemvis.

FIRM. - Cedo, fili mi, quomodo ea in re venis a patre imbutus?

GEN. - Non tantum a patre, quantum a meis consanguineis, qui nobilitati generis nostri plurimum tribuunt.

FIRM. - Ede igitur praeclara haec tuorum consanguineorum documenta.

GEN. - Primum esse me ex honestissima progenie, quae nulli cedit: idcirco curandum mihi diligenter, atque admittendum, ne degenerem a maiorum meorum virtute: illos parasse sibi magnum decus, nemini concedendo de loco, de dignitate, de auctoritate, de appellatione: me idem debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum statim cum eo; de pecunia oportere esse largum atque ideo profusum; in honore adstrictum et atten-tum: decere nihilominus me, ac mei similes, assurgere aliis, via cedere, ducere, re-ducere, nudare caput, corpore inclinato

salutare; non quod alias quispiam id me-reatur a me sibi exhiberi, sed quod sic conciliabo mihi favorem hominum, captabo auram popularem, et parabo illum, quem tantopere gestamus, semper in ore et in corde honorem: in ea educatione situm esse discrimen nobilis viri et ignobilis; quod nobilis ad illa omnia dextere praestanda institutus est atque assuefactus; ignobilis, agresti more, nihil illorum doctus est facere.

FIRM. - Tibi autem qualis videtur eius-modi institutio?

GEN. - Qualis vero, nisi multo optima et digna meo genere?

FIRM. - Quid ergo est aliud, quod a me requiras?

GEN. - Nihil plane restaret, mea sententia, nisi accessisset voluntas patris, qui iussit prorsus, seu verius imperavit rigide, ut ad te venirem, ut si quid in hac educatione nosses magis reconditum, et quasi mysterium sacratus, quo maius mihi de-cus acquirerem, in gratiam sui ne grava-reris exponere, quo familia nostra, alioqui honestissima, altius ascenderet; quoniam sunt non pauci novi homines, qui freti sua opulentia, nactique dignitatem et honores, per divitias emerserunt, adeo ut etiam au-deant cum vetustate et decoribus gentis nostrae contendere.

FIRM. - Facinus nefandum!

GEN. - Nonne?

FIRM. - Vel caeco esset clarum!... Sed si in eo insisteremus, longissime a propo-sito abduceremur. Cedo iam igitur: nihil ne domi audivisti de animo, de probitate, de modestia, de moderatione?

GEN. - In templo nonnunquam audivi a concinnatoribus.

FIRM. - Quum tu cedis de via et nudas caput, qualem te esse alii existimant?

GEN. - Nobilem et generose informatum atque institutum.

FIRM. - Scilicet te esse adolescentem modestum, probum, bene de ipsis iudican-

¹ Ex colloquii IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

tem, de te autem moderate; qua ex opinione nascitur benevolentia et favor.

GEN. - Explica id, quae so.

FIRM. - Huc pertinet mea ratio: si te homines existimarent adeo superbū, ut omnes contemneres prae te, nudare tamen caput et corpus curvare, non quod ipsis is honor debeatur, sed quod te deceat, putasne illum fore, qui tibi haberet gratiam, aut te de honoris illa falsa simulatione diligeret?

GEN. - Quid ni?

FIRM. - Quia id tu tibi praestas ut tua gratia facias, non illorum: quis enim iudicabit se devinctum tibi de eo, quod pro teipso feceris, non pro se? An ego honorem eum velut mihi impositum accipiam, quem tu tribuis opinioni de te, non meis meritis?

GEN. - Ita videtur.

FIRM. - Ergo paratur benevolentia si illi credant sibi honorem illum dari, non ut tu habearis comior, ac nobilior. Istud vero non fiet, nisi eam de te inducant opinionem, quod tu illos esse potiores ducas te, et dignos, quibus tu concedas.

GEN. - At non est ita tamen.

FIRM. - Quantumcumque hoc sit falsum, in eo tamen necesse est eos falli, alioquin nunquam consequeris, quod tantopere expetis.

GEN. - Quae igitur erit persuadendi via?

FIRM. - Facilis, modo animum sedulo adertas.

GEN. - Profer, quae so; nam ea de causa huc sum missus.

FIRM. - Nimis crudum est hoc pomum.

GEN. - Quid tu mussas?

FIRM. - Dico viam esse unicam, si sis talis qualem te credi cupis.

GEN. - Qui isthuc?

FIRM. - Si vis aliquid calefacere, numne affers fictum ignem?

GEN. - Non, sed verum.

FIRM. - Si scindere, an pictum in tela gladium?

GEN. - Non, sed ferreum.

FIRM. - Non est igitur eadem vis rerum verarum quae fictarum?

GEN. - Apparet non esse.

FIRM. - Nec tu idem efficies simulata moderatione, quod vera; nam falsa ipsa se aliquando produnt; vera semper sunt eadem. In ficta moderatione aliiquid aliquando dices aut facies publice, aut privatim, quum tibi excides, (neque enim semper te et ubique poteris observare) unde fictus deprehenderis, et quantum prius ignotus diligebare, tantum postea quam cognitus sis, odio et longe plus.

GEN. - Quomodo ego mihi ipsi inducam germanam illam animi moderationem, quam tu praecipis?

FIRM. - Si persuaseris tibi, id quod res habet, alios esse meliores te.

GEN. - Meliores vero? Ubi tandem? In caelis, credo; nam in terra pares sunt paucissimi, melior nemo. Sic audivi saepe a patro.

FIRM. - Multum abducit vos a cogitatione veri nominum ignorantia. Quid tu vocas bonum? ut sciamus num sit aliquis te melior.

GEN. - Quid ego scio, quid sit bonum? Ex bonis esse progenitum.

FIRM. - Ignoras etiamnunc quid sit bonum, et iam tenes quid sit melius? Quomodo pervenisti ad comparativa, quum nondum positiva didiceris? Ipos autem tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? Qua tu id nota cognoscis?

GEN. - Quid? Negas tu fuisse illos bonos?

FIRM. - Non novi illos; quomodo de illorum bonitate possum aliquid in alterutram partem statuere? Quaero modo, qua ratione assequaris tu fuisse illos bonos.

GEN. - Quia ita omnes praedican. Sed quorsum, rogo te, pertinent tam molestae interrogations?

FIRM. - Non sunt molestiae, sed necessariae, ut accipias quod ex me sciscitaris.

GEN. - Confer, quae so, te in pauca.

FIRM. - Multis esset id explicandum, cuius tam crassa ignorantia involveris; sed quando ita es fastidiosus, dicam brevius, quam res tanta dici postulat. Defige iam oculos tuos in me, dum dissero. Qui sunt dicendi erudit? An non ii, qui habent eruditionem? Qui opulent? An non qui habent opes?

GEN. - Indubie.

FIRM. - Qui ergo boni? Num non ii demum, qui habent bona?

GEN. - Ita plane.

FIRM. - Missas nunc divitias faciamus, quae non sunt vera bona; quae si essent, multi patre tuo invenirentur meliores; et negotiatores ac foeneratores praestarent bonitatem viris bonis et sapientibus.

GEN. - Sic videtur, ut dicis.

FIRM. - Expende ergo attente ac diligenter singula eorum, quae feram. An non est bonum acutum ingenium, sagax, maturum iudicium, integrum, sanum; tum eruditio varia et magnarum rerum, atque utilium prudentia, exercitatio in rebus praestantibus, consilium, dexteritas in exequendis negotiis? Quid tu de istis?

GEN. - Vel sola nomina videntur mihi pulcra profecto et magnifica; quanto magis res ipsae?

FIRM. - Age porro quid sapientia, quid religio, pietas in Deum, in patriam, parentes, necessarios, iustitia, temperantia, liberalitas, magnanimitas, contemptus casuum humanorum, et fortis animus in adversis. Quid vero ista?

GEN. - Praestantissima etiam haec.

FIRM. - Haec sola sunt hominis bona; nam reliqua omnia, quae commemorari possint, bonis et malis sunt communia, atque ea de causa nec bona. Quae so, manda haec sedulo memoriae.

GEN. - Faciam.

FIRM. - Pervelim; nam ingenium tuum non malum est, sed non bene excultum. Reputa igitur cum animo tuo an tu haec

habeas; et si habes quam pauca, et ea quam tenuiter; quod ubi examinaveris acute ac subtiliter, intelliges tum demum,

te non magis nec multis esse bonis ornatum atque instructum; nec esse in populo qui pauciora habeat quam tu. Nam in multitudine alii sunt senes, qui viderunt atque audierunt multa, habent experimenta rerum plurimarum; alii studiosi qui ingenium discendo exacuant et expoliunt; alii capessunt rem publicam; alii libenter ac diligenter versant scriptores profuturos; alii sunt seduli patres familiarum, alii alias artes profitentur et praestant. Vel ipsi agricultae quam multa ex arcans naturae tenent! Nautae vero cursum dierum et noctium, naturam ventorum, positus terrarum et maris. Alii ex multitudine sunt viri sacri et religiosi, qui Numen pie venerantur et colunt. Alii res prosperas moderate adhibent, et fortiter pertulerunt adversas. Quid horum tu nosti? Quid exerces? Quid praestas? Nihil omnino, praeterquam illud: «Nemo est melior me; bono sum natus genere». Qui potes esse melior, qui nondum es bonus? Nec pater tuus, nec avi tui aut proavi fuerunt boni, nisi haec habuerint quae recensui: quae an habuerint, tu videris. Quod si habuerint, tu certe non eris bonus, nisi illorum fias similis.

GEN. - Plane pudere fecisti me; non invenio quod possim vel hiscere in contrarium.

FIRM. - Ergo, quo te nunc tandem nomine, adolescens, censes appellandum: dominum an mancipium?

GEN. - Mancipium profecto; nam si ita est, ut disseruisti, et intelligo nihil esse verius, complures sunt servi multo potiores ac praestantiores me.

FIRM. - Haec ne leviter degustes, confer te domum et solus tecum revolve, excute, perpende: quo magis versaveris, haec veriora et certiora esse intelliges.

GEN. - Obsecro te, adiice alia, si qua

habes; nam sentio me adeo immutatum, ut prorsum videar mihi iam esse alius.

FIRM. — Utinam contigerit tibi quod Palaemoni philosopho!

GEN. — Quid illi contigit?

FIRM. — Una Xenocratis oratione ex nequissimo et perditissimo factus est sapientiae et virtutum omnium studiosissimus, evasitque magni nominis philosophus, et Xenocratis in Academia successor. Sed tu, mi fili, ubi aperte cognoveris, quantum tibi ad bonitatem desit, quod aliis multis supersit, vere et ex animo cedes aliis et in eis honorabis bonitatem, qua vides illos ornatos, te autem carere. Iam et ex reputatione tui ipsius vilesces tibi ac sordebis adeo ut nemini occurras tam abiecto contemptoque, quem non tibi anteponat conscientia tuae mentis; non enim adduci poteris, ut credas quemquam esse peiorumte, nisi quod illius malitia et nequitia protulit se foras, tua delitescit cautius.

GEN. — Quid tum sequetur?

FIRM. — Haec si feceris, si veram ipsam, solidam et ingennam educationem, atque urbanitatem assequutus fueris, gratus et carus omnibus fies. Sed id non iam magni facies; erit autem, quod unice tum tibi erit curae, gratus Deo immortali.

EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCII

IACOBUS TASSET IOSEPHO FORNARI S.

Sermonem latinum quia principes plebem nolunt doceri, plebs ad *Esperanto* studium vertit, iamque Germanos et Sarmatas, aiunt, inter se ministros publicos (*la police*) eo commento usos. Concepta verba primum postulant universi, quibus necessaria enunciant, nec curant infantes eloquentiam peregrinam. Quando libellos et habenda minimo sumptu praeconia Camenae pauperis ergo scribent, neque graecis ac novis luxuriantia facinoribus?

Et queruntur, quod clerus linguam latinam solos equites docet, minimeque plebem; ideo *la Marseillaise* canere universos, perpaucos autem *Veni Creator!*

Ea fidus scribebam tibi, amice, ut animadvertiscant homines qui provinciam suam, orbem terrarum, atque gentium omnium civitatem curant. Vale.

Dabam Turnoduro, die xvii mensis Iulii MCMXXXIII.

ANNALES

Aestiva de re publica consilia.

Aestivo tempore, de re publica consilia, quae saltem populorum animos altius praecipuerunt, seponi solent; dixeris viam potius ad autumnale et hyemale tempus tum parari; idque praesertim per colloquia, quae, occasione capta, vel arte constituta, per maximos civitatum administratos tum maxime habentur.

Re quidem vera, et hisce diebus huiusmodi colloquia non defuerunt, quarum prae omnibus notabile fuit, quod inter Hungarici gubernii praesidem Gömbös et exterarum rerum ibi administrum Kanya atque Mussolinum Romae intercessit. Per ipsum enim non solum firmam amicitiam inter duas nationes palam confirmatam plenarie existimarunt, sed etiam fundatum inde positum ad regionis danubianae pacificam ordinationem componendam.

Ceterum huiusmodi commercium loquendi et audiendi inter paucos habitum, utilius longe iam videtur vanis illis universalibus, quos vulgo nuncupant, conventibus; quemadmodum oeconomicus coetus Londini recens habitus comprobavit, qui infecta omnino re, ac fortasse etiam exacerbata, sine laude profecto atque gloria, est dimissus.

* *

Anglia et Gallia apud Germaniam in lucem, nimis temere profecto, hostilem actionem novi istius gubernii in Austriam

proferre voluerunt; Germania enim sicce iis respondit; quum contra non querimoniis, sed Italiae amicis suasionibus fere eodem tempore oblatis, mites et ad concordiam pronas declarationes reddiderit.

Severa vox ex civilis rationis usu deduci nunc deberi appetet.

* * *

In Cubana civitate civile bellum per aliquot dies non sine sanguinis effusione inter Machadi praesidis inimicos eiusque fautores, peractum est. Vicit pars Machado infensa, qui in fugam extra civitatis fines versus est.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Ex Suprema S. Congregatione S. Officii.

Per decretum d. 14 Iulii 1933 damnatum, atque in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus, quod inscribitur:

Congrès d'histoire du christianisme (IUBILE ALFRED LOISY), publié sous la direction de P. L. COUCHOUD.

Per decretum alterum eadem die datum, damnata quoque et in Indicem librorum prohibitorum relata sunt *opera omnia* CAROLI GUIGNEBERT.

VARIA

Ad Legnanum pugna.¹

Anno millesimo centesimo quarto et septuagesimo quinto, Fridericus in Italiam descendit. Segusium igne vastavit, Astam

¹ EX ALEXANDRI AURELI opere, recens edito, cui titulus: *Virorum illustrium imagines*.

subigit, Alexandriam obsidione pressit; sed cives, contra Teutones atque Papiones socios, tanta virtute restiterunt, ut ipse Fridericus animo decideret. Tandem Socii longobardi in auxilium venerunt, qua re Alexandrini obsidione liberati fuerunt, induciaeque, Ezellino Monacho Anselmoque e Dovara auctoribus, Fridericu inter atque foederatos in pago Montebello anno insequentis sancitae fuerunt. Sed pax diuturna esse non poterat; Fridericus enim a praecepto iure in Communitates atque Pontificem, animum non abstinuit, et in eunte vere anno millesimo centesimo sexto et septuagesimo per Rhaetorum saltus Longobardos cum valido novoque exercitu stetit. Mediolanenses sociique quarto Kal. iunias Germanos adorti sunt, primoque impetu eorum acies incerta impetum hostium non sustinuit, sed statim *Societas Mortis ad Carroccii* defensionem succedit. Flexo genu, morituros se, ab armis non abstinere nisi parta victoria, se sacramento adiungunt. Veluti e carceribus missi leones, illi nongenti adulescentes in hostem se praecipitant, equos, arma, virosque despiciere, mortem appetere; ordinibus disiectis pugna singularis fit, furor vires suppeditat, ubique clamor, ubique horror, mors ubique, caedes ingens, hostiumque timor.

Ipse Fridericus equo deiectus, sub cadaverum acervo absconditus e victrici longobardorum manu, Papiam, ubi mortuus habebatur, occulite confudit.

Tanta clade percussus, superbiam minuit tandem, neque civium libertatem neque Pontificis dignitatem se superaturum sentiens, pacem petiit, quam Venetiis cum Alexandro III composuit, eademque a Longobardis municipiis atque a Rege Siciliae tandem rata habita est. Anno millesimo centesimo tertio et octagesimo Constantiae condiciones universae pacis statutae sunt, quo foedere Imperii iura cum Summo Pontifice et cum italicis civitatibus descripta sunt.

* * *

Bos et Iuvencus.

Ante Bovem arantem, quem aetate confectum etiam quotidiana aratri et palustri trahendi operae lendum et squalidum redididerant, ante hunc igitur exultare nitidus ac petulans Iuvencus, atque illius scabram ac nudatam pili cutem irridere. Paulo post arripitur ad immolationem Iuvencus, qui, quum praeter bovem ducetur, demisso capite et lento passu ingrediebatur.

Tum Bos: « Etsi — inquit — nolim has te poenas dare lasciviae et insolentiae tuae, tamen quum ita ceciderit, delector id me cognoscere verum esse, quod audire etiam a meis parentibus memini, in maximis periculis versari petulantem iuventutem. Atque esse quidem aetatem hanc per se malis obnoxiam, sed tum maxime, quum accedat iniuriarum et improbitatis usurpatio ».

* * *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pasta vermiculata, lycopersico condita.

Soleae frictae.

Concretum ex siliquis phaselorum tenebris.

Cuniculi in igne cum solanulis tosti. Fragae congregatae.

* * *

Iocosa.

- Ecce defles, Tucci?
- Quia mater me verberibus castigavit!
- Ecquid ita te castigavit?
- Quia deflebam.

— Visitasti ne novum nostrum museum, Tucci?

— Certe!

— Quid te magis perculit?

— Aeneum sigillum, quod in caput meum cecidit tubereque me affectit!

* * *

Aenigmata.

I.

Huc illuc exleges invisque vagantes

Perdere nos raro, saepe iuvare solent.

Id *primum*. *Reliquo* os donat natura disser-
[tum,

Commoda quo populi iuraque promoveat.
Binas si partes iungas, dexter vir protinus
[adstat,

Arte magistra qui mira patrare valet.

II.

Verbum me notula e septenis musica triplex

Format; ne credas dulce notare melos.

Res mihi cum tignis tantum, signoque labo-
[rem

Aures qui strepitū tundit, amice, tuas.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Matertera*; 2) *Ara, Ora*.

Libri recens dono accepti.

CANCUS. MICHAEL DI MUCCIO e Cathedrali Aliphana, *Anno iubilari ineunte post saecula undevicies revoluta a Divina peracta Redemptione*, Carmen. — (Pedemonte ab Aliphis ex typis officinae « La Bodoniana » 1933).

ALEXANDER AURELJ. *Virorum illustrium imagines, qui a Romana fortuna labefactata domi militiaeque apud Italos gloria fuerunt*. (Prostat apud Auctorem, Romae, Via Baccio Pontelli, 14).

N. TARANTINO, *Perolla Capuano*. (Capuae, 1933).

DE ROBERTI SCOTTI

20

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Itaque V. kal. Febr. anni 1911 pervenerunt ad Rossi glaciem, in quam quum ascendissent, chilometri spatium progressi constiterunt. In ipsa eius regionis glacie conspicantur rem a metris positam quingentis fere coloris fusci. Quum appropinquassent, viderunt esse duorum tentorium apices a Shackleton, ut videtur, reliatos. Tabernaculorum pars maior tegebatur nive, tela unius erat integra, alterius venti vi incisa tela. Postridie, quod solis erat dies, peregerunt quae ad cultum divinum pertinent. Postea merces pervixerunt ad locum quandam, cui datum est « Cella Tuta » nomen, qui locus erat ad gradus septuagesimi septimi meridianae latitudinis punctum quinquagesimum quintum.

Quod die postero equuli alte secabant glaciem, Scottus constituit progrediendum esse cum cibariis hebdomadarum quinque duodecim tredecimve dies, in eo, ad quem tum perventum esset loco, deponere victimum dierum quindecim, inde redire. Itaque in viam se dederunt post biduum. Tum primum subdiderunt equorum pedibus nivalia calceamenta, quibus illi incedere coeperunt, ut qui diu illo adminiculorum genere essent usi. Quum Scottus diceret comparanda plura equis fulcra, quo commodius et citius conficerent viam, duo ex sociis statim ad hibernaculum contendere coeperunt, sed reversi postridie renuntiant abacta glacie viam sibi interclusam fuisse.

Postridie kal. Febr. duci venit in mentem nocturna itinera expeditiorem habitura esse glaciem, et quum sociis consilium probaretur, manebant in tentorio usque ad

vesperam. Hic Scottus describit quietem tentorii: « In vasta via tentorium nostrum punctillum est. Conticuit itineris strepitus, verba incitantium vel increpantium equos hic clarius sonantia, quadrupeda canum festinatio, acris ungularum percussio et sibilus sequentium traheorum, haec omnia contineuerunt. Alta silentia has albas tenent solidines, quod interdum frangitur vel eiulatione canis, vel hinnitu equi, vel niveae crepitu crustae perfractae vestigio. Leviter vacillant texti parietes, in qua sedemus, domus, aures pulsantur susurro fornaculae¹ nostrae, et ex authepsa ventilatorio gratus naribus afflatur odor spiritus.² Ex antarctide cumulantur niviferae nubes, quaedam velut pallentia et flava serta, propinquai nuntia turbinis, quibus paulatim diluuntur extrema linimenta terrae. Luctabuntur furentes venti,³ circumaguntur nives pollini similes. Hae velut subtilissima farina per omnes rimulas in omnes angulos penetrant, etiam sub tegimenta capitum, velut arena pungentes. Distorquetur forma solis, qui tamquam sitimeat, pallentem et sine umbra mittit lucem per turbinem. Viri paullatim abundant pellicientibus sinibus saccorum dormitoriorum ».

¹ Utinam vero quid esset • Primus-Ofen • scirem; fortasse aliiquid invenirem nominis Latini.

² « Spirituskocher » instrumentum coquinatorium est quo cibi coquuntur subiecti flammis spiritus.

³ Quid est enim noster • Orkan •, Gallice « ouragan » quam vocem Larousse docet originis esse Caraibicae? Caraibes autem fuerunt incolae Antillarum, insularum Americae, anthropophagi.

III. Non. Febr. post medium noctem profecti sensim meliorem nacti viam chilometra confecere sedecim. Hic tres manulii in mollem et altam incidere nivem, unde emergere quum frusta et multo anhelitu conati essent, soluti onere educti sunt in firmum solum. Tum Bowers suo equo subdidit calceamenta, qui brevi assuefactus nullo iam negotio eadem, qua ceciderat via, advexit reliquam sarcinam. Utinam, inquit Scottus, octo haberemus calceamenta equorum! Indignandum est egregia adiumenta interim inutiliter iacere in hibernaculo!

Ea quae secuta est nocte confecerunt chilometra viginti; priora laboriosa equis. In commentariis Scottus aperit quanta in illis itineribus sit mora uti bestiis. «Insti-tuimus» inquit, «ut canes in proximam stationem non ante perveniant, quam alligati illic sint equi. Ferociores illi fere cum oneribus approparent, qui tantum famem et timorem videntur novisse. Vacuis stomachis canes incipiunt furere. Et habet horrorem naturalis ille bestiarum cicurorum appetitus, simulatque in caecam et obstinatam abiit rabiem. Sic coniuncti canes inter se amici esse videantur, vehunt una, inter se terunt scapulas, alter alterum, ubi decumbere vult, transcendit, amica eorum videtur esse consuetudo: at ubi cogitaverunt pabulum, repentina incitantur rabie, inter se suspectos habent, perlevi momento inter se pugnant mordentque. Non raro etiam in via eorum erumpit furor, et qui modo concordes et moventes caudas incedebant, hos subito cacodaemonum gregem factos dicas. Itaque canem vel edere oportet, vel dormire, vel rem aliquam sectari, et vix animi cohibeas motum quum vides canes assidue se aliqua re velle occupatos. Hos haec per vastas nivium solidudines itinera enecant; itaque levissimae rerum mutationes, ut subitus crustae sub vestigio crepitus, totos attentos suspensosque tenet. Est Wilsoni canis dux, cui

Stareck nomen, scitissimus atque prudentissimus horum canum. Hic, quoties solum cedit vestigio eius, suspicatur latere illic cuniculum statimque et priores pedes et nasum in illo defigit loco, nihil interim morans cursum, nec deceptus millies spem praedae deponit. Mucaca, alter Wilsonis canis, parva quidem sed perutilis et lepidissima bestia, iunctus est cum Nugis, pingui, pigro, voraci cane: quem ille, quoties animadvertisit parum facere operis, transasco fune mordet velocitate tam fulminea, ut ille iners ne sentiat quidem, unde impetus sit factus. Haec igitur magna illarum regionum difficultas est: quod canes in horas vivunt, homines futuri providi praesentia mala spe tolerant».

Quo die Scottus haec scripsit, turbo furere coepit in horas septuaginta quinque, quas viri conditi saccis sermone et fumo, cibo et somno fallebant. Equos misere tempestas afflictabat, canes interim complicati injectis tegebantur nivibus, et ad pabulum procedebant ex fumantibus cavernis suis. His tempestas optatam dederat quietem.

Tandem IV. Idus Febr. vespere agmen coepit procedere. Postridie per ventum est ad gradum undeoctogesimum et locus dictus est Blufflager, «castrum stuporis», ex nomine, ut opinor, propinquai montis. XV. kal. Martias, quum saepissime in nivium cumulis equorum haerescerent unguiae, unus ex eis, quem illi Willy nominabant, tardius secutus concidit. Canes quum animadvertisserint, nulla iam vi retinebantur, sed facto impetu collapsum misere mordere cooperunt. Franguntur in eorum dorsis duo bacula non cessante interim equo acriter se defendere.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA


Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

DE ADVERBIIS

De quibusdam adverbii eleganter
omittendis.

I. – Adverbia quae in lingua vernacula usurpantur ad alterum vocabulum definiendum, latine omittuntur, quem eorum sensus

1º) vel alteri vocabulo iam inest; v. g.: *Devincere* (= perfecte vincere) (Caes., *De Bel. gal.* VII, 34, 1) – *Pernoscere* (Cic., *Fat.* 5, 10) – *Singularis* (= singulariter gravis) poena (Cic., *Cat.* IV, 4, 7). *Singularia* (= singulariter adulantia) verba (Cic., *Cat.* IV, 3, 5).

Iustitia eas res spernit et neglit ad quas plerique inflammati aviditate *rapiuntur* (= necessarie trahuntur) (Cic.).

2º) vel ex contextu appareat, aut ex ipso vocabulorum loco; 2 v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

a) *Tantummodo* retinetur praesertim cum numeralibus et pronominibus quantitatis: *unus, pauci...* etc. ...

b) Quum admirationem exprimimus aut indignationem in rem quae evenire nequit, particulas interrogativas omittimus, quae vocis sono intelliguntur; v. g.: Haec credis? Pugnantia te loqui non vides? (Cic.).

Praelium a (*vere*) punica coepit fratre (Tit. Liv., XXII, 48, 1).

Incolumenti suae (*satis*) consulere (Cic., *Phil.* II, 15, 38).

Ipsius Appii (*adhuc*) exstat oratio (Cic., *De Sen.* 6, 16).

Cato litteras graecas (*iam*) senex didicit (Cic.).

Tum Catulus: «(*Vere*) est, inquit, ut dicis». (Cic., *De orat.* II, 36, 152).

Ingemiscere (*tantummodo*) nonnunquam viro concessum est, idque (*tantummodo*) raro (Cic.).

Haec regula servatur ad vitandum pleonasmum.

II. – Admiratio exclamatio latine non admittit negationem, nisi sensus est negativus; v. g.;

Quam multos scriptores rerum suarum secum habuisse dicitur! (Cic., *Pro Archia*, 9).

Quoties iam, quoties tibi extorta est sica ista de manibus! (Cic., *Cat.* I, 6).

Quam non est facilis virtus! (Cic., *Attic.*, VII, 1).

III. – Post «*non modo*» fere non exprimitur altera negatio, quum sequitur particula «*ne... quidem*», et utrique membro verbum est unum et idem; v. g.:

Familia quae *non modo* (non) dominatum, sed *ne* potentiam *quidem* cuiusquam ferre *potuit* (Cic., *Phil.* 2).

Talis vir *non modo* (non) facere, sed *ne* cogitare *quidem* quidquam *audebit* (Cic., *De Off.* III, 19).

Adsentatio quae *non modo* (non) amico, sed *ne* libero *quidem* digna est (Cic., *De Am.* 24, 89).

Regnum (quod est) *non modo* (non) Romano homini, sed *ne* Persae *quidem* tolerabile (Cic., *Attic.* 108).

Is *non modo* hoc *non perfecit*, sed crux infelici *comparabatur* (Cic., *De Suppl.* 62, 162).

Non modo frumenta matura *non erant*, sed *ne* pabuli *quidem* satis magna copia *suppetebat* (Caes.).

Quorum *non modo* nemo *exclamavit* unquam, sed *ne* *ingemuit* *quidem* (Cic.).

Non modo... sed (vel *verum*) usurpatur quum a maiori ad minus procedimus, sicut et *non dicam... sed*; v. g.:

Quae civitas est in Asia, quae *non modo* unius imperatoris, *sed* unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? (Cic., *Pro Leg. Man.* 22).

Video et ex iis quae legi et audivi intelligo, in qua civitate *non modo* legatus populi Romani circumcessus, *non modo* igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, *sed* aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere (Cic., *Verr.* I, 31).¹

IV. - Adverbium « *scilicet* », quo explicetur vox quae proxime praecessit, plerumque negligitur; v. g.:

¹ Quum a minori ad maius procedimus, coniunctionis *sed*, *verum*, additur particula *etiam*; v. g.: Cicero *non modo* (vel *non solum*, *non tantum*) privatrum causas egit, *sed etiam* difficilimis temporibus rempublicam gubernavit -- *Non solum* audivi, *verum etiam* vidi. -- Haec est virtus *non solum* maxima, *sed etiam* mater virtutum (Cic., *Pro Plancio*, 39).

Qualem acceperim rempublicam intellico, (*scilicet*) plenam sollicitudinis (Cic., *De lege agr.* 2, 3).

Balbus mihi confirmavit te divitem futurum. Id utrum more Romano locutus sit, (*scilicet*) bene nummatum te futurum; an, quo modo Stoici dicunt, omnes esse divites qui caelo et terra frui possint, postea videro (Cic., *Fam.* VII, 16).

De quibusdam adverbii eleganter addendis.

I. - Adverbia « *sic*, *ita*, *ideo* » etc.... saepe videntur inutiliter praeposta verbo: sed reipsa praenuntiant sententiam quae ab hoc verbo pendet, eique maiorem attentionem conciliant; ¹ v. g.:

Sed tamen *sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse* (Cic., *Fam.* XIII, 57).

Quum sibi *ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas litteras maximum apud te pondus habituras* (Cic., *Fam.* XIII, 10).

Putaret me *idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent* (Cic., *Fam.* IX, 2).

Ideo Claudio Pulcher *retulit*, ut C. Verres posset auferre? (Cic., *Verr.* VI, 4).

¹ Item pronomina neutra: *hoc*, *illud*, *id*; v. g.: *Hoc* tc intelligere volo: *pergraviter illum esse offensum* (Cic., *Att.* I, 10). -- Te *illud* admoneo, ut quotidie meditere: *resistendum esse iracundiae* (Cic., *Ad Quint. fratr.* I, 1). -- Inter omnes hoc constat: *virorum esse fortium toleranter dolorem pati* (Cic., *Tusc.* II, 18, 43). -- Nec vero *id* effici posse confido, *ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant* (Cic., *De Divinatione*, II, § 5).

NB. - a) Pronomen apponi potest substantivo; v. g.: *Haec benignitas etiam reipublicae utilis est*: redimi a servitate captos, locupletari pauperiores (Cic.).

b) Haec adverbia aut pronomina magis strictam statuant correlationem logicam inter binas propositiones. Quod est latine linguae indoli maxime consentaneum.

II. - Adverbia « *potius* » et « *magis* » redundant post comparativos et post *malo*, *praesto*... etc.; ¹ v. g.:

Mihi in tanto omnium mortalium odio quaevis fuga *potius*, quam ulla provincia, esset *optatior* (Cic., *In Pis.* 14).

Uticae *potius* quam Romae esse *maluisse* (Cic., *Pro Ligar.* 2).

Populus dabit consulatum ei qui *magis* vere vincere, quam diu imperare *malit* (Tit. Liv., XXII, 34).

III. - Ad augendam elocutionis vim, Latini vocibus interrogativis eleganter addunt adverbium « *tandem* », quod admirationem exprimit aut vehementius instat; v. g.: ²

Quid tandem agebatis? (Cic., *Rep.* I, 13, 19).

Quousque tandem abutere patientia nostra? (Cic., *Cat.* I, 1, 1).

Hoc per ipsos deos de quibus loquimur, *quale tandem est?* (Cic., *De Nat. deor.* I, 38).

Quod genus tandem est istud ostentationis et gloriae? (Cic., *Pro Rab.* I, 14).

Quo tandem illum maerore afflictum esse et profligatum putatis? (Cic., *Cat.* II, 1).

Quorsum tandem aut cur ista quaeris? (Cic., *De Leg.* I, 1).

Utrum hic tandem disceptationem et cogitationem veritatis, an innocentiae labem aliquam aut ruinam fore putatis? (Cic., *Flac.* 10).

¹ a) Iam continetur ipso comparativo aut verbo.

b) Similis est pleonasmus adverbiorum *prius*, *ante*, *rursus*, *simil* cum verbis ex *prae*, *ante*, *re* et *cum* compositis; v. g.: *Rursus reverti*. - *Multa currunt simul*.

² a) *Omnino protandem quandoque usurpatur*; v. g.: *Quid enim est omnino hoc ipsum diu; in quo est aliiquid extrellum?* (Cic., *Pro Marc.*, 9);

b) Non raro « *tandem* » adiungitur adverbio « *ali quando* », maioris explicationis gratia; v. g.: *Tandem aliquando*, Quirites, L. Catilinam Urbe elecimus (Cic., *Catil.* II, 1). -- Spes est hunc infelicem *ali quando tandem* posse consistere (Cic., *Ad Quint. fratr.*, 30).

IV. - Adverbium « *adeo* » videtur aliquando otiosum esse; vel, si quid significat, ponitur pro « *certe* »; v. g.: ¹

Is *adeo* tu es (Cic.).

Magis *adeo* id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit (Cic., *De Orat.* II, 4).

Hinc *adeo* media est nobis via (Verg., *Eclat.* 9, 59).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De locis Deorum cultui mancipatis.²

Quo maius sacrī aedibus decus compararetur, supra structurae splendorem adiecta quaedam etiam ornamenta sunt. Huius generis fuerunt *Picturae*, *Clypei*, *Spolia*.

De picturis satis sint duo exempla. Cicero in *Verr.* (IV, 55): « Pugna - inquit - erat equestris Agathoclis regis in tabulas picta praeclarē ». His autem tabulis interiores templi partes vestiebantur. Et referente Plinio (XXXV, 4): « Victoriae suae Asiaticae tabulam in Capitolio posuit L. Scipio ».

Clypeos, quos hīc audis, noli ad bellū usum factos existimare. Fuerunt hi ingentes disci ex metallo, illustrum saepe virorum imagines, placidaque gesta insculpta repraesentantes. Talem primo Apollinus Claudio maiorum suorum effigies et titulos honorum exhibentem posuit in aede Bellonae, ut posteris tradidit Plinius.³ Simile dein per alios factitatum.

¹ Hic sensus habetur praesertim post pronomina; v. g.: *Ego adeo, tute adeo, ille adeo... etc...*; et praesertim etiam post adverbia; v. g.: *Sic adeo, iam adeo, hinc adeo, ergo adeo... etc...*

² Cfr. fasc. sup.

³ XXXV, 3.

Huc etiam coniici potest *Clypeus Martius*; de quo Livius (XXV, 39), postquam narravit victoriam a Romanis duce Martio de Poenis habitam, atque in reliqua praeda « fuisse clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barchini Asdrubalis », paullo inde post subiicit: « Monumentum victoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo Clypeum Martium appellatum, cum imagine Asdrubalis ».¹

Sed iam frequentiorem ad tempora ornanda clypearum usum disce ab eodem Livio (XXXV, 41), sic dicente: « Damatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae in cella Iovis supra fastigium aediculae, et XII clypea inaurata ».

Hostilibus quoque spoliis adornare delubra solitum fuit. Ita apud ipsum Livium (X, 46): « Aedem Quirini exornavit hostium spoliis; quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum forumque his ornaretur, sed sociis etiam colonisque finitimis ad templorum locorumque publicorum ornatum dividerentur ».

Ex eoque more canit Vergilius:

*Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Speculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.*²

* *

At de Aris tandem aliquid dicamus.

Diu antequam a mortalibus excitarentur tempora, fuisse Aras ad sacra facienda structas accepimus. Itaque quo tempore consuetudo haec viguit, erectae illae ubivis sub dio fuerunt, in viis, in silvis, maximeque sub alicuius arboris protegentibus simul atque operantibus ramis.

¹ Referri tamen id exemplum possit etiam ad Spolia, de quibus mox.

² Aen., VII, 183

Quod postremum sectatus Maro de Priami domo haec protulit:

*Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe
Ingens Ara fuit, iuxtaque veterrima laurus
Incumbens Arac, atque umbra complexa Penates.*³

Aedificatis vero templis, statim locum ibi suum quasi iure proprio obtinuerunt Arae, et quidem media in aede ante cellam.

Verum et post exstructa tempia per frequentes tamen fuisse subdiales aras certo certius est. Plures profecto huiusmodi ad unam Romam spectantes numerantur; quae solae aperto sub caelo fuerint. Saepe quoque in inscriptionibus unius aerae, utique extra aedem positae, aliquando etiam sacerdotis ei mancipati, fit mentio.

Altiores humilioresve fieri solebant aerae, prout magis minusve eminentes habebantur Dii, quibus dedicarentur. Itaque Iovi aliisque Superis excelsissimas; valde autem depressas Vestae, Telluri, Mari, utpote terrestribus Diis, confieri suevisse testatur Vitruvius.⁴ Atque illae quidem ab altitudine proprie *Altaria* nuncupatae; quamquam vix unquam id discrimen scriptores servant.

Confici Arae solitae ferme sunt e lapide; quas tamen interdum vel ex latere, vel alia ex materia structas constat. Ita apud Ovidium:

*Araque gramineo viridis de caespite fiat.*⁵

Quod plane ipsum habemus ab illo Flacci:

*Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Caespite vivo.*⁶

Praeter consuetam formam, qua Arae quadrangulæ erant, rotundas etiam existisset nummi significant.

Quod Aris suorum Deorum nomina

¹ Aen., II, 512.

² VITR., VI, 8.

³ OVID., Trist., V, 5.

⁴ HORAT., Od., IV, 8.

inscribi solerent, manifestum, si aliunde minus, e celebri illa inscriptione fit, quam aerae affictam Athenis se legisse Apostolus affirmat: *ΑΓΝΩΣΘΩ ΘΕΩ (Ignoto Deo).*⁷

Hoc vero ipsum factitatum scias in Mensis suo templorum usui attributis, ut eis epigramma aliquod apponenteret; quale hoc memoratum a Tullio: *BONORUM DEORUM.*⁸

Sollemnis etiam consuetudo fuit, ut ornarentur Arae taeniis laneis, frondibus floribusque. De singulis suppeditant scriptores exempla. Ita Propertius (IV, 6):

Terque focum circa laneus orbis eat.

Et Vergilius:

*Sacre Deum nexas ornatae torquibus aerae.*⁹

Atque Ovidius:

*Fumida cingatur florentibus ara coronis.*¹⁰

Quantus autem de Aris esset religionis sensus, vel ex hoc intelligi potest, quod, ut fides omnis iuramento constaret, iurantes tangerent aras. Ex quo more apud Vergilium:

*Tango aras, mediosque ignes, et Numina testor.*¹¹

* *

Restat ut de templorum dedicationibus pauca addamus.

Provisum per ethnicos illos homines sedulo fuerat, ut sua templorum *Dedicationes* (videlicet *Consecrationes*) religiose simul et magnifice peragerentur.

Primum igitur ita veteris instituti ratio tulit, ut non fere nisi a consule, aut imperatore, viris nempe primariis, tempa dicarentur. Meminit de hoc Livius (IX, 46); ubi refertur etiam tamquam res a more plane aliena, quod C. Flavius aedilis

¹ Act., XVII, 23.

² CIC., De Nat. Deor., III, 34.

³ VERG., Georg., IV, 176.

⁴ OVID., Trist., III, 13.

⁵ Aen., XII, 201.

curlis aedem Concordiae dedicavisset. Per quam occasionem, ne quid simile in posterum fieret, « latum ad populum est, ne quis templum aramve iniussu senatus, aut tribunorum plebis partis maioris dedicaret ». Ceterum alias quoque a magistris, censorem, praetorem, nec raro alterum e duumviris aedis locandae sciendae, dedicavisse patet.¹²

In ipsa dedicatione pontifex « praeibat verba », ab eo, qui dedicationi praeerat, singula pronuntianda. In quo toto ea maxima cura erat, ut expedite omnia, clare, recteque proferrentur. Cuius rei exemplo sit, quod tradit Plinius: « Metellum pontificem – inquit – adeo inexplanatae (linguae) fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda aede Opis vere dicere ».¹³

Quum verba praeibat pontifex, interim templi postes tenebat. Unde est apud Tullium¹⁴ sermocinatio illa Clodii ad dedicationem pontifices vocantis: « Ades, ades, Luculli, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praebeatis, postemque teneatis ». Quo caeremoniae genere id adsificantum ratus est Servius ad III Georg., 16, quod iam aedes illa ab humano usu secreta, a Numine, cui dicabatur, teneri incepit.

Quemadmodum vero ad iustum verborum pronuntiationem opus id erat, ut ne lingua balbutiret haerereturque; ita ad rectam postium prehensionem requirebatur, ne manus contremiseret. Quo utroque vitio laborasse domus sua dedicationem arguit Cicero,¹⁵ quem inquit: « Qui (pontifex) aut nihil dixit... aut, si dixit aliquid, verbis haesitantibus, postemque tremebunda manu tetigit. Certe nihil caste, nihil more institutoque perfecit ».

¹ LIV., XXXIV, 53 et alibi.

² PLIN., XII, 37.

³ Pro domo sua, 52.

⁴ Ibid., 52.

Sed praeterea necesse universae munieris perfunctioni fuit, ut mens penitus in hoc intenta nec turbaretur unquam, nec alio evagaretur. Quocirca nihil valere ait Tullius¹ quod quis « mente aut lingua titubante fecisse dicatur ».

Dedicationis sollemnia iudorum editio sequi solebat. Ita apud Livium: « Per idem fere tempus aedes Matris magnae Idaeae dedicata est... iudique ob dedicationem eius facti; quos primos scenicos fuisse Veneritis Antias est auctor, Megalesia appellatos ».²

Et narrante Plinio: « Pompeii altero consulatu dedicatione templi Veneris Vetricis pugnavere in circo (elephant) viventi ».³

Alia exempla non desunt, et cum Vergilio finem faciemus; qui de re in III *Georgic.* 13 cecinit:

Et viridi in campo templum de marmore ponam.

*In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit,
Illi vitor ego et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriungos agitabo ad flumina currus.*

S. A.

EX ARGENTINA REPUBLICA

De Eucharistico Oecumenico Coetu in Argentina Republica celebrando.

Proximo anno, mense Octobri, Bonaërensis urbs, Reipublicae Argentinae caput, erit sedes tricesimi et alterius Eucharistici Oecumenici Coetus, quos tertio quoque anno magnificentissimo cultu Ecclesia celebrazione consuevit.

Optimo consilio haec civitas nostra ad hoc maximum Iesu Christi triumphum

¹ *Pro domo sua*, 51.

² *Liv.*, XXXVI, 36.

³ *PLIN.*, VIII, 7.

electa est, quippe quae fundationis antiquitate, dominationis vi, artium atque disciplinarum incremento, areae amplitudine, incolarum frequentia (vices centena millia et ultra!) aedium, templorum, viarum, platearum pulchritudine, commerciorum naviitate, hospitiorum facilitate, locomotionis instrumentis aliisque causis principem locum inter omnes Americae Meridionalis civitates, nullo homine discrepante, obtinet.

Sed etiam religionis, et praesertim Eucharistiae titulo iure meritoque gloriatur civitas Argentinorum metropolis. Revera, anno superioris saeculi sexto, quo tempore, Napoleonis Imperatoris causa, magna inter Hispaniam et Angliam dissensio ferbuit, ingens Anglorum exercitus classe transvectus, duce Berresford, iure gentium posthabito, incredibili audacia urbe Bonaërensi, tunc temporis Hispaniarum colonia, ex improviso potitus est eo quidem facilius quo celerius Raphaël de Sobremonts, regis Hispaniae vices gerens, urbe per ignaviam relicta, Cordubam aufugebat.

Sed populus Bonaërensis incredibile memoratu est quanta displicentia, quantaque invidia usurpatores britannicos habuerit atque invitus eorum iugum sustinuerit hac potissimum ratione, quod milites illi, lutherana lue infecti et ex secundis rebus insolentes, ita exercitio eucharisticus cultus impedimento erant, ut ad vitandas irreverentias atque profanationes erga Ssñmum Sacramentum, tempora clausa permanerent actusque liturgici absque sollempni pompa agerentur; quae omnia summa tristitia, maximoque dolore Bonaërenses fideles religiosissimos homines afficiebat.

Tum vero religionis tuendae, neconon eucharistici cultus vindicandi gratia, potius quam libertate freti, populus ille, qui iam multa industria virtutis signa dederat, invocato Dei praesidio Missaque audit, tanto impetu in Britannicos irruit, ut eos penitus profligari.

Ea tempestate patres civitatis, quo fa-

cilius hostem opprimerent atque depellerent, Sanctam Claram Patronam minorum urbis elegerunt: fertur enim haec praeclara virgo assisiensis vas Ssñmum Sacramenti suis manibus sustinens, Saracenos impiissimos homines monasterium obsidentes fugasse; ita etiam Bonaërenses cives sacra Eucharistia muniti, tamquam leones effecti, haereticos illos S. Eucharistiae infensos homines, etsi multitudine et rei militaris peritia et armis validiores, captam urbem paucis post deditiōnē diebus restituere coegerunt: quae victoria evenit ipsa die XII mensis Augusti, Sanctae Clarae dicata.

Gloriosissimis igitur cum fastis eucharisticis Bonaërensis et Argentinorum libertas connectitur.

Civitas maxima cum iucunditate, summa cum diligentia *tamquam sponsa ornata viro suo* (Apoc. XXI, 2), ad celebrationem tanti Congressus sese disponit; nihil profecto inexploratum relinquet, ut gloria, apparatu, frequentia, fructibus, XXXII hic Coetus Eucharisticus inter omnes praeteritos excellat, aut saltem ne sit iis inferior; iamdiu servet opus inter praeclaros et piissimos catholicos, sive sacerdotes sive laicos, ab Archiepiscopo designatos, ut omnibus rebus consulant quae ad rectam totius Conventus ordinationem pertinent.

Quinque iam habitae sunt in totidem civitatis templis sollemnes supplications ad divinum auxilium super futurum conventum obtinendum; optimae praelusiones erunt parvi Convertus eucharistici dioecesani, quae in praecipuis reipublicae civitatibus magno fidelium concursu celebrabuntur. Eminentissimi S. R. E. Cardinales, Episcopi atque praeclarissimi viri se ad coetum venturos promiserunt, alii nobilissimas adhaesionis litteras mittendas curavere. In senatu quoque et apud supremum reipublicae Moderatorem quaestio nunc agitur de augendo dioecesum nu-

mero, quo nobilis sacra Argentinæ ecclesiae hierarchia et reipublicae dignitati et incolarum incremento respondeat; quam rem ad optimum exitum feliciter esse per venturam eorum nemo est qui neget penes quos est illam persolvere.

Quid plura? Summus etiam Pontifex mense Martio huius anni loquens cum Excmo atque Rmō Iacobo Copello Archiepiscopo Bonaërensi, quem sacri pallii imponendi causa in Urbem accersivit, de omnibus rebus certior fieri voluit quibus proximus Coetus comparatur, illustrissimo praesuli gratulatus est de Argentinorum pietate erga Ssñmam Eucharistiam, benedictione donavit eos omnes qui ad exitum Coetus laborant, et spem suam firmam ostendit hunc maximum convenutum plurimos atque uberrimos sanctificationis fructus Americae Columbianaे populis. Reipublicae Argentinæ praesertim, esse allaturum.

Faxit Deus ut vota tanti Pontificis adimpleantur; Maria Ssñmam Luxanensis, caelestis populorum Patrona quos unda subluit Platensis fluminis, Sanctus Martinus Turonensis, Patronus Archidiaeceseos, Sanctus Paschalis Baylon, Protector coetuum eucharisticorum, Sancti etiam apostoli qui has regiones verbi praeconio et sanguinis effusione ad Christi fidem perduxerunt, intercedant efficaciter apud Deum pro triumpho divinae Eucharistiae in hoc primo Americae Meridionalis conuentu.

Cordubae, mense Augusto MCMXXXIII.


P. ARDIZZONE.

Optabile est et mihi praeclarum usque ad ultimam discere senectutem, quoniam nulla aetas ad perdiscendum sufficere potest.

S. GREG. NAZIANZ.

Vera hominis scientia est imperfectum se nosse.

S. AUGUSTINUS.



SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.**DE POSITRONIBUS EXSISTENTIA.**

Theoria electronica, quae ab initio huius saeculi inducta est ad explicanda phoenomena quae ex conductione electrica in metallis locum habent, duplum generatim corpusculorum speciem respiciebat, positivorum nempe et negativorum.

Sed quum ex inquisitione experimentali nonnisi negativi electrones apparerent, et corpuscula positiva semper cum materia ponderabili coniuncta viderentur, paulatim cultores theoriae physicae in hoc contendere coeperunt, ut explicarent per solum motum electronum phoenomena electrica in metallis.

In quibusdam tamen effectibus, et praesertim in iis qui effectus electromagnetici dicuntur, theoria dualistica necessario inducenda videbatur. Sed quo iure theoriam dicere possemus de corpusculis positivis, si experientia ea non detegeret?

Sed, en, corpuscula positiva nunc et ipsa in rerum natura existere edocti sumus.

Anno elapso dr. Anderson, in quasdam radiorum cosmicorum manifestationes inquirens, hypothesis proposuit admittendi existentiam corpusculorum positivorum ad eas explicandas, nomenque proposuit iis tribendum, « positrones ».

Res quidem, primo tempore, diffidentes invenit aures. Initio tamen huius anni, doctores Blackett et Occhialini in Anglia, in rem ex professo profundius inquirere statuerunt, et in perscrutandis traectoriis radiationis, in capsula expansionis, invenierunt quaedam ex iis nonnisi a corpusculis positivis, et quidem eiusdem massae

ataque illa quae electronis pertinet, procedere necesse esse.

Iterum mense martio Chadwick Blackett et Occhialini examini subiecerunt radiationes ex polonio et berillio procedentes, in lamina cuprica receptas; et in regione anodica, hoc est iuxta cuprum, traectoria corpusculorum positivorum detergunt, quae certe ex cupro electa erant.

Parisiis etiam domina Curie et doctor Joliet huiusmodi pervestigationes instituerunt et in eamdem sententiam conveneunt.

Animadverterunt insuper, exponendo radiationi laminam plumbeam, rationem corpusculorum positivorum ad corpuscula negativa esse ut quatuor ad decem. Si vero loco plumbi exponebatur aluminium, nullum positivum corpusculum aderat.

Apparet ergo quaedam saltem metalla, ut cuprum et plumbum, radiationibus exposita, ad corpuscula positiva emittenda apta esse.

Qui ergo electrones, et tantum negativa electricitate praediti, dicebantur, nunc sub duplice specie extare dicendi sunt, positivi nempe et negativi. Et si primi « positronum », alteri « negatronum » nomen habebunt, ut iam propositum est.

Qui autem dicendum est de protonis? Doctor Anderson, mense maio huius anni, hypothesim proposuit protonem componi ex neutrone et positrone. Nec desunt argumenta in favorem huius hypotheseos, et quidem ex computatione momenti magnetici deducta.

Si res ita se habent, id quod « neutron » dicebamus, ex protone et electrone negativo compositum, nunc dicendum potius erit corpusculum primitivum et simplex.

Elementa ergo, quibus atomus constat tria sunt: neutrones, positrones, negatrones.

Neutrones elementa primitiva materiae ponderabilis constituant, positrones ele-

menta electrica positiva, negatrones elementa electrica negativa.

Si per aequationem symbolicam atoomum quemdam repraesentare statuimus, scribere possumus $A = \mu + p + n$ in qua μ numerum neutronum significabit, p numerum positronum et n negatronum.

Pondus atomicum per ipsum numerum μ mensurabitur; numerus vero atomicus Z per differentiam inter p et n , h. e. $Z = p - n$.

« Isotopes » erunt atomi, quibus idem numerus Z congruit, sed non idem μ .

In applicandis vero analyticis processibus sequi licet rationes iam a Riecke vel a Drude propositas, quam tamen duplum corpusculorum speciem inducere non omitteramus, ut ipsi primitus docuerunt.

Et forte ad aptiores formulas et conclusiones pertingere in quibusdam, quae huc usque parum satisfacere videbantur, datum erit.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTITIAE.**DE DISTRIBUTIONE RADIORUM COSMICORUM IUXTA LATITUDINEM.**

Ex recentioribus experientiis a dre. Compton institutis appareat contentionem radiationis cosmicae reapse pendere a latitudine. Et quidem intentio in altioribus latitudinibus maior exstat quam iuxta linem aequatoriale ratione 14 per centum si ad mare metiat, ad 33 per centum si ad altitudinem 4.000 metrorum.

Haec maior intentio quae iuxta terrae polos invenitur, clare innuit ad actionem campi magnetici terrestris. Quae tamen actio in radiis cosmicis non tantum in inferioribus atmosphaerae stratis admittenda est, sed potius in altioribus.

Duplex insuper admittenda videtur radiatio; primaria nempe et secundaria; quarum prima a spatiis cosmicis advenit, altera in aere efformatur.

DE QUODAM NOVO EFFECTU PHOTOELECTRICO.

Kikoin et Noskow in « Instituto physico-technico » Leningradi novum effectum photoelectricum experti sunt.

Lamina oxidi in aere liquido immersa, et supposita campo magnetico, cuius lineae sint parallelae ipsi laminae, si per radios lucis albae excitetur, vim electromotricem emittit in directionem perpendiculararem tum lucis radiis, tum campo magnetico.

In campo 2.500 gauss vis excitata mensurabatur ad 2 volt cum 7 decimis.

Intentio lucis non influit in intensionem vis excitatae; bene tamen influere qualitas lucis videtur.

Auctores opinantur effectum connecti cum phaenomeno, quod sub nomine *Hall* cognovimus.

DE NOVIS PERVESTIGATIONIBUS IN MAGNETRON.

Novimus, in ampulla electronica quae duos electrodos habeat, et quam nomine *diodo* vocare solemus, oscillationes excitari a nobis posse, si fluxum electronum campo magnetico supponamus. Habetur tunc quod *magnetron* dicimus.

Doctores A. A. Slutkin et D. S. Steinberg, institerunt in excitandis oscillationibus electronicis altae frequentiae in huiusmodi dioidis cum anodo cylindrico.

Aptissima campi dispositio, quam experti sunt, ea est qua lineae magneticae inclinantur ad decem gradus relate ad axem cylindri anodici; intentio magnetica criticum quedam valorem acquirit.

Sic disposito magnetron, oscillationes facile excitari et in circuitum anodicum induci potuerunt.

Undae electricae ita deductae 7 centimetrorum longitudinem habuerunt.

DE PROFUNDISSIMO TEMPERATURAE GRADU.

Iuxta Debye, quem postea et Giauque sequutus est, si sal quoddam paramagne-

ticum, in potenti campo magnetico positum, et sub temperatura helii ebullientis ad minimam pressionem, subito « demagnetizetur », profundissimum temperaturae gradum attinget.

Hac praevisione ducti, doctores de Haas, Wiersma et Kramers, Leidae in trifluorurum cerii experimenta duxerunt.

Iuxta eorum illationes, temperatura ad quam sal descendit est 0,27 K. quae nunquam prius obtenta est. Nam, ut novimus, Kamerlingh Onnes ad 0,82 gradus pervenit, Keesom autem ad 0,71 K.

DE ANHYDRIDE CARBONICA AD INCENDIARIOS CUNICULOS INSTRUENDOS.

Iam aliquot annis in incendiariis cuniculis ad carbonem extrahendum in Anglia anhydrides carbonica inducta est.

Capsulae anhydridem carbonicam liquidam continent ex chalybe formantur, sed fragili disco teguntur. Includitur simul cum anhydride etiam mixtio ignifera, quae per electricam favillam incendatur.

Capsula in petram perforatam immittitur, et a longe per electricam conductionem favilla excitatur. Tunc mixtio calorem prodit, qui anhydridem ex liquido in vaporem transfert cum ingenti pressu, qui discum frangit et petram disrumpit.

Ipsi autem anhydridis vapores ignifugi sunt et innocui. Capsula vero facile redimi potest, et iterum in usum comparari.

DE SPINIS CORONAE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

Iuxta probabilem sententiam corona spinea, quae imposta fuit capiti Domini Nostri Iesu Christi, dupli constabat parte, fasciculo nempe iuncorum, qui caput circumdaret, et ramis superpositis et insertis.

Fasciculus iuncorum servatur hodie Parisiis, in Ecclesia Dominae Nostrae.

Doctor H. Martelli ex Athenaeo Pisano nuper examini subiecit ramum spinosum qui Pisis asservatur in templo Sanctae

Clarae, et ex Corona Spinea Domini Nostri eum esse recognovit.

Agitur de fragmento arcuato decem fere centimetrorum longitudine, cum duobus internodis, duobus nodis, et quatuor spinis. Due ex istis sunt incurvatae, due autem rectae, quarum vero altera obtruncata.

Ex attenta inspectione Auctor deducit ramum pertinere speciei notae sub nomine *Zizyphus officinarum Medic*, aliter *Zizyphus vulgaris Lam.*

**Clarissimo doctori Pio Carolo Falletti,
R. Athenaei Bononiensis decori, Vincentius Polydori, unus ex discipulis eius, gratulans,**

EPISTOLIUM.

*Iam mihi discipulo veniam concede, Magister,
si nimium propere corde movente loquar.*

*Quid mea Musa canet? Brevius ni tempus haberem,
(cognita festa mihi non fuit ante dies),*

*Istis litterulis prudens non uteor; urget
scribere, ne videar immemor esse tui.*

*Accipe quod mitto grato pro munere carmen,
quod tibi cum placeat denique laetus ero.*

*Te felix habuit studiorum Felsina mater,
te decus historiae quae nova, prisca docet.*

*Te felix habuit multos venerata per annos,
ornatum coluit te probitate virum.*

*Qui sim, qui fuerim tacitus fortasse rogabis,
at nunc qui fuerim non meminisse iuvat.*

*Hoc satis: ipse fui peregrinus semper alumnus;
exhausi monitus non semel ipse tuos.*

*Me quoque discipulum perdocta Bononia vidi;
at non assiduum, dum fera bella fremunt.*

*Tempora dum repeto studiis transacta decoris,
o tua mi quotes mitis imago reddit!*

*Te video placidum vultu, te fronte serenum;
en gravis incedis, limina nota petis.*

*Occurrunt iuvenes, grata te voce salutant;
quam bene te doctum densa corona premit!*

*Iam Praeceptor ades; superans subsellia scandis:
vox tua clara sonat; nobilis aula silet.*

*Aurea nunc sapiens recludis scrinia; miro
ordine proponis saecula, facta, viros.*

*Vivere, quae revocas, intentis cuncta videntur,
Auctor, discipulis, o venerande, tuis.*

*Te sequor ipse sitens; imposto fine loquendi,
protinus accensis plausibus aula tonat.*

*Quoties patrios celebrasti, candide, fastos!
qui vigor in dictis! quae tua pura fides!*

*Quot pia virtutis memorans exempla dedisti!
haec simul in nostro pectore fixa manent.*

*Nunc tibi Doctori meriti tribuantur honores,
nunc tibi collegae munera grata parant.*

*Florea discipuli componunt serta Magistro,
ingens dum socio carmine coetus ovat.*

*Quam bene Taurini peragunt haec festa colentes,
auspice qui patris praesidet urbe scholis.*

*Te, Pie, concelebrant comites carique sodales;
te, quibus ostensem nunc aperitur iter.*

*Quot tibi discipuli tenerum testantur amorem!
non ego, si spectas, ultimus inter eos.*

*Ne mea despicias ignotis omina causis,
adprecor utque libens pauca relata legas.*

*Adprecor, ut vivas permultos laetus in annos,
rideat utque micans haec tibi clara dies.*

*Adprecor, ut mediis coniunctis pace fruaris.
longaque permaneat parta labore quies.*

*Fulgeat, o merito! studiorum fama perennis;
nomine posteritas fulgeat usque tuo.*

*Quid moror? inceptum praestat concludere carmen,
quod rude procedit, quippe nitore carens.*

*Taedia si peperim, veniam concede roganti:
hos calamo scripsi nam properante modos.*

*Forsitan ipse minus, meditans, indigna dedissem,
ni mihi scribenti labilis hora foret.*

*Si qui corrigeret nititur ira superatur, oppri-
mit antequam corrigit. Nam dum plus quam debet
accenditur, sub instae ultionis obtentu ad immani-
tatem crudelitatis effraenatur.*

S. AMBROSIUS.

COLLOQUIA LATINA

XXI.

Praecepta educationis.¹

BERNARDUS, GENESIUS.

BERNARDUS. - Quaenam est isthaec tanta, et tam subita mutatio? Inter Ovidii Metamorphoses posset referri.

GENESIUS. - In peius ne, an in melius?

BERN. - In melius, mea sententia: si quidem ab exteriore cultu, gestu, verbis, actionibus bonam mentem licet aestimare ac colligere.

GEN. - Est ergo quod mihi possis gratulari, sodalis iucundissime.

BERN. - Ego vero et gratulor tibi, et ut pergas exhortor, magna que in dies bonae istius frugis ut capias incrementa, Deum et Caelites omnes compreco. Sed amabo ne invideas familiari tuo caro artem adeo praestantem ac praecaram, quae brevi tempore tantum humano pectori probitatis instillet.

GEN. - Ars et fons rivi huius uberrimi est Firminus, si eum nosti.

BERN. - Quis non novit virum, ut a patre et maioribus natu audivi, ingentis prudentiae atque usus rerum, huic nostrae civitati non notum modo, sed carum et non paucis venerabilem? O te felicem, qui illum proprius audiveris et sis cum eo familiariter versatus, unde tantum retuleris fructus ad rectam compositionem morum!

GEN. - Quanto tu felicior, cui haec domi nascuntur, quod aiunt; et potes non semel aut iterum, ut ego, sed quotidie, quoties libuerit, talem patrem audire, maximis et utilissimis de rebus sapienter disserentem.

BERN. - Omitte nunc ista; de te et Firmino procedat sermo institutus.

¹ Ex colloquis I. L. VIVES, Passim retractavit ho- diernisque moribus aptavit I. F.

GEN. - Taceamus igitur de patre tuo, quando ita est tibi cordi: redeamus ad Firminum. Nihil viri illius sermone dulcissimus, nihil consiliis cordatus, nihil praeceptis gravius, prudentius, sancius. Itaque gustu hoc, quem mihi ille de se praebuit, aucta et incensa est mihi mirum in modum sitis hauriendi ex tam dulci fonte sapientiae. Narrant qui antiquas historias describunt, fontes fuisse admirabilis naturae, quorum alii inebrarent, alii ebrietatem tollerent, alii stuporem immitterent, alii somnum: fontem hunc nostri temporis eam ego vim habere expertus sum, ut ex bruto efficiat hominem, ex perduto et nequam frugem, ex homine Angelum.

BERN. - Possim ne et ego ex eodem fonte aliiquid, vel extremis labiis, delibare?

GEN. - Quid ni possis? Domum tibi, ubi habitat, commostrabo.

BERN. - Istud quidem alias: tu nunc inter deambulandum - (aut assideamus, si libet) - aliquot mihi refer ex illius praeceptionibus, quas optimas esse et potissimas censeas.

GEN. - Evidem recensebo lubens, cum ut tibi gratificer et prosim, si queam, tum ad meam recordationem. - Primum omnium docuit me, debere unumquemque non magnifice de se sentire, sed moderate, seu verius demisse: hoc esse optimae educationis ac verae comitatis solidum fundamentum et proprium. Dehinc navare operam, ut animum excolat atque exornet cognitione rerum, scientia et exercitamentis virtutum; alioquin hominem non hominem esse, sed pecus. Rebus sacris interesse cum maxima attentione et reverentia: quidquid audias, seu videas, existimare magnum, admirabile, divinum, et quae captum tuum exsuperent. Crebro te Christo Redemptori commendare precibus; in illo spem et fiduciam tuam omnem collocandam. Parentibus obsequenter te praebere, inservire illis, ministrare, et quaecumque valeas, commodare, prodesse, adiu-

vare. Magistrum colere ac deligere tamquam parentem, non corporis, sed - (quod amplius est) - mentis. Sacerdotes Domini revereri, illorumque doctrinae audientem se exhibere, qui referunt nobis personam Apostolorum, atque ideo Domini ipsius. Senibus assurgendum, caput nudandum, attente illos auscultandum, a quibus ob diutinum usum rerum collecta sit prudenteria. Magistratus honorare, illisque aliquid imperantibus dicto esse audientem, a quibus cura nostri est commissa. Viros magni ingenii, magnae eruditiois, probos suscipere, admirari, colere, bene illis cuperere, et amicitiam illorum ac familiaritatem expetere, ex qua magni fructus reportentur; et id potissimum, ut similes eorum evadamus. Denique iis, qui sunt in dignitate, deberi reverentiam; idcirco impendendum esse liberaliter ac libenter. Quid tu de hisce praeceptis dicas?

BERN. - Mea quidem sententia, de prompta esse ex divite quodam prudentiae promptuario. Sed dic mihi: An non sunt multi ad dignitatem eveniti homines indignissimi? Quid, quaeo, de his sentiebat Firminus? An eodem esse honore prosequendos, quo potiores?

GEN. - Non ignorabat Firminus esse tales non paucos; sed non concedebat aetati nostrae ut nos inter eiusmodi et alios poneremus discrimen: nondum tantum esse nactos nos vel ingenii, vel prudentiae, ut id possimus dijudicare: eam censuram et sapientibus esse viris relinquendam, et iis, quibus illorum est regimen commissum.

BERN. - Recte hoc quidem, ut videtur.

GEN. - Addebat non debere adolescentem in nudando capite lentum esse, non in flectendo genu, non in unoquoque honorifice appellando, non in comi sermone ac moderato. Non decere multum loqui apud maiores natu, aut superiores; id enim alienum esse a reverentia illis debita: tacitum illos auscultare, et ab eis

haurire prudentiam, cognitionem rerum variarum, rectam atque expeditam loquendi rationem. Brevissima est ad scientiam via, audiendi diligentia. Prudentis et ingeniosi esse de rebus iudicare, uniuscuiusque de iis quae probe novit; ideoque negabat ferendum esse adolescentem, ad pronunciandum ac definiendum proclivem: debere illum in statuendo aut iudicando de re, quantumcumque levi atque exigua, esse cunctabundum, seu potius timidum, conscient videlicet suae ignorantiae. Quod si in iudicio de re qualibet par est adolescentem esse talem, quid fieri de litteris, de disciplinis, de legibus patriis, de ritibus, de moribus atque institutis maiorum? De quibus non solum sententiam ferre iuvenem, sed nec disputare, aut vocare in quaestionem sinebat Firminus: non cavillari, non rationem reposcere, sed tacite ac modeste obtemperare: quod dictum Platonis auctoritate fulciebat, magni illius in sapientia viri.

BERN. - Quid, si sunt leges aut mores pravi, iniqui, tyrannici?

GEN. - Idem et hoc Firminus dissebat quod de senibus. Non ignoro equidem - aiebat ille - multos esse receptos in civitate mores parum probabiles; sanctas leges esse, alias iniquas; sed tu imperitus rerum vitae, quomodo id censemebis? Nondum eo pervenisti eruditione et usu rerum, ut de eo possis statuere. Fortasse, quae tua est ignorantia vel animi libido, improbas esse leges iudicabis, quae sint rectissimae et magno consilio statutae; rursus vero optimas, quas iustum abrogare. Sine illos de iis inquirere, disputatione, definire, qui causam queunt de singularis probabilem reddere: tu id non posses.

BERN. - Ita est plane. Perge ad alia.

GEN. - Nullum esse decentius aut gratiosius adolescenti ornamentum, quam verecundiam. Nihil impudentia tetrius aut invisius. Magnum esse aetati nostrae ab ea periculum: ab ea nos ad turpes actiones

arripi, quarum paulo post gravissime poeniteat. Multum itaque esse cum illa luctandum, quod omnino prosteratur, ne nos ipsa prosterat. Otiosus homo saxum; male occupatus bellua; bene occupatus vere homo. Homines nihil agendo male agere discunt. Cibum et potum metiendum naturali desiderio famis aut sitis; non gulositate, aut prava libidine infaciendi corporis. Quid potest dici rectius, quam hominem ea ingerere in suum corpus edendo et bibendo, quae exuant illum humana conditio, transferant in belluina, aut etiam in stipitem? Compositio oris et cuneti corporis, quemadmodum animus sit intus habitus, loquitur. Sed ex universa exteriore facie nullum animi speculum aiebat esse certius, quam oculos; ideoque convenire illos esse sedatos et quietos, non elatos nec deiectos, non mobiles, sed nec rigentes faciem ipsam non in torvitatem nec ferociam compositam, sed ad hilaritatem atque affabilitatem. Sordes et obscaenitates abesse decet a vestitu, sermone: sermonem nostrum nec arrogantem et pavidum, nec vicious abiectum et effeminatum volebat esse; simplicem autem et minime copiosum, non detortum ad pravas interpretationes; nam, id si fiat, nihil erit tutum loqui, et frangitur generosa loquendi indoles multis atque ineptis cavillis. Manus, quum verba facimus, non iactandas; non caput quatendum; non crispandum latus; non vultum corrugandum et distorquendum; non pedes agitandos. Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud aequa abominabatur, quippe aliud non esset ad vitae communionem perinde damnosum. Multo iustius debere ab hominum consortio pelli mendacem, quam qui sit furatus, aut qui aliquem pulsaverit, aut qui adulteraverit nummum: quae enim esse potest vel rerum ve! negotiorum contractio, vel consociatio sermonum cum eo, qui aliud loquitur, aliud sentit? De sodalibus et amicitiis adolescentium multum ille loquebatur et accurate:

non exiguum id esse momentum ad probitatem, aut flagitia nostrae aetatis: transire ad nos amicorum nostrorum et sodalium mores, tamquam contagia; et tales nos fere fieri, quales si sunt, quibuscum versamur; idcirco ea in re magnam esse diligentiam atque operam navandam. Nec permittebat nobis, ut ipsi amicitias et familiaritates deligeremus, sed ut a parentibus, aut magistris, aut educatoribus nostris delectas et traditas acciperemus et coleremus. Illos ratione duci in eligendo: nos autem rapi prava aliqua animi cupiditate. Quod si quo casu in necessitudines incideremus inutiles aut noxias, a superiori auctoritate admonitos, abiicere illas quamprimum oportere. Dicebat ille cum alia permulta, magna sane atque admirabilia, tum haec ipsa diffusius et exactius. Sed haec erat propemodum de recta adolescentium educatione summa.

BERN. - Ille vere beatus, qui haec praecpta sit diligenter persequuturus!

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 542. - *Tōv ἐξερυθῶν* duo sunt genera: alii calidi et humidi sunt, hepaticique dicuntur, et multum sanguinis generant; pulsus habent plenos, elatos, magnos; multum sumunt alimenti; febribus continuis, synochis putridisque sunt obnoxii. Si in quartanas incidunt, eae longae quidem sunt, sed securae. Alii colorem habent rubrum et hepar praecalidum: sed calor in humiditate positus non est, sed in nescio

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iuli.

quo squallore, siccitate, humiditatis inopia: et hi tametsi rubore alias fugaci perfundantur, suffundanturque, tamen hoc non est indicium abundantis sanguinis, sed calidioris hepatis sanguinem acrem, subtilem serosumque generantis. Sic sunt pauci sanguinis, pulsu satis celeri, non elato, non plano; valetudinarii vivunt; serosis humoribus abundant, febribus longis, hecticis, haemorrhiae detinentur, fluoribus hepaticis, et si in quartanas, alias continuitatem habent, utpote sanguine non humectato nec corde, et inaequalitate in pulsibus perseverante urinas mittunt aquae; et alias in quartanam incident atrabilarium, horrificam. Piores ἐξερυθροί venae sectionem facile ferunt, Posteriores nonnisi cum summa difficultate; hypochondriacis morbis laborant, et obstructionibus mesenterii, et tenaces sunt, et moesti, et facile terrentur, et apprehendunt. Imo in hydropem siccum facile delabuntur. Utrique solemnis subinde est quaedam alvi fluxio, quae dum fiat, ut erat morborum vindex, ita quum cessat, eorum demum est promotrix. In his εὐεξίᾳ et εὐχροΐᾳ mala est: omnis enim εὐεξίᾳ et εὐχροΐᾳ, quae praeter rationem advenit, consuetis naturae legibus non continetur, imo potius est ob veteris et solemnis evacuationis suppressionem, quae ob partium solidarum repletionem et instaurationem nata est. Haec εὐχροΐα solum indicat abdomen plenum esse, mesenterium plenum, unde vetus sterlus illatum illam ὥρρων secundum quid, non absolute, bonum inducit. Εὐεξίᾳ haec morbos a plenitudine indicat, non sanguinis, sed humorum in abdomine contentorum. An praeterea bene habent? Non! HIPPOCRATES (Lib. Coac. animadv.) ait: «Coloris bonitas et sudores sine febri, aut inordinatam diaetam docent, aut vetus sterlus subesse. Haec coloris bonitas bona non est, uti nec ea, quae in peripneumonicis adparet». Sic non quoties quis saturni rubore est, dicere oporteat, eum valde sanum esse, nec

taliter affectum dicere oportet temperamento esse sanguineo. Rubens gena non propterea sanguinis dominatum declarat. Nam bifariam rubent genae, aut propter sanguinis abundantiam, et tum eos sanguineos esse dices, et ii quadrati esse solent, rubicundi. Parum de rebus solliciti (nisi inclinante aetate corpus minime perspire) et liberaliores esse oportet in sanguine mittendo.

§ 543. - In iis, qui febricitant, et insigniter satis, sed non valde sitiunt, et levibus momentis exhorrescent, non est aequum usum magnorum remediorum accelerare, praesertim caelo paulo frigidore. Innumerous vidimus hieme tepido febricitantes eo modo quo descriptum a nobis est, quibus medici praepropere vulgatam minimum medendi viam sequentes, et sectionem et purgationem adhibent. Ecce proticadere sufficit, non scammoniata eradicantia medicamenta, in quo graviter peccatur.

§ 544. - BALLONIUS observavit medicamentum etiam blandum, horis pomeridianis, tribus horis a prandio exhibitum, magnum habere effectum. Hinc dicere possumus, ait BALLONIUS, in his quibus alvus admodum adstricta est, ex usu esse, si quatuor horis a prandio exhibeamus pharmacum.

§ 545. - HIPPOCRATES observat in affectibus pulmonum, praesertim si inflammatio sit, insignem mutationem pulsus, et animi defectionem, quod nos advertimus saepe; imo et quoties multa pituita infarcti sunt pulmones, et si a capite catarrhus illabitur, quidam ita affecti simul putant, sibi animum deficere. Quod pauci animadvertentes, illud ad inanitionem revocant, et ad repletionem confugunt. Pulsuum inaequalitas et nonnunquam intercalatis intermissione potest provenire ab obstructione levium arteriarum: potest et propter pulmonum ipsorum infarctum provenire, aut mollitudinem et laxitatem ipsorum, utpote qui in costas incumbunt, quod adnotavit

HIPPOCRATES: maxime vero videtur fieri ex pravitate anatymiaeos; declarat id indicatque subinde curatio; nam pro graduibus purgationis pulsus restituitur subinde.

§ 546. - HIPPOCRATES (*Prorrh.*, 2) observat in morbis funestissimis contingere quandam leucophlegmatiae speciem, ob malignam qualitatem et flatulentam, quod in phthisico quodam BALLONIUS vidit, cui totum corpus moribundo intumuit, ac facile disparuit.

I. FAM.

ANNALES

Nationum Societas.

Genevae, ex instituti legibus, iterum coadunata sunt tum Supremum Consilium, tum Coetus universus Societatis Nationum; quas sessiones quae de imminuendis armis erunt proxime sequentur. De quo quidem argumento, magis quam de argumentis singularibus in coetu tractandis, magni momenti hodiernus duplex conventus habetur, quippe qui occasionem praebiturus sit variis de vitalissima ad pacem servandam quaestione sermonibus instituendis.

Re quidem vera huiusmodi inter civitatum legatos colloquia quotidie nunciantur; quinimo haec proposita inter Galliam, Italiam et Angliam constituta: quatuor annorum spatium stabiendum ad singularum nationum armorum vires recognoscendas; quibus per spatium idem, nulla exhinc immutatio induci deberet. Hisce vero cautionibus Germaniam obstituram esse dictant.

Neque a re aliena visa est oratio ab austriaco cancellario Dolfuss habita, qui suae civitatis politicas necessitates illustravit ad eam fortem validamque firmam iuxta catholicam doctrinam et corporationum, qui dicitur, ordinem.

Mentionem quoque non omittemus italicae rogationis de oeconomia restaurazione regionum Danubium flumen circumstantium, examini ceterarum Europae civitatum subiectae.

Referemus denique ad sedes temporarias in Consilio Societatis Nationum hoc anno occupandas, electas esse Argentinam, Danicam et Australianam civitates.

* * * Amicitiae et commerciorum foedera.

Huiusmodi foedera recens inter Graeciam ac Turcarum civitatem, pariterque inter Italiam et Russiam inita sunt; de quo quidem italici gubernii dux Mussolini declaravit ipsum iuxta debitam magni illius populi aestimationem iudicandum esse, non quidem ex hodiernis publicarum illic rerum constitutione, a quibus imperia omnino distantia Italiae mens separatur.

* * * Cubana seditio.

Cubana seditio, superiore Augusto mense exorta, perdurat adhuc: praeses praesidatus succedit, dum septentrionalis Americae bellicae naves Habanae in portu eventibus invigilant...

POPULICOLA.

VARIA

Magna inundatio in Gallia Cisalpina.¹

Autumni mensibus (anni MCDXCIM) tota fere in Gallia Citeriore eiusmodi tempestates, tamque continentis pluviae fuerunt, ut in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes praeter consuetudinem excreverit, aedificisque quamplurimis dirutis ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum et mulierum numerum virorumque

¹ Ex P. BEMBI historiis.

repentino impetu oppresserit. Neque in Brixianorum finibus flumina non ingentem stragam ediderunt. Athesis quidem quam Veronae urbis magnam partem pervasisset et complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido deiecit. Medoacus et ipse ripas non uno in loco transgressus, optimam Patavini agri partem illuvie vastitateque foedavit. Padus utriusque ripae vicinitates ita est depopulatus, ut omnia luctu et moerore impleverit.

* * * Locosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER. — Piscibus hoc proprium et singulare est, quod a ceteris animantibus discriminat, eos mutos esse.

TUCCIU. — Papae!

MAGISTER. — Quid istaec exclamatio, Tucci?

TUCCIU. — Cognoscere vellem, qui in aqua loqui posset!

Tuccius amico:

- Designare vales animal, quod magis homini adhaereat?
- Ecquae difficultas? Canis.
- Minime quidem.
- Felis?
- Neutiquam.
- Ecquod igitur?
- Sanguisuga!

* * * Aenigmata.

I.

Herba colore rubro sum dives, odore fraganti. Immuta frontem: blandus amator adest.

Ripae sum margo. Mutatur si mihi paullum Finis, do graeco nomina calceolo.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1). *Venti-lator*; 2). *Do-la-re*.

DE ROBERTI SCOTTI

[21]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

XIII. kal. Mart. progressi sunt ad undeoctagesimi gradus punctum duodetrigesimum. Hic intellectum est mannos te terrime laborantes via amplius procedere nullo pacto posse. Etiam frigora ad trigesimum Celsii gradum descenderant. Scottus igitur, tametsi ad ipsum octogesimum gradum cogitaverat, iam ibi deponi iussit nongenta nonaginta mercium chilogrammata locumque nominavit « Amphorale receptaculum ». Relicta hic sunt cibaria hebdomadarum septem, oleum hebdomadarum duodecim, panis bis coctus, faravenarium, placentae caninae, compressum fenum, calceamentorum nivalium paria duo et duo bacula, duae traheae longae metra terna et singula dimidia metra¹ unius ornatus equi, thermometrum imis metiendis gradibus, duae pyxides, una ignescenti ligno, altera, chocolato plena. Locus ipse editus in metra duo, quo longius conspiceretur notatus est nigro vexillo et coacervatis pyxidibus tosto pane refertis, vel vacuis, ex quibus lucis reflecterentur radii, et aliae pyxides, quibus thea fuerat condita, affixae sunt erectis traheis. Et circumdabant locum equorum valla.

Postero die, qui fuit a. d. XII. kal. Mart., Scottus redire coepit per hibernaculum Discovery ad promontorium Evans, ad quod pervenit XVII kal. Maias. Sed fuit plenissimus laborum redditus. Nam confectis primo die chilometris quadraginta tribus, postridie vel quadraginta octo. IX

¹ Semimetra, si tibi placet, post dicemus.

kal. Mart. canes decepti niveo ponte incidentur in glacie fissum altum viginti metra, ubi pons similis stationem dabat. Aegerime ibi primum pendentes in aere extrahuntur canes. Deinde se Scottus dimitti voluit in inferiorem pontem ad levando duos, qui illic cubabant, canes. Ad extremum tredecim canes, nam tot erant, et viri omnes et merces cum trahis erant in tuto. VIII kal. per ventum est ad eum locum quem « Cellam tutam » vocatum esse supra diximus. Hic Scottus invenit Evans et Cohane et Forde cum uno manulo. Dolent hi duos perisse in reditu. « Magnum damnum est » — inquit — « sed erant veterimae bestiae et minimi pretii. Sed ubi est Atkinson et Crean, quorum nullum hic video vestigium? » Et eodem die contendit cum tribus sociis ad locum Discovery. Casa vacua erat nive, significatumque erat cerussa iacere intus passaeum cum ducis epistolis. Sed nullus ibi conspectus est pasceolus. Postremo Scotto venit in mentem Atkinson et Crean revertisse ad « Cellam tutam »: hos se alia via non conspicere potuisse praete-reuntes. Et paulo post ipsi ad Cellam puo-fici vestigium conspicati sunt traheae, et, quum ad tentoria pervenissent, ab illis sociis salutati sunt. Atkinson reddidit, inter ceteras epistolas, litteras Campbellici, quibus ille nuntiabat in balenarum sinu se convenisse Amundsen, Norvegum, iter poli molientem. Nam Campbell, sicut Scottus praeceperat, Terra nova versus orientem profectus erat, ut in terram Eduardi VII egressus eorum locorum per vestigaret na-

turam. Nam usque ad illam terram ducitur congelatus Rossi sinus. Cuius margo quum nusquam ostenderet occasionem egrediendi, Campbell constituerat regredi, unde profecti erant.

Illati in locum, qui Ballonhafen, id est « aerostati portus », dictus erat, portum ipsum vident evanuisse; paulum progressi conspicantur navem revinctam in maris glaciem. Explicatum illico vexillum Norvegum resalutavit. Inciderant in Amundsen, navarchum, et ipsum iter poli molientem. Campbell et Pennell statim transierunt in Norvegorum navem, cui « Frum » nomen. Qui eos exceptit, Nilsen tribunus, certiores fecit Amundsen in hibernaculo esse trans glaciem a sex chilometris, sed venturum in navem hora nona. Campbell eo tempore reversus salutavit ducem Norvegorum, a quo multa audivit de viri consiliis: se advenisse pridie Non Ian.; inclusum glacie fuisse dies omnino quattuor; hibernatum fuisse in aerostatico portu, sed non iam invento consedisse ad sinum balenarum, qui locus imprimis visus esset ad hiberdandum idoneus. Tum ab Amundsen benigne invitatus Campbell cum duobus sociis se ad Norvegorum stationem contulit. Ampla erat taberna, quae ex culina constabat et ex diaeta, ad cuius parietes loculi erant lectorum. Non longe a taberna complura tentoria erant, et lectissimi canes delicati erant Groenlandini centum sexdecim. Omnibus circumspectis Amundsen hospites pransos reduxit ad navem, in qua vicissim pranderunt Norvegi. Quae res quum legisset in Campbellicteris Scottus: « Haud dubium, quin haec Amundsena consilia meas rationes non nihil turbent. Centum et decem chilometris eius via brevior est, neque unquam pntaveram tot illum canes salvos in congelatum aequor esse educturum. Hos iungere prudentiae esse videtur. Nam sic ei iam maturius proficiisci licebit, quam mihi cum manululis, quos utinam nunc ex hoc

loco in tutum possim ducere! Sed quid refert? Non decet moveri me Amundseno consilio, sed ire pergam proinde ac si nullum noverim Amundsen. Nihil haesitabo, nihil timebo, omnibus viribus gloriae serviam patriae meae ».

Tum vero multis locis glacie dehiscente, amisis, praeter duos, manululis, descendebant in hibernaculum Discovery. Hic satis vixerunt commode maris congelationes exspectantes, Scotto interim admodum sollicito pro hibernaculo suo: restitissetne superiorum hebdomadarum tempestatibus taberna, an non undis obruta esset tam propinquia Murdorio sinu. Itaque Idibus Aprilibus Scottus cum parte virorum nam reliquos cum equis et canibus relinquendos putabat - iter fecit per oram chilometrum quatuordecim. Hic fune delapsi in glaciem littorum sunt. Sed quod ea recentibus inspensa erat crystallis, aegre vehebant traheas, et venerunt ad glacialis linguam circiter dimidiad sextam. Sublatis trahis in murum altum metra duo, leniore lapsu ventum est ad glacialis latus superius hora sexta. Sumpta thea, quamquam ortae tenebrae erant, progressi sunt usque ad horam decimam. Dum dormiunt, furere coepit turbo, quo etiam proximum diem et noctem retenti sunt. Postero die, qui fuit a. d. XVII kal. Mai., hora septima, surrexerunt. Mordebat adhuc frigora, turbo remiserat. Appropinquantibus promontorio signa occurserunt vitae: in nive impressa vestigia, longum filum sericum, quo meteorologus follem tenuerat. Quod firma glacies promontorium late circumdabat, haec via erat in sinum septemtrionalem.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Novembri MCMXXXIII

Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA

MEDITATIONES¹

II.

Mystica Antenna.

Clausus in cubiculo sedeo meditabundus; circum ephemerides, novissimi libri, amicorum et vel ignotorum epistulae me saepiunt, efflagitant ut quam citissime expediantur, animum paene fatigant; paullo longius, e loculamentis, vetustiores ac vetustissimi libri lamentari videntur ut si derelicti iacerent, mensualibus, hebdomadariis, diurnalibus posthabiti, quamvis immerito. Ne cuiquam iniuriam faciam, accedo ad apparatus radiophonicum atque experior hinc illinc quaeritans undas e variis successive Italiae urbibus, ex Austria, e Germania, ex Hispania, ex Anglia, e Laponia, e Sinis, ex utraque America, e proxima, remotaque Africa... Musici concentus, choreae, orationes politicae et sacrae, gynica certamina, commerciorum nuntii, gaudia ac luctus, amores et odia, preces et improperia, sacra atque profana undique me auribus adstantem percellunt, qui tan-

dem fatigatus, clauso apparatu, recedo ac mecum ipse cogito.

Mirum sane instrumentum quo tam multas, tam varias, tam diversas, tam dissitas voces immotus ipse meo in conclavi undique collectas percipere possim; stat antenna super tectum, vibrat, resonat: amicus nuper me docuit et sine antenna apparatus nunc esse inventos; non tamen plane sine antenna, sed maxime deminuta, ut quandoque vix aut ne vix quidem eadam appareat exterius.

Sed nonne et ego antenna? nonne ego multo magis implexa, perfecta atque mira? Ita enim natus sum ut non possim hominemque rerumque vocibus non percelli atque excitari; si hac mea cella egrediar ac per urbis vias solus vager, num solus ero? Si relicta urbe agros petam, silvas, rivos, montes excelsos, num ero solus? Nonne centies centena vocum millia animum commovebunt meum? Si solitudinem quaeritans noctem amavero, noctuque extra urbem, procul a meis, ab amicis, ab adversariis, a notis, ab ignotis aufugero, nonne nox ipsa, me alloquetur? Nonne canum latratus, luscinae cantus suavisimus, columbae gemitus, noctuae ululatus implumbibus insidiantis hirundinum pullis? Nonne mites in caelo stellae sereno; nonne pallida luna per aequora navigans caeli?

¹ Cfr. sup. fasc. mens. Augusti et Septembri.

En itaque, mira quaedam *antenna* ego sum, ita natus atque conditus, ut non possum cum iis quae circumstant non esse coniunctus; hanc ultra coniunctionem quid fingi potest? Forte mors una.

Coniunctio autem prima atque relatio haec est, ut omnia ego percipiam haec atque intellegam; prius extrinsecus et quasi cortice tenus, ut cum luce, sonibus, vocibus, odoribus rerum percussor; quod cum brutis quoque animantibus fere commune habeo; tum penitus quoque descendens aut, si malis, altius consendens, naturam ipsam quaero rerum et causas. Id enim expertus sum vel a puero, ut quum aliquid sensus meos excitet, excitetur in memet animus ipse ardorque pervestigandae rationis (etiam *causam* dicunt, nec modo nostra interest alteram ab altera pressius distinguere) qua excitatus sim; ex ea igitur corporis animique mei commotione, quam *subiectivam* appellant, *objectionem* quaero, magnoque afficiar gaudio si quando invenerim. Non enim omnes per vestigationes meae felicem sortiuntur effectum, immo plerumque causa, quam videor perspexisse, me fugit; tamen animo non deficio; fieri enim potest ut quod quaero, id prope iam iam sit; itaque redeo cautus atque tenax ad experimenta et meditationes. Quid autem quaero? Obiectum, quod appellant, rem uti est, uti nata est ipsa ad memet percellendum atque excitandum, nec me unum sed quotquot homines sunt. Quum enim Marconius noster favillam undamque radii perceperat, nos docuit quae ratione et ipsi percipere possimus, nosque opportunis donavit apparatibus tam miris, ut vere Dei donum et ipse et nos grati recepisse aestimemus.

Evidem non ignoro novis extitisse diebus, qui hanc nostram rerumque naturam foede pervertentes, docerent hominem tantis tamque multis licet excitatum vocibus, detegere et cognoscere nihilominus nunquam posse res hominesque unde

manaverint aut quid sint; hominem non posse nisi phaenomena attingere, nihil nisi sua unius sensa, nihil nisi suam ipsius *ideam*. Eloquar? Atque tamen iidem rebus utuntur: charta, atramento, vestibus, cibis, hac radiophonica machina, prout ab aliis hominibus sibi apparantur et exhibentur; et tamen iidem commercia cum hominibus fovent, vocem nostram sese audire fatentur, conviciis respondent si quis de eorum somniis dubitaverit; exprobrant sartorem, si vestis forte non cadat ad unguem, pretiumque recusant ni prius vitia correxerit, vecturas publicas adhibent, iubentes aurigam aut etiam *autistam*,¹ quo duci cupiant; cavent ne, dato signo, frequentiores in urbe transgrediantur vias. Quibus manifesto ostendunt sese aliud docere, aliud autem agere; aliam profiteri philosophiam, aliam vero plane agere vitam....

Redeo ad apparatum radiophonicum, exterior, quaerito hanc illam stationem ut indicat aptus prospectus apparatu ab artifice adiectus; en percipio Viennam, Budapestum, Londinum, Matritum, Tokium, alias aliasque stationes; ab apparatu ad libros accedo: mihi obviam veniunt Plato, Aquinas, Iustinianus, Cicero, Vico, Dantes alii atque alii permulti; omnes intimo animi gaudio excipio, interrogo; subrident; monent ne commovear novissimis deliramentis; hominis ingenium esse prope divinum non quod quidquam creare, non quod nihil possit nisi se ipsum cognoscere, sed quod multo perfectius possit quam antenna radii voces undique recipere, percipere, intelligere, ut ex iis quae tanta copia per orbem diffusa bona contemplatur consendat altius gestiens ad Eum, qui est.

SYLVIA ROMANI.

¹ *Autistam* dicunt, nec sine elegantia quadam, qui automobile dirigit; *automobile* autem dicimus vehiculum quod sese ipsum movere videtur; movetur autem combusto benzino. - *Autocurrum* dixerim, ni latine proprius *autessendum*, qui mercibus vehendis sit aptus currus, et eadem ratione vehatur: itaque *autistam* utriusque convenire censeo.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA²

De quibusdam adverbii eleganter convertendis.

A) - Regulae generales

I. - Nonnulla adverbia linguae vernaculae latine substantivo haud invenuste redduntur;³ v. g.:

Marcellus *insidiis* (= insidiose) interfectus est (Cic., Att. XIII, 10).

Ne palma detur cuiquam artifici *iniuria* (= iniuste).

Nonne emori *per virtutem* (= fortiter) praestat, quam vitam miseram atque dishonestam *per dedecus* (= turpiter) amittere? (SALL., Cat. 20, 9).

Praetores *merito* (= convenienter) ac *iure* (= iuste) laudantur (Cic., Cat. III, 6).

II. - Pro adverbio adiectivum aut participium usurpamus, quem statum vel animum agentis attendimus, potius quam ipsam actionem;⁴ v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Idecirco substantivum usurpat, quia non raro adverbium deficit; v. g.: Fabellas latinas *ad verbum* de Graecis expressas legunt (Cic., De Fin. 1, 2).

b) Duo substantiva unius adverbii locum tenere possunt; v. g.: *Ratione* et *via* (= distribuite), ordinatio et methodice).

c) Substantivum sic adverbii vim habet, ut saepe cum adverbio coniungatur; v. g.: *Recte* atque *ordine*. - *Praeclare* et *loco*.

³ Latine adverbium substantivo fere non apponitur, nisi

a) aut substantivum verbo oritur aut certe verbi notionem continet; v. g.: Ego ille pacis *semper laudator*, *semper auctor* (Cic.). — *Minime* largitor dux (T. L. VI, 2, 12).

b) Aut substantivum rem indicat quae gradus admittit; v. g.: Filium Persea, *puerum admodum*, mittit (T. L. XXXI, 28, 5. — Rusticanus vir, sed *plane vir* (Cic., Tusc. II, 22, 53). — *Paene miles* (Cic.).

c) aut designatur quoties quis quodam munere functus sit; v. g.: Cum eo *quartum consule* miles profectus sum (Cic., De Sen. 5, 10). — Flaminius *consul iterum* (Cic., Div. 35).

Illi haud *timidi* resistunt (SALL., Cat. 60, 3).

Laetus moriar.

Mortem venientem nemo *hilaris* excipit, nisi qui se ad illam diu composuerunt (SEN., Ep. 30, 12).

Laeti et *agentes* gratias pareamus (Cic., Tusc. I, 49, 118).

Nemo fere saltat *sobrius* (Cic., Mur. 6, 13).

Natura ipsa de immortalitate animi *tacita* iudicat (Cic.).

Item, quando exprimenda sunt actionis vis, *ordo*, *tempus* aut *locus*; ⁵ v. g.:

d) aut adverbium velut adiective sumitur; v. g.: Omnes *undique parricidae* (SALL., Cat. 14, 3).

N.B. - Ne adverbium substantivo adnectatur, Latini saepe participium addunt aut propositionem relativam; v. g.: Videsne montes procul *sitos*? — Homines qui nunc sunt.

¹ a) Non saepe in adiectivum « nullus » migrat; v. g.: Rempublicam iamdiu *nullam* (= non) habemus (Cic.). — Misericordia, quae tibi *nulla* debetur (Cic.). — Philotimus *nullus* venit (Cic., Att. XI, 24, 4).

b) Adverbium intensivum, ut aiunt, cum comitate adiectivo aut participio saepe affertur adiectivo cognatae significationis; v. g.: *Gratus acceptusque* (= valde acceptus) (Cic.). — *Inimicus* atque *infestus* (= valde infestus) (Cic.). — *Insuperatum* et *necopinatum* (= omnino insuperatum) malum (Cic.). — *Falsa* et *inanis* spes. — *Dixit* et *formae gloria fluxa* atque *fragilis* est (SALL.).

c) Pro adverbis quantitatis cum genitivo rei totius, frequentius usurpant adiectiva eis respondentia, quum potius rei amplitudo designatur, quam copia; v. g.: *Quanta ignorantia* (= quantum ignorantiae) inest animis! — *Tanta doctrina* — *Tantillus* labor — *Nultus* ardor — *Minimus* comatus — *Exigua* gloria — *Aliqua* virtus — *Minor* fama — *Magna* celebritas — *Major* constantia — *Maxima* pietas — *Nimia* pigritia.

N.B. - 1) Quum designare numerum intendimus, usurpantur alia adiectiva pluralis numeri; v. g.; *Quam multi homines* laetabuntur! — *Quot dies* erimus in Tusculano? — *Tot testes* — *Totidem libri* — *Tam pauci* flores — *Nulli* milites — *Paucissimae* leges — *Pauca* carmina — *Aliquot* nummi — *Multae* sententiae — *Plures* aces — etc..

2) Potest etiam utrumque simul designari, et adiungi praeterea gradus qualitatis, expressae per adiectivum; v. g.: *Civilis* quaedam ratio est, quae *multis* et *magnis* ex rebus constat (Cic., De Inv. 1,

- Homines qui se *totos* (vis) tradiderunt voluptatibus.

In operibus, in agmine atque ad vigilias *multus* (vis) adesse (SALL., *Jug.*, 96, 3). - Ferte *citi* (vis) flamas (VERG.).

Pisistratus *primus* (ordo) Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus (CIC., *De orat.* III, 34, 137).

Duobus summis oratoribus, Crasso et Antonio, L. Philippus *proximus* (ordo) accedebat (CIC., *Brut.* 47, 173).

Vespertinus (tempus) pete tectum (HOR.).

Seruus (tempus) in caelum redeas (HOR., *Od.* I, 2).

Diversi (locus) consules discedunt (TIT. LIV.).

Praesens (locus) gratulari (= coram, in praesentia) (CIC., *Fam.* XV, 14).

Telum *medium* (locus) accensum (TIT. LIV.).

Aversam (locus) adoruntur aciem (TIT. LIV.).

Quarta est urbs, quae, quia *postrema* (ordo) aedificata est, Neapolis nominatur.

Vos exemplaria graeca *nocturna* (tempus) versate manu, versate *diurna* (tempus) (HOR., *De arte poetic.*).

Sublimis (locus) abiit.¹

III. Quaedam adverbia linguae vernaculae latine pronomine exprimuntur, comitante aut non comitante praepositione; v. g.:

Per se (= ultiro) fatentur (TIT. LIV.).

Praeclara quaedam (= vere) virtus.

Iovis soror eademque (= simulque) coniux.

5). - Pompeius propagatione vitae *quot*, *quantas*, *quam incredibiles* hausit calamitates! (CIC., *Tusc.* 1, 35). - *Tot et tantae et tam graves* civitates, tota denique Sicilia (CIC., *Verr.* II, 5).

¹ Poëtas maxime iuvat adiectivum pro adverbio usurpare. Quos sobrios in soluta oratione imiteris velim - Sic, v. g., dices: *Cupide*, *avide*, *studiose* aliquid facio.

IV. - Adverbia quae verbum comitantur latine eleganter altero verbo redduntur. Tunc

¹⁾ aut ab eo prius verbum regitur; ⁴ v. g.:

Admirari soleo (= admiror saepe) gravitate et iustitiam et sapientiam Caesaris (CIC., *Fam.* VI, 6, 10).

Caesar *maturat* ab urbe *proficiisci* (= cito proficiscitur) (CAES., *De bel. gal.* I, 7).

Quod *timere desino* (= non iam timeo) (CIC., *Pro Deiot.* 2, 4).

Ego te commendare *non desisto* (= semper commendō) (CIC., *Fam.* VII, 7, 1).

²⁾ aut duo verba sunt synonyma; ² v. g.:

Divellere ac distrahere (= violenter distrahere) (CIC., *Planc.* 42, 102).

Aliiquid *cernere et videre* (= distinete videre) (CIC., *De Or.* III, 4, 161).

Regem *spoliatum expilatumque* (CIC., *Verr.* II, 4, 27, 63).

Orare atque obsecrare (= instantius orare) (CIC., *Verr.* II, 2, 17, 42).

Cupere et optare (= multum cupere) (CIC., *Phil.* XIV, 1, 2).

Debitosiam mortidestinatosque (= certo destinatos) (TIT. LIV., XIV, 25, 3).

V. - Vei integra propositio locum tenere potest adverbii; v. g.:

Quod ni ita se haberet (= alioqui), nec iustitiae ullus est, nec bonitati locus (CIC.).

¹ Negatio comitatur saepe verbum, quod sic adverbii locum tenet; v. g.: *Non intermitto* (= semper) - *Non noto* (= libenter).

²a) Tunc hisce verbis exprimuntur et actio et gradus, ut ita dicam, actionis.

b) Hic synonymorum usus non solum valet pro verbis adverbiorum vices gerentibus, sed est regula generalis. Nam synonymia est una e genuinis linguae latinae proprietatis. Synonymia enim stilo Latinorum confert aliquando quidem perspicuitatem et vim magis expressam, saepe vero numerum, copiam et maiestatem, tum in singulis propositionibus, tum praesertim in periodis.

Dum haec geruntur (= interea), La-bienum Treveri adoriri parabant (CAES.).

Quo facto (= postea) - *His rebus gestis* (= postea).

B) - Regulae speciales

I. - In initio sententiae, « *neque* (*nec*) » fere usurpatur pro « *non* » ante « *vero*, *autem*, *tamen*, *enim*, *igitur* »; v. g.:

Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur (CIC., *De orat.* 1, 8).

Neque tamen Catilinae furor minuebatur (SALL., *Cat.* 24).

Neque enim fas esse arbitror quidquam me rogantem abs te non impetrare (CIC., *Fam.* V, 12).

Nec vero illum commotum esse vidi (CIC., *Phil.* I, 4).

II. - Pro « *non* » usurpant:

¹⁾ ad negationem augendam, « *mi-nime*, ¹ *nequaquam*, *ncutiquam*, *haud-quaquam* », ² et, cum verbis tantum « *nihil* »; v. g.:

Iis qui in provinciis sunt *minime* placet (CIC., *Leg.* 3, 8).

Nequaquam ista amicitia est (CIC., *Fin.* 1).

Cui te socium *neutiquam* puto esse oportere (CIC., *Att.* IX, 10).

Haudquaquam id est difficile Crasso (CIC., *De orat.* 2, 33).

Hoc tamen opus in apertum ut proferas, *nihil* postulo (CIC., *Parad.* I, 1).

Beneficio isto legis *nihil* utitur (CIC., *De Leg. agr.* 2, 23).

Demosthenes *nihil* Lysiae subtilitate cedit (CIC., *Orat.* 31, 110).

¹ « *Minime* » inquit TURSELLINUS non penitus negat, si vim eius propriam speces; v. g.: Mihi placebat maxime vel *minime* displicebat (CIC., *Brut.* 57).

² Item « *haud sane* »; v. g.: Rem *haud sane* difficilem admirari videmini (CIC., *Sen.*, 2). - *Haud erat sane* quod quisquam ratione ac doctrina requireret (CIC., *Tusc.*, 3).

²⁾ ad negationem mitigandam, « *mi-nus* » vel « *parum* »; v. g.:

Nonnunquam quae praedicta sunt *mi-nus* eveniunt (CIC., *Dio.*, I, 14).

Minus recte dicere, *minus* recte sese gerere.

Si *minus* necari, custodiri oportebat (CIC., *Verr. de supp.*, 27).

Quaeram ex te ea quae *parum* accepi (CIC., *De Nat. deor.* 3, I).

III. - Cum verbis:

¹⁾ loco « *parum* » dicunt « *non mul-tum* », ¹ « *non magnopere* »; v. g.:

Hoc *non multum* curo.

Quorsum recidat responsum tuum *non magnopere laboro* (CIC., *Pro Rosc. Com.*, 15).

²⁾ « *multum* » vel « *non minimum* » vel « *non mediocriter* », pro « *non parum* », « *haud parum* »; v. g.:

Nos cum *multum* litterae, tum *non minimum* idus quoque martiae consolantur (CIC., *Ad Attic.* XIV, 13, 3).

Id vero *non mediocriter* pertimesco (CIC., *Ad Quint.* I, 2).

³⁾ « *quam non multum* », vel « *quam nihil* », vel « *quam non* » pro « *quam parum* »; v. g.:

Quam hoc non curo (CIC.).

⁴⁾ « *adeo non* » pro « *tam parum* »; v. g.:

Quorum (= scelerum) adeo Syllam *non paenitet*, ut et facta in gloria numeret (SALL.).

IV. - *Qui* pro *quomodo* usitatum est plerumque in interrogative; v. g.:

Qui fit ut ego nesciam? (CIC., *Fin.* 2, 4).

Sed nos deum, nisi sempiternum, intelligere *qui* possumus? (CIC., *Natur. deor.* I, 10).

Quaero, *qui* Milo scire potuerit (CIC., *Mil.*, 17).

¹ Dicunt « *non multum* abest quin » vel « *paullum* abest quin ».

V. - «*Bene*» praeter vulgarem usum, saepe auget et pro «*valde*»; ponitur v. g.:

Bene mane haec scripsi (Cic., *Att.* XIV, 13).

Bene ante lucem (Cic., *Orat.* 2, 64).

Quos aut imberbes aut *bene* barbatos videtis (Cic., *Cat.*, II, 10).

Adolescens non minus *bene* nummatus. quam *bene* capillatus (Cic., *De leg. Agrar.* 2, 22).

Bene iratus - Oratio *bene longa* - *Bene magna caterva*.

Auctores *bene* multi.

VI. - In enumerationibus, non usurpan- tur numeralia *primum*,¹ *secundo*, *tertio* ... etc..., nisi strictus sit numerorum ordo

1º) In tripartita enumeratione rerum, saepe usurpatur *primum*, *tum*, *post* vel *deinde*;² v. g.:

Primum igitur est de honesto, *tum* de utili, *post* de comparatione eorum disserendum (Cic., *Off.* I, 3).

Quae *primum* bene parta sit, *tum* quam plurimis se utilem praebeat, *deinde*

¹ a) *Primum* et *primo* hoc ferme differunt, quod *primum* ad ordinem rerum pertinet; *primo* ad tempus. Aliquando tamen *primum* de tempore dicitur *tum* apud Ciceronem, *tum* vero praelestum apud alios (TURSELLINI, p. 122).

b) *Primum* saepe adsciscit 1º) *deinde*; v. g.: *Primum* ut monitio acerbitate, *deinde* ut obiurgatio contumelia caret (Cic., *Am.* 24); 2º) vel *post*; v. g.: *Primum* redditus intercesserat in gratiam per Pompeium: *post* autem Caesaris, ut illum defendere, mira contentio est consecuta (Cic., *Fam.* I, 9); 3º) vel *postea*; v. g.: Ego incolumit civium *primum*, et *postea* dignitati consulebam (Cic., *Phil.* II, 15); 4º) vel *tum*; v. g.: Te valere tua causa *primum* volo, *tum* mea (Cic., *Fam.* XVI, 3).

NB. - Adverbio *primo* itidem respondet *deinde* aut *post*.

² Alias *primum*, *deinde*, *tum*, vel *postremo*; v. g.; *Primum* mihi videtur de genere belli, *deinde* de magnitudine, *tum* de imperatore diligendo esse dicendum (Cic.).

NB. - Aliquando tertio loco ponitur *ad extremum*; aliquando *postea*; aliquando *tertium est* vel *accedit*, vel aliquid simile (Cf. TURSELLINI, *De particulis latinae orationis*).

augeatur ratione, diligentia, parsimonia (Cic., *Off.* I, 26).

2º) In quadripartita autem divisione saepe adhibentur *primum*, *deinde*, *tum*, *postremo*; v. g.:

Primum ut te tanto intervallo viderem; *deinde* ut tibi possem praesens gratulari; *tum* ut quibus de rebus vellemus inter nos communicaremus; *postremo* ut amicitia nostra confirmaretur vehementius (Cic., *Fam.*, XV, 14).

3º) Enumerationes vero longiores solent esse liberiiores.¹

VII. - Adverbio «*fortasse*» eleganter substituunt «*haud scio an*,² *nescio an*», et, si negatio sequatur «*haud scio (nescio) an non, an nemo, an nullus, an nihil, an musquam, an nunquam*»,³ v. g.:

¹ a) Interdum etiam *primum* omittitur, et pro *postremo* subiicitur *tum ad extremum* (Cf. TURSELLINI).
b) «Ceterum in partitionibus quatuor, quinque et plurium membrorum nimis solent esse infinitae harum particularum combinationes, nec certa ratio assignari posse videtur. Modo enim eadem particula iterum ac saepius sola repetitur, modo aliis interse- ritur, modo omittitur; quae sunt aurum sensu judi- canda» (TURSELLINI).

² «*Haud scio an*» usurpatur pro *fortasse*, quum verecunde aliquid, quod dubium esse posset, affirmare volumus; v. g.: Vir sapientissimus atque *haud scio an* omnium praestantissimus (Cic., *De Nat. deor.* 2, 4).

NB. - «*Haud scio an*» aliquando usurpatur pro *fortasse non*; v. g.: *Haud scio an* satis sit eum qui lassicerit iniuriae paenitere (Cic., *De Off.* I, 11).

³ Verbum «*dico*» usurpatur in latino sermone, *haud secus ac in vernacula lingua*, pro adverbio «*scilicet*» aut huiusmodi. Substantivum sequens ester- tur casu praecedentis; v. g.: *Quid est dulciss otio litterar? is dico litteris*, quibus infinitatem rerum co- gnoscimus (Cic., *Tusc.* V, 36, 105). Quam hesternus dies *nobis*, *consularibus* dico, turpis illuxit! (Cic.).

NB. - a) Attamen, si substantivum praecedens efferatur nominativo, consequens accusativo efferendum est; v. g.: Summi oratores, Antonius dico et Crassum.

b) Pro «*dico*» usurpari etiam potest «*id est, hoc est*»; v. g.: Comitibus tuis, *id est* scelerum adiu- toribus, faves. - Ligatus cum decem leopardis, *hoc est* militibus qui me custodiunt (S. HIERON., *De Viris illust.*, vol. 2).

Est id magnum atque *haud scio an* maximum (Cic., *Fam.* IX, 15).

Eloquentia quidem *nescio an* habuisset parem *neminem* (Cic., *Brut.* 33, 126).

Qua (= amicitia) quidem *haud scio an*,

excepta sapientia, *nihil* melius homini sit a diis immortalibus datum (Cic., *De Am.* 6, 20).

(*Ad proximum numerum*).
S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

"ALMAE ROMAE" SOCIVS ALTER MAXIMO AUREI NUMISMATIS PRAEMIO HOC ANNO ORNATUS

Doct. Ignatius Andreetta, tarvisinus pro- fessor, nunc Barii in schola technica nautica, hic est, qui in poëtico certamine quod inter nationes indixerat *Académie des jeux flori- montains de Chambéry*, super argumento *Le Christ au Mont-Blanc*, carmen alcaicum ce- cinit, quod sequitur.

Viro clarissimo ex animo gratulamur, et amplissimas gratias referimus quod in nostris paginis carmen ipsum edendum tradiderit.

*Rex Christe, celsus en habitas iugo
Alpis superno, quo modo terminos
rerum in silentio videbis,
nos ita qui faciunt feroce...*

*Sursum locare, Pacifer, omnium
in corde nostrum: tunc Patriae solum
orbisque terrarum, virorum*

sic Paradisus erit, Redemptor!

*Illic in Alba gaudeo Te, Deus,
videre Rupe: Rex equidem esne Tu?
o Christe, de nobis triumpha!*

Plus Syrio rutilans, serenus

*rebus virisque nunc vigilas dies
noctesque duris: dum celer ut nigra*

nubes homo transit per orbem

saepe viam lacrymis serendo...

*Brevis diei quando laboribus
fessus quiescit et placidis levat
sic membra somnis, en cruenta,
insidias meditatur acres...*

*O nos videre celsa doce, Deus!
Nos altus Aether, omne vocat Tuum
mysterium ac Tui profundum
roboris, et bonitatis ardor.*

*O estne Amoris semita quae iuga
scandit per alta? Teque Viaticum
semper fero meum. Repentes
en populi pariterque scandunt.*

*Gravi et nitenti pervalidi in via
iuvant cadentes: Livor abest eis:
namque esse pauperes bonosque
Bethlea nos docuit Caverna.*

*Cur vero nimbis nunc video nigris
Te convolutum? Cur feras acriter*

*Te verberat turbo? Frementes
cur ululant Boreae per auras?*

*Quae vis ab imis concutit omnia
de monte labes praecipitat, nives
devolvit arboresque vellit,
tecta casae tegulisque nudat?*

*Caeca est quidem vis. Sed Tua Gratiae
sunt regna nobis: nos etenim Sacro
omnes redemisti Cruore
assidueque vocas, Redemptor!*

*Tuti procellas sic superant viri
et innocent se gravibus novant
laboribus vita, Tibique
multiplicant soboles, Creator.*

*Post vero belli fulmina maximi,
ubique luctus et rabies, dolis
et arma secreto parantur ...
O miseros! Niveo ac superno
nobis cupidam de solio impera
pacem: memento, Rex Dominantium,
et invidiae Europee in annos
consocia populos et Orbis.*

Tarvisii (in Italia) - Kal. Mart. MCMXXXIII

VETERA ET NOVA

De mulierum ambitione.

Cogitanti mihi quot quantaecque sint curae atque sollicitudines, quibus nostris hisce diebus foeminae ambitionem suam persequantur, sponte in memoriam primo reddit crinum cultus, quem penes mulieres graecas floruisse scimus. Ipsae enim quum primum e cubili surrexisse, in secretum locum ad comarum leges exstructum sese recipiebant, ubi ancillarum ministerio capillos aqua pluries collutos, summa cum diligentia purgabant pulvere ex ebeno aut coloribus, quibus pridie vesperi infecti erant. Deinde exquisitissimis unguentis suaviter olentibus crines deliniebantur, ex quibus praecipue notandum irinum, amaracinum, telinum, nardum, atque *παραθήναιον*, quod Athenarum proprium erat. Variorum autem colorum, quibus a graecis foemini coimas suffectas memoriae proditum est, fulvus acceptissimus fuisse videatur, crinibusque tinctis supercilia ex penicilli artificio perfecte respondebant.

Industriae pectinis etiam calamister accedebat, quo, inurebantur crines, qui in unum collecti quodam modo, apud Thebanas praesertim mulieres, in occipite aut in capitis vertice devinciebantur, ut mos

nostram usque ad aetatem viguit, donec nempe usus comas praecidendi capillosque ad masculinum prope habitum, ridicule plerumque, aptandi, invaluit. Quae quidem ratio capillos colligandi λαμπάδιον, id est parva lampas, dicebatur, cum lampadis forma, tum fulvo colore, quo contortae niterent comae.

Saepe etiam vittis sericis acu pictis, vel auro illusis crines colligebantur: latior lemniscus, auro plerumque ornatus, diadematis instar a summo capite ad imum occiput capillorum volumina complectebatur; quod interdum fiebat reticulis sive sericis, sive aureis filis contextis. Tanti autem apud matronas graecas crinium erat ornatus, ut nunquam in publicum prodire tonsis comis - (mulieres nostrae audiant!) - ausae sint, nisi graves lugerent calamitates, quibus patria premeretur. At ceteris posthabitis, quae ad patriam defendendam non pertinerent, nihil impediebat quomodo ipsae incredibili cura ac sollicitudine comis excolendis navarent operam.

Praeterea graecae foeminae et artem perfecte callebant corporis — faciei praesertim — via plane occultandi, et qua, capillis deficientibus, caput fictis comis perbelle decorarent. Ad venustatem corporis augendam, vultus rugas fuco et artificio complentes, spectatorum oculos decipiebant: tum genae ac labia purpureo suffusa pigmento nitebant; supercilia, uti diximus, crinium plerumque inficiebant colore, ipsaque lumina nova quodammodo luce vivificari videbantur. Officia insuper nigrans delebatur circulus, quem dolor aut insomnes noctes circum oculos impressissent.

Uno verbo, graecae mulieri, ut traditur, quinquaginta circiter rebus opus erat ut pulcro pateret aspectu, nempe vasibus parvisque ampullis, unguentis iucunde olenibus, oleis suavissimos halantibus odores, speculis varia figura et magnitudine, pectine, calamistris, fucis, coloribus, peni-

cillis, peniculis, ceterisque id genus multis, quae... nostris quoque temporibus plane perfecteque adhibita a foeminis videmus, nihil, post saecula tot tantamque christianam traditam institutionem, a veterum ambitione discrepantibus!

HER.

SAPIENTIUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE PROPAGATIONE MICROUNDARUM ELECTRICARUM.

Quae de microundis ex ultimis Marconianis experimentis didicimus iterum in disputationem inducunt, et quidem sub nova forma, problema de propagatione undarum electricarum.

Agitur de experientiis, quae Marconi ipse instruxit et perduxit cum undis 60 centimetrorum longitudinis a statione ad *Rocca di Papa* emissis et ad oras Sardiniae insulae receptis.

Sunt autem duo isti termini plusquam 250 chilometris dissiti, nec datur proinde linea aërea recta inter eos; obstat enim terrae rotunditas.

Quaestio igitur est de definiendo processu, quo undae ad terminum pervenerint.

Quum de undis quas breves dicimus, hoc est quae ad longitudinem aliquot metrorum pertingunt, agitur, ratio cur recipi possint in locis valde dissitis assignari solet in repulso per stratus ionizatos, qui a Kenelly et Heaviside nomen ducunt. Sed in nostro casu huiusmodi hypothesis omnino reiicienda videtur.

Experienciae enim ita ductae sunt ut ipsa undarum trajectiva per puncta successiva investigationi subiecta fuerit.

Apparatus enim quibus undae captabantur in navi erant, et navis ipsa a statione emittenti recedebat Sardiniam versus procedendo; praesentia vero undarum fere constans per totum iter exstabat.

Agebatur ergo de radiis qui terrestres dicuntur, eo quod procedunt iuxta terrae superficiem, et qui adesse inventi sunt non tantum in prima zona, quando locus emissionis adhuc in visu erat, sed etiam longius in zona umbrae, quo nempe radii pervenire non poterant per lineam rectam.

Duplicem vero rationem proponere possumus ad quaesitum solvendum; et prima quidem: propagatio fieri potuit per diffractionem.

Novimus enim ex inquisitionibus quas primus P. Grimaldi instituit, quamvis lux directe ad aliquod punctum pervenire nequeat nisi nullum adsit opacum corpus interpositum, indirecte tamen pervenire posse etiam si obstaculum adsit, et quidem per excitationem existentem in punctis luci expositis.

Sed in hac zona umbrae lux non adest aequabiliter distributa; dantur enim interferentiae, quae fimbrias obscuras et luminosas alterna vice producunt.

Utrum haec fuerit ratio, qua in experienciis Marconianis undae ad locum receptionis pervenerint, nec asserere nec excludere possumus. Dubii autem solutio nonnisi ex experimentis pluribus in locis iteratis exsurgere poterit.

Sed est alia via considerationi proponta. Potuit enim propagatio undarum repercuti per ipsam refractionem.

Quod enim in lucis propagatione fieri novimus, nempe radios progredientes per medios, quorum densitas alia et alia sit, diversimode repercuti, ita ut radiorum trajectio etiam incurvata evadere possit, id et in propagatione undarum electricarum admittendum est.

Porro iam in theoria a Maxwell propota, iuxta quam propagatio lucis reducitur

ad phoenomenum electromagneticum, index refractionis cuiusdam substantiae pendet a proprietatibus electricis ipsius; ponitur enim index ipse aequari radicem quadram constantis dielectricae.

In idem recidit hodierna theoria electronica, ut a Lorentz iam ab anno 1909 proposita est.

Sed haec aliquid amplius addit, quod nempe index refractionis non solum a natura medii pendeat, sed etiam a frequentia undarum, et sic ratio assignetur etiam pro dispersione lucis.

Formula Lorentziana, pro indice refractionis alicuius substantiae dielectricae, continet praeter massam inertiam particularum electricarum, etiam numerum earum, et frequentiam propriam quam in substantia retinunt, denique ipsam frequentiam undarum pertransentium.

Haec sunt proinde quae ad determinationem traiectionis pro radiis undarum electricarum, per similitudinem cum radiis lucis, habere necesse est. His cognitis, omnia quae ex experientia fieri novimus pro radiis luminis, extendere fas est et ad radios undarum electricarum.

Neminem vero latet radios lucis in quibusdam circumstantiis ita flecti per refractionem, ut visibiles evadant res quae infra horizontem permanent, ut etiam pro radiis solis occidentis et orientis experimur, vel obiecta extendere in altitudinem, vel repellere speculari modo, ut in eo quod «miraggio» dicitur, et «fata morgana».

Simile quid verificari pro undis electricis absque dubio admittendum putamus.

Statutis ergo conditionibus, radii emissi a statione quadam radioelectrica possunt traiectionem sequi quae terram versus inclinetur vel desuper versus. Generatim formam parabolicam sequuntur.

Quae autem ad traiectionis formam determinandam ingrediuntur, ea tria sunt quae ad assignandum refractionis indicem

requiruntur, numerus nempe et frequentia corpusculorum, et frequentia undarum.

Haec vero ab ipsa statione emittente data est, exempli gratia in experientiis Marconianis, in quibus undae longitudo 60 circiter centimetra attingebat, frequentia assignanda est ad 500.000.000 cyclorum.

Frequentia vero propria corpusculorum probabilitate accipienda est ex iis quae ex radiis gamma cognoscimus; eiusdem enim naturae esse videtur.

Numerus denique corpusculorum pendet ab intensitate ionizationis in dielectrico, hoc est, in problemate de quo agitur, a ionizatione aëris, quae alia et alia erit iuxta superpositos stratus.

Si ionizatio uniformis sit, lineae propagationis, quas etiam radios dicere possumus, recto procedent itinere; medium enim, quod pertransire necesse est, constantem habebit potentiam refractivam.

Generatim tamen hoc non habetur, et radii traiectionem sequentur curvam.

Si ionizatio increscit cum altitudine, radii flectentur terram versus; et si curvatura traiectionis quum sit eiusdem signi, esset etiam eiusdem amplitudinis ac radius terrestris, tunc undae procedent per circulos maximos qui terram circum volvunt; si vero curvatura maior erit ac curvatura terrae, tunc undae pertingent ad puncta superficialia terrae dimissioris altitudinis, veluti missilia quae gravitati oboedient.

Si denique ionizatio decrescit cum altitudine, tunc radii incurvantur desuper versus et nunquam ad superficiem terrestrem pertingent.

Generatim ionizatio increscit cum altitudine, proinde nulla adest difficultas eo quod undae huiusmodi perveniant ad stationes recipientes, etiam valde dissitas, per simplicem refractionem.

Statuenda tantum sunt conditiones pro unoquoque casu, et praesertim statuendum est qua lege numerus corpusculorum,

vel, quod idem est, intentio ionizationis, pendeat ab altitudine.

Sed haec statuere non licet, nisi postquam per multiplices experientias, substantia et circumstantiae phoenomenorum nobis innotuerint.

Satis nobis erit viam hodie ostendisse, qua ad solutionem quaestioneis pertingere fas erit.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTITIAE.

RURSUS DE RADIIS COSMICIS.

H. Hoerlin ex «Instituto Physico» urbis Stuttgart refert in «Nature» ea quae ex pervestigationibus a Societate Alpina Germanica et Austriaca in radios cosmicos institutis, tum circa altitudinem, et quidem usque ad 6.100 metra, tum circa latitudinem, et quidem a linea aequatoriali usque ad 54° latitudinis borealis, deducenda sunt.

Quod ad latitudinem pertinet, intentio decrescit ex 8,3 ad 7,4 *voltis*, procedendo ex urbe Amburgo ad lineam aequatoriale, hoc est e 54° latitudinis borealis ad nullum, et vicissim increvit usque ad 8,05 ex linea aequatoriale ad Magellanum. Ratio igitur decrementi fuit duodecim per centum (12%).

Linea quae variationem intentionis representat descripta fuit per puncta ex observationibus quotidie peractis durante itinere, et omnino regulariter procedit.

Confirmantur proinde quae alias hac de re retulimus.

DE PENDULO ELECTRICO.

Marianus Pierucci refert extare adhuc in athenaeo Mutinensi pendulum electricum, quod primo agi coepit anno 1839. Opportune commemorat idem Auctor Abbatem Zamboni, Veronensem, pilam electricam sine liquido iam ab anno 1812 confecisse, et circa annum 1830 horologium electricum construxisse.

Zambonianum horologium pendulo electrico utebatur, quod nempe per contactum alternatum cum polis oppositi signi cuiusdam pilae siccae agebatur.

Durante saeculo elapsu huiusmodi pendula in pluribus musaeis physicis videri poterant, sed certe quod Mutinæ asservatur ex antiquissimis est, et tamen adhuc in motu.

Certe non sine interruptione, nam ut ipse Pierucci ex documentis invenit, frequentia oscillationum paullatim decrescere per notam pilae polarizationem apparuit, et iam anno 1847 pendulum stetit.

Sed, mora interiecta, pila iterum activa evasit, et pendulum iterum iu motum adiigi potuit.

Anno elapsu frequentia oscillationum ad dimidium primigenae frequentiae, scilicet ad 46 singulis horae punctis reducebatur; sed post quandam quietem, iterum in motum actum pendulum 60 oscillationes singulis horae punctis complebat.

DE PROFUNDISSIMO TEMPERATURÆ GRADU.

In superiore numero retulimus dres. de Haas et Wiersma ex urbe Leyda et Kramers ex Utrecht pervenisse ad gradus 0,27 scalæ absolutæ per demagnetizationem salis paramagneticæ, scilicet trifluoruri cerii.

Die autem decimaquarta mensis iulii huius anni nunciatum est a diario «Times» doctores de Haas et Kramers per eamdem methodum pervenisse ad gradum inferiorem, et ex commentario «Nature» nunc confirmatur ipsum ad 0,085 fuisse.

DE ISOTOPIS PLUMBI.

Ex observationibus ab Aston institutis supra plumbum ex radioactivis substantiis deductum, apparent adesse tres isotopi: ducenti et sex, ducenti et septem, ducenti et octo. Porro in plumbō communi, ut iam novimus, omnes isotopi adsunt a ducenti et tres ad ducenti et decem. Exitus inqui-

sitionis astonianaee bene cohaerent cum iis quae ex desintegratione substantiarum radioactivarum ducere licuit.

DE VELOCISSIMIS VELIVOLIS.

In commentarii technici menstrui, cui nomen «*Aërotechnica*» numero sexto huius anni, referuntur peculiares notae velocissimi hydroplani, quod nunc temporis praeimum tenet.

Mirum est quanta cum rapiditate velocitatis in velivolis auctae sunt in decennio a 1922 ad 1932.

Mense decembri 1922 italus Passaleon cum hydroplano *Savoia Marchetti* velocitatem attingebat 280 chilometrorum singulis horis.

Post duos annos in America pervenient ad 300 chilometra.

Anno 1928 Itali pertingebant ad 500 chilometra. Sequentibus annis Angli praeimum detinebant pervenientes ad 655 chilometra, mense septembri anni 1931. Denique Italus Agello mense aprilii huius anni 682 chilometra velocitatis attigit.

Haud facile dicere est quanto cum accunmine singula consideranda sunt, et quam accurate construenda, pro huiusmodi velocissimis aëreis curribus, praesertim quae ad motores et organa refrigeranda attinent.

Singularitas omnino inaudita pro *hydro - Macchi*, quod nunc palmam retinet, est: in eo enim helica tractrix duplex habetur; sunt quidem helicae duae, altera post alteram disposita, quae sensu opposito vertuntur. Hoc maxime confert ad disperdendum effectum tractionis et effectum gyroscopicum, qui adessent in unica helyea.

Pondus totale istius machinae, una cum proreta et carburante, 3000 chilogrammatum est; potentia vero motrix 2500 «*equovaporalia*» attingit.

Spina etiam grata est ex qua spectatur rosa.
P. SYRIUS.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecarta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 547. - *Catoche*, cataleptica affectio, cadit in febres praesertim eas, quas committit nescio quae in parte dispositio; ut quum materia est in cerebro, aut quum est in ventriculo, aut in hepate: fit febris *elodes*, *typhodes*, *erysipelatodes*.

§ 548. - Quum in episemasia morborum febrilium soporis affectus surgunt, affectionem et pravam dispositionem non in genere venoso, sed aut in ventriculo, aut mesenterio, aut in cerebro ipso significat, et ad pravum exitum saepe hae febres tendunt.

§ 549. - STOLL notat: 1. Affectiones soporas a primis viis oriundas, uti v. g. in morbis biliosis, hinc etiam delirium biliosum. - 2. Febris *erysipelatodes* aliud est apud veteres, ac hodie: veterum enim *erysipelatodes* pertinent ad febres stomachicas, aut intestinales. - 3. Febris *typhodes* materiam morbi in primis viis habent, pertinentque ad stomachicas et intestinales.

§ 550. - In morbis malignis, qualiscumque fuerit excretio, quoniam virulentiae materiae excretione, quomodocumque id fiat, iuvatur, plurimum profutura est.

§ 551. - Haemorrhagia narum, praeter aetatem et morem, itemque genarum rubor, pulmonum proprium existit.

§ 552. - Experientia probavit, exiguo pure, aut vi excreto, aut sua sponte manante, maiorem virium iacturam contingere, quam si sanguis aut plenius detrahatur, aut sponte fundatur.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 553. - Evacuationes magnae puris in thorace, aut ubicumque alibi, non debent fieri *confestim*, sed *successive*. Id quod GALENUS iam monuit.

§ 554. - HIPPOCRATES ait: Quibus dolor ad hypochondrium sine inflammatione, his febris superveniens solutio.

§ 555. - Cui dolores arthritici sunt familiares, et autumno et vere repetunt maxime, creditum est, serum maxime a visceribus manans causam reducis illius mali esse. Declarat curatio; nam expurgata regione ventriculi, et eductis multis humoribus serosis electuario diacarthami, et syrupo rosarum solutivo, praeripiebatur occasio reditus.

§ 556. - BALLONIUS describit (Lib. I *Cons. med.* xciv) febrem *assoden* morte terminatam, ubi sanguis cum crusta ter educatur. Male dabatur purgans. Observat STOLL: Videtur suis atrox inflammatione ad cartilaginem xiphoidem. Patet febrim *assoden* subinde vocari etiam eam, quae vere inflammatoria est.

§ 557. - Notat STOLL: Quas Galenus biliosas febres vocat, fuere interdum inflammatoria. Frequenter in veterum libris occurrit. Febres biliosas saepe nominantur a crusta sanguinis flavescente, quam bilem dixerunt. Ita Ballonius omnes fere pleuritides biliosas vocat, id est, nostra pharsi, inflammatorias. Imo HIPPOCRATES (L. *De locis*) nomine bilis pleuritem intellegit.

§ 558. - GALENUS ait omnes morbos diurnos frigidos esse. Sed observat STOLL quod dentur morbi diurni qui sunt calidi.

§ 559. - Quartanarius hausit cyathum acetii destillati, aqua diluti. Reversa febris visa est extingui: sed vice illius totum corpus scabie est infectum, nec non ab eo tempore in magnis temporum mutationibus, articularibus doloribus est impeditus.

§ 560. - Quibus praecordiorum dolores, oris ventriculi, hepatis, partium circa um-

bilicium, sanguine per alvum egesto servantur, non egesto moriuntur. Ita HIPPOCRATES (Lib. *de coacis*).

§ 561. - Idem (L. 4 *Aphor.*): Quibuscumque ex morbis acutis ac diurnis, sive quovis alio modo extenuatis nigra bilis, sive uti sanguis niger exierit, postridie moriuntur.

§ 562. - Dein (L. *de morbis*): Saepe quibus venarum aliqua rupta est, a laboribus aut exercitiis, quum coaluerit, alio tempore iterum ea rumpitur. Ubi vero iterum rupta est, sanguinem fundit, et statim pereunt sanguinem multum fudentes; pus autem per totum diem excernentes consimili modo pereunt.

§ 563. - Idem (Ibid.) dilatationem venarum in pulmonibus veluti varicosam adstruit. Itaque σπαθῶσα vocat ἀπὸ τὸ σπάσθαι, quod pree dilatatione divelluntur membranae pree sanguinis copia ibi inundantis.

§ 564. - Idem (Lib. *Epid.* L. 2, sect. 3) memorat quartanam quoque febrem longam, facto impetu in universum corpus, et tumore, qui ad lienem erat, evanescente, desiisse.

§ 565. - In feribus, quae non intermittent exulcerationes sanguinolentae, livenates, graveolentes, biliosae, omnes malae sunt. Ita HIPPOCRATES (In *Aphor.* 47, lib. 4).

§ 566. - BALLONIUS (L. I *Consil.* cviii) ait: Error medicorum est, qui quum sputum aut cruentum, aut subcruentum vident, putant esse aut pleuritidem, aut peripneumoniam. Quae opinio (etsi opinio Galeni et Hippocratis) paulo post confutata est, quod ex pulmone saepe pravae fiunt excretiones ut floridae, id est cruentae, nigrescentes, pallidae, quum tamen nec fiat inflamatio, nec pleuritis, nec peripneumonia.

§ 567. - Rubor genarum inflammatorium, aut inflammationi proximum est indicium.

ANNALES

Nationum Societas.

Maximus qui omnium animos per orbem universum percult superioris Octobris mensis eventus, fuit Germanorum abscessio a Societate Nationum atque a Conventu et colloquiis de armis deponendis, a Germanico administratorum consilio iussa una cum publicorum singularum civitatum coetuum legibus ferendis dimissione, et novorum ad diem XII huius mens. Novembris comitiorum inductione, aut, proprius, populi sciti: erit enim suffragium ferendum circa gubernii hanc agendi rationem, novorumque deputatorum elenchum ab ipso unice proponendum.

Grave hoc Germaniae consilium impro-
visum quidem, nec opinatum intercessit;
licet enim condiciones et disceptationes,
quaesitae tunc agebantur, Germanicis
haud favorabiles cederent, agebatur tamen
etiam tum atque disputabatur.

Iuvat quidem rerum statum summatim
recolere: Gallia, Italia Angliaque conve-
niebant contra subitam armorum imminutionem
atque quatuor annorum experimen-
tum, de quo in superiore hac even-
tuum recensione nostra mentionem feci-
mus: hoc tempore elapsa, certa initium
duceret armorum imminutio. Germania
ius suum excipiebat armorum imminutio-
nem exposcendi a ceteris nationibus: Ver-
saliense enim foedus, Germanorum arma
concidens, imminutionem simul armorum
per gradus procedentem ab eius hostibus
proponebat; repetebat item Germania fa-
cultatem habendi nonnulla armorum ge-
nera sibi a Versaliensi foedere interdicta.

Gallia praeterea, Italia et Anglia institu-
tionem convenerant inspectionis permanentis,
simultaneae atque, ut ita dicamus,

automaticae, circa uniuscuiusque copias:
accedebat Germania, dummodo tamen
praefata facultas sibi concederetur: ad nova
arma constructa inspectio eadem extendi
posset. Quum autem Italia consensum ali-
cuius ex requisitis armis fabricandi non
negasset; Gallia et Anglia, contra, nullum
concedi debere contendebant.

Anglia denique, Italia et Germania
cum Gallia haud consentiebant de sanctio-
nibus irrogandis si promissa non facta
fuerint; difficile enim ni impossibile foret
eas persequi.

Haec in controversia versabantur; de
quibus tamen compositionem aliquam in-
veniri posse hinc inde plures sperabant.

Superfluum dictu est colloquia de
deponendis armis intermissa statim fuisse:
ad diem IV mensis Decembris dilata sunt.
Germania interim nunciat se et Hagensi
tribunali valedixisse, quaestionibus dere-
lictis quae sub eius iudicio posuerat.

Gallicae res.

Dum haec fiunt, Gallia contra gubernii
sui consilia ad oeconomicas res sarcidas
eo agitatur, ut administratorum ipsum con-
cilium munere se abdicare coegerit. No-
vum est suffectum, cui Sarraut senator
praeest; Daladier a summa praefectura ad
rerum bellicarum administrationem trans-
it; Paulus autem Boncour externa negotia
moderari pergit. Hinc conicere licet, ni
oeconomicam, civilem certe rationem im-
mutatam permansuram,

Ex Oriente.

In Palaestina augens Hebraeorum in
dies immigratio Araborum animos in
Hebraeorum gentem vehementer ita exci-
tavit, ut cruentae conflictationes passim
exoriri nuncientur. Itaque fidelium ad
sancta illa loca peregrinationes interruptae
prudenter pro tempore sunt.

POPULICOLA.

VARIA

Quanta esse soleat gravis viri auctoritas in sedandis tumultibus.¹

Ex... populi Romani disputatione et con-
certatione, qua quaerebatur num esset
transmigrandum ad Veios, dignum obser-
vatione est quantum viri gravis auctoritas
apud populum valeat ad tumultus sedan-
dos, ut non immerito Vergilius cecinerit:

*Tum pietate gravem ac meritis si forte virum
[quem] Conspxere, silent, arrectisque auribus adstant.*

Suaserim autem ei, qui meritis ac vir-
tute excellens, forte ad huiusmodi tumul-
tus sedandos accedendum sibi esse videbit,
sive domi, sive militiae fuerit, ut habitu
ipso corporis etiam atque insignibus mem-
bris, se quam maxime poterit reverendum
efficiat.

Erat ante paucos annos Florentia uni-
versa in binas factiones divisa, quarum
una a Monacho *Monialis*, altera a Rabie,
qua furere videbatur, *Rabiosa* vocabatur.
Ventum est ad arma, et Moniales victi,
inter quos erat Paulus Antonius Soderinus,
vir iis temporibus summae auctoritatis.
Ad eius aedes diripiendas quum miles
contenderet, forte domi habuit fratrem
suum Franciscum, Volaterranum episco-
pum... Is auditu tumultu, Episcopali ha-
bitu induitus ipsamque Pontificiam mitram
in capite gestans, armato militi obviam
ivit, et cum vultus sui reverentia, tum
gravitate atque eloquentia eum continuit,
ne domum fratris diriperet, non sine
magna totius urbis admiratione.

¹ EX NIC. MACHIAVELLI *De republica* disputationibus (lib. I, c. LIV) latine vertit ERMENEGILDUS BINDI.

Ranae.

Nulli obnoxiae, multos iam annos Ra-
nae dulci libertate fruebantur, tamque
laeta eorum conditio erat, ut sorte sua
plane contentae, nihil aliud expetere se
posse viderentur. Nihil autem est diffi-
lius, quam laetiorem fortunam pati. Fac-
tum est igitur tunc apud Ranas quod hodie
fieri videmus apud homines, qui bona, dum
possident, parvipendunt, eaque tantum,
postquam amiserint, magni faciunt. Cae-
lestis huius muneris, quod argento, auro,
ipsisque gemmis merito dicitur praestare,
pertesae, ac rerum novarum cupidissimae,
audito, regem hominibus imperitare pur-
pura indutum pluribusque aliis superbis
insignibus decoratum, magno clamore re-
gem a Iove petierunt. Stultam postula-
tionem risit Deus, nec illis respondendum
censuit. Illae autem sui iudicij hoc vehe-
mentiori cupiditate flagrantes, sibi minime
quiescendum duxerunt, donec suum imple-
visset votum, coepéruntque validius clama-
re et obstrepere. Nec irritae consilii
fuerunt. Earum convicio victus tandem
Iuppiter, tigillum in stagnum demisit. Su-
bito ac sonoro lapsu vadique motu adeo
territum pavidum genus est, ut, ad plures
horas, earum vox nulli sit audita.

Ita novus Ranarum rex, quem diu ja-
cuisset mersus limo, Ranae autem ingenti
pavore immotae mansissent, una ceteris
aliquanto audacior, caput e stagno tacite
profert, lente et caute ad regem accedit,
coque diligenter explorato, ceteras evocat.
Illae, timore posito, certatim adnatant in
tigillum petulanter insilunt, despunctum
que turpiter inquinant, Iovem calumniatae,
quasi ipsis illudere voluisset.

Paucis diebus interiectis, Iovem preci-
bus denuo lacessunt: datum regem inuti-
lem ese, alium mittat, qui regem se praesi-
stare norit ac valeat. Iratus Iuppiter annuit;
mittitur illis hydrus, rex prioris heu! ni-
mium dissimilis. Hic, misericordiae ex-

spers, miseras continuo insectari coepit, singulasque devorare. Tum demum suam improbae dementiam agnoscent et fatentur, frustra necem fugitant: depellere vellent regem, sed tanto se facinori prorsus impares vident, nec opem audent implorare: vocem paecludit timor. Denique haud procul a stagno Mercurium transeuntem conspicatae, advocant rogantque ut Iovem adeat, ac nomine suo obtestetur, ut afflictis succurrat. Iuppiter, re cognita, hoc illis responsum dedisse perhibetur: «Quoniam quae dederam ego bona, in his non acquievistis, quae vos quaevis mala perferte».

Quisque igitur studiose caveat, ne dum meliorem fortunam quaerit, deteriorem offendat.

* * *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Sorbitio Hispanica.

Bos ad frigorium madefactus, daucis carotis conditus.

Crusta capparibus instructa.

Artocreas ex aviculis.

Cremum lacteum cum artolaganis.

* * *

locosa.

Amicus Tuccio: — Avus meus pyxidem ad tabacum saeculi decimi septimi possidet.

TUCCIO. — Fi! Meus marmoream Neapolonis I faciem saeculi decimiquinti!

* * *

Aenigmata.

I.

Sica dolosa scio mucrone nocere cruento: Rho mihi subiectas: depello gaudia mente.

II.

Cornibus ablatis, mutilum ne despice brutum. Quid sim, quid valeam, dicere quis valeat.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1). *Crocus-Procus*; 2). *Crepidio-Crepida*.

Libri dono accepti.

LUIGI DE GREGORI, *La stampa a Roma nel sec. XV*. — (Romae, typis Cuggiani, 1933-XI).

Ex antiquis libris Romae in bibliotheca Casanatensi scitis viris, qui superiore mense Aprili in Urbem advenerunt ut studiorum Romanorum conventus essent participes, osfentis, clarissimus auctor, praefatae bibliothecae praefectus, occasionem sumpsit hunc librum edendi, in quo notitia librorum Sublaci primum, ac deinde Romae typis impressorum ab anno 1464 ad 1496 summo studio summaque diligentia ac doctrina exhibetur. Non enim unum eorum indicem auctor per ordinem conficit, sed singulos aptis amplisque ad plane illustrandum notis ditavit, ac bibliothecarum denuntiatione, in quibus nunc eorum exemplaria asservantur. Accedunt tabulae plures, quae ad vivum imagines tum paginarum, tum frontis, tum tabularum prescarum editionum illarum exprimunt, atque, initio, praefatio seu praeeoloquium tam disertum tantaque delectationis plenum, ut animum ad percurrendum ex integro opus facile disponat. Ex quibus omnibus est igitur cur doctus quisque auctori litteratissimo vehementer gratulari debeat, operisque desiderio apud se habendi flagrare.

I. F.

MONITUM.

Anni exitus adventat, atque tamen non pauci socii sunt, qui annuae subnotationis pretium nondum solverunt. Eos enixe rogamus, ne ultra remorenatur debitum suum apud Almae Romae nostrae administratorem solvere.

DE ROBERTI SCOTTI

[22]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Subeuntes conspexerunt in colle, ubi fixum vexillum index venti erat, plateau, paulo post hibernaculum integrum, stabula, adiecta aedificia, omnia intacta undis.

Prope stabula duo viri faciebant opus, qui brevi eos conspicati evocant socios ex taberna. Ad unum omnes magno clamore et magna laetitia adventantes consulunt. Interrogantibus, quid interim novi accidisset, respondent unum interisse ex canibus, et item unum ex mannulis. Huic nomen calcitroni «Hackenschmidt» inditum erat, quod solebat omnibus ungulis, quidquid appropinquaverat, calcare. Tum ingressus hibernaculum non satis mirare potuit rerum post tabernarii promontorii inopiam commutationem: quod cuique hic erat spatium, videbatur esse aula, illa acetileni lux mirum quantum splendebat, illae commoditates referebant luxum. Post tres menses licebat, ut inter cultos homines, edere et lavari et pura siccaque indui veste. Tum per singulas hibernaculi ductus partes miratus est sedulorum hominum instructio-nes: vidit primariam prorsus stationem meteorologicam Simpsonis, et sibi persuasit, nunquam ante intra fines arctidis sedem exstisset photographicam parem Pontingiana officinae, et hoc magnae artifici tribuendum censuit laudi, quod is singula non modo ipse excogitasset, sed etiam rudi materia fabricasset. Biologorum quoque locus artificiose erat instructus, et bestiarum commodis pura exstructa erant stabula.

X kal. Maias Scottus finem fecit itineris dierum quattuor, quo in hibernaculum Discovery transportaverat penum. Postridie eius diei sol discessit, nec erat reversus ante mensem Sextilem. Relictum est longum illud atque mite crepusculum regionum polarium. Quod tempus non effluxit inutilem. Nam docti se abdiderunt in sua quaque studia experientes naturam et diligenter, quae observaverant, conscribentes. Deinde certis intervallis habiti sunt sermones vel circuli de vario rerum genere. Taylor dixit de physiographia, qua imprimis regionum formae describuntur vel explicantur. Ponting de Birma verba fecit illustrans orationem imaginibus in pariete expressis, Wilson de pinguis locutus est, Wright de quaestionibus glacialibus, Atkinson de parasitologia, Nelson de biologicis rebus, Ponting de Iaponia, et ab aliis de aliis rebus peroratum est.

III Id. Mai. advenerunt cum duabus equulis et cum canibus, qui ante mensem in taberna Discovery relictii erant.

Pridie nonas Jun. inter alia haec Scottus commisit commentariis: «Silentibus ventis hic dies exemplum fuit dierum dominicorum nostrorum: post ientaculum, dum taberna purgatur, ego eligo cantiones animumque colligo. Res Divina sic instituitur. Praecedit sacra cantio, sequuntur preces matutinae, collectae ex libro psalmorum, cantus, Dominicae cenae oratio, quam ipse "Abendmahlsgebet" dicit, et litaniae, terminatur res tertio cantico et nostra oratione propria». Wilson, inquit, nos praedit melodiis, ego dubio successu

tonum excipio. Re peracta, homines cum equis ex taberna excurrunt.

« Hodie, — sic enim pergit scribere, — cum Wilsone et Bowers et Cherry Garrard et Lashly construere coepi “iglu”, hoc est niveam casam Eskimorum nomine. Nequedum constat inter nos, quod aptius sit instrumentum ad secunda caementa nivea. Cherry Garrard utitur cultro, quem a me delineatum Lashly fecit, Wilson serram adhibet, Bowers magnam trullam... Pomeridianum dierum solis tempus omnibus tabernac incolis datur ad vagandum latius. Sic ego nivalibus subditis calceis pervolavi ad “Inaccessibilem insulam” optimo usus solo, quia crystalli nuper tam molestae trabis postremis tempestatisbus tectae nive erant. Ponting abierat ut subtilaria luce glaciatos montes exciperet vitro photographico. Longissime ego praecurreram et inter nos erat insula et tamen identidem lucem magnesii vidi emicare tamquam vera fulgura et late relucere caelum et res magno spatio a camera distantes. Intellexi igitur hanc lucem peridoneam esse a danda signa, experiarque».

Postridie Nonas postremus dies natalis Scotti ducis a sociis festive celebratus est. Ad ientaculum Clissold coquus magnum libum miserat chocolatinis figuris, condito pomo, vexillis, photographicis Scotti imaginibus exornatum. Et magnifica apparata cena est pendentibus circum trahearum nostrarum vexillis. Allata est sorbitio phocarum, in qua coquenda Clissold cedebat nulli; sequutum est assum vervecinum, coagulum r̄ibis rubrae, acetarium pomorum, asparagus, chocolatum. Potio fuit vinum ex malis factum, aliquantulum vini Ieresii¹ et alcoolicus liquor. Post cenam etiam taciturniorum linguae solutae sunt in colloquia. Hi fabulabantur de progressu

politico, illi disceptabant de origine materiae: verique esse simile inventum iri; alii explicabant quaestiones rei militaris. Sed erat sine acerbitate certamen; res dissoluta in risum est.

A. d. XIII. kal. Iul. Scottus perscripsit ordinem quo illi hiberni atque obscuri dies in hibernaculo agerentur. Erat hic fere: «Coquus primus surgebat hora septima, ut pararet ientaculum. Post dimidiā horam Hooper verrere incipiebat et struere mensam. Hora octava homines varia persolvebant officia: afferebant liquefaciendum glaciem; Antonius equulis dabat pabulum; Dimitri curabat canes. Hooper identidem turbabat adhuc dormientes, nuntians quota interim processisset hora, addere solitus ad verum tempus singulos quadrantes. Tum audires strepitum tendentium et erigentium membra et semi-somnorum salutationes matutinas. Wilson et Bowers accedebant ad alveum plenum nivis, qua illi tota perfricabant corpora. Postea alii, quorum minor esset audacia, aliquantula aqua quamplurimum conabantur efficere. Ipse Scottus mediis nonis horis surgebat. Post vicena circiter horae momenta, composito lecto assidebat ad sorbitonem satinariam; maior pars sociorum tum sedebant una, sed quidam cunctatores non adeo diligentes erant in praescripta hora nona. Post horas dimidiā mensa pura erat et suo se quisque dabat operi et studio in horas quaternas. Trahearia enim tum potissimum parabantur itinera. Mediis secundis horis prandebant. Post prandium singulas horas et amplius educebantur equi et exercebantur corpora virorum.

IMPRIMATUR: Fr. A ZAMPINI. Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae,

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

¹ Id vinum ab Anglis *Cherry* vocatur, corrupto nomine urbis Jeres, vel Xeres, quae in Andalusia sita praestantissimo celebris vino est.



ANN. XX. - FASC. XII

MENSE DECEMBRI MCMXXXIII


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 450 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 900, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XX

Romae, Mense Decembri MCMXXXIII

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXIII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa Italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

Sociis et Lectoribus Commentarii nostri humanissimis Natalicia quae imminent festa et novum annum bona, fausta, felicia ominamus ex animo. Quae nobis in annum MCMXXXIV, qui vitae nostrae erit primus supra vigesimum, proposuerimus, in proximo numero explanabimus; id unum hodie satis sit confirmare, nos constanti alacrique animi ardore in incepto nostro perstituros, optima causa et sociorum lectorumque immutato favore confisi; a quibus novos socios, qui agmina nostra aucturi sint, fiderent exspectamus. Quid si eorum unusquisque vel unum nobis comparet?...

Premium annuae subnotationis immutatum manebit; nempe libell. 15 pro Italia; pro Civitatibus Americae Septentrionalis doll. 3; pro ceteris nationibus summa Italicas libellas 30 exaequans. Quae quidem summa libell. 30 Italis illis sociis pariter attributa est, qui subnotationem, quam iamdiu adiutricem appellavimus, pro sua humanitate sibi sint assumpturi. Quod si huiusmodi subnotationi accedere et exteri cives malint - (et o quantum nobis gratum acceptumque fuerit!) - duplicatum mittant suae cuiusque subnotationis pretium.

Omnis denique, qui nondum de transacto tempore rationes suas cum Administratore nostro composuerint, vehementer rogamus, ne remoren tur hanc moram interrumpere, si commentario nostro privari nolunt.

ALMA ROMA.

DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA
MEDITATIONES¹

III.

Antenna et Ego.

Mira igitur antenna, mira tota haec machina radiophonica, sed multo magis mirum ingenium inventoris atque ingenium artificis, immo multo magis *Ego*, qui ingeniosam machinam rego atque moderor pro lubitu. Age modo, antenna excipit sonitus per aëra vibrantes ac stri-dule refert, nihil tamen intelligit; ego autem percipio atque intelligo quae refert antenna aliaque paene infinita, quae mecum ceteri homines communicant, quaeve ipse extra me, intra memet perscrutor.

Antenna recipit ac refert uti recipit; ego autem quaece receperim non modo intellego, sed eadem labore meo mea facio, mihi apto, intellegibilia reddo, nec eadem refero ignarus uti recepi, sed alia prorsus ratione, et nihilominus ut qui me audiant idem intellegant quaece ipse audiverim atque retulerim: id vere mirum quod audiverim concentus et referam voces, audiverim vibrationes aëris, proferam tamen atque reddam iudicia, *ideas*, sensa intima eorum qui procul absunt: idque maxime mirum quod omnes tam certi sunt de fidelitate antennae in his referendis rebus, tamque certi de hominum fidelitate, ut nihil prorsus dubitet, avideque e diurnalibus haec omnia hauriant.

Praeterea antenna non potest non referre, necessario refert, ineluctabiliter; ego autem nulla necessitate ad referendum trahor; nam non omnia quae me percelunt illico refero, sed complura animo premo, nonnulla, si qua referenda aestimo, libere promo, neque uti mea, neque illico,

sed etiam longo post temporis intervallo; antenna caret intellectu, caret voluntate, ego gaudeo intellectu, gaudeo libera voluntate; multo nobilior ego.

Porro, radiophonica antenna stat immota, excipit, patitur; nihil sentit, nihil querit, nihil cupit, nihil avet; caelum stellasque non aspicit, terram hominesque non despicit, non amat, non odit, non querit, non fugit; ego autem moveor, immo memet ipse moveo, et moveo indicem huius diafragmatis; excipio ecquidem et patior adventantes sonitus; tamen et ipse excipiens gaudeo aut doleo, timeo aut confirmor, audeo, spero, despero, rideo, deprecor, exoro, fugio aut quaero, cupiens, avens quod mihi magis accommodatum existimo, omniaque ita dispono ut id assequar quo contendam: praeterita memoror, praesentia video, futura pro viribus prævidere conor, omnia simul complector et conservo; oh ecquidem infinite nobilior ego!

Etiam: antenna quum multa patitur, nihil sentit, nihil intelligit, nihil vult, nunquam dicit: *ego* excipio, nec: *ego* refero, sed homines, inquit, illi longinqui transmittunt, homo hic propinquus excipit; id *Ego* proprium est hominis unius, hic unus dicere potest *Ego*, dicit *Ego*, huic uni convenit dignitas haec prope divina, quae appellatur *persona* et est veluti *synthesis*¹ omnium quae de uno homine possint prædicari. Nec sane miror quod sapientes, tum veri cum etiam falsi nominis, mor-dicus disputent quid tandem sit illud *Ego*; mihi id sufficit concedatur homini convenire, eique uni, non autem antennae, non rebus ullis ratione parentibus; haec esse media, henc utensilia, hominem autem dominum, ut hic dicere possit de antenna et de machina: *mea est*, non autem e contra.

¹ Nulla est in sermone classico latino vox quae id exprimat plene quod haec vox graeca; itaque merito usurpat a nostris et iure meritoque eam retinebimus.

¹ Cfr. fasc. sup.

Denique id est mihi uni proprium ut non modo sentire possim et percelli a sensibilibus,¹ quae vocant, sed etiam sentire me sentire; nec intellegere modo, sed intellegere me intellegere;² id appellant *adpercipere*, unde ducunt *adperceptionem*; et querunt num duo sint actus sensitivi aut duo actus intellectivi distincti; illud communius, at id mihi verius; non enim video curnam duo actus fingi debeant ubi sufficit unus; cognitio enim tum sensitiva cum intellectiva est actus immanens atque immediatus; quamobrem natura sua est praesens subiecto cognoscendi.

Id etiam querunt, utrum cognitio sit subiectiva an obiectiva: subiectivum vocant quod fiat a subiecto cognoscente et perficiatur in subiecto cognoscēt; obiectivum quod fiat et perficiatur extrinsecus. Nobis utraque cognitio est subiectiva quidem, quia perficitur a subiecto et in subiecto, sed est simul obiectiva quia excitatur ab obiecto, eique respondet eidemque referenda ac commensuranda est quum videndum sit num sit vera: quamobrem reor oberrare utrosque, tum *idealistas*, qui non agnoscant obiectum, tum *positivistas*, qui non agnoscent *ideam* ac subiectum; utrosque errare non attendentes hominem non esse absolutum sed relativum, non simplicem sed compositum, esse denique synthesisim.

Fundamentum autem nostrae certitudinis aliud demum non habemus nisi conscientiam nostram, qua sentimus nos esse ad veritatem natos ut aves ad volandum, pisces ad natandum; ad eam non creandam sed detegendam tum etiam quum nobis minime grata sit; ideo nos pollere intellectu, quo vera cognoscere

possimus aut melius *agnoscere* uti sunt; id dubitare esset, vias omnes praecidere et investigationi et disputationi cuilibet. Itaque dum hanc machinam dirigo ad capessendas aëreas undas magneticas, pro certo habeo

a) me queritare, non creare veritatem,

b) posse tamen eam certo cognoscere,

c) posse decernere et dijudicare num erraverim,

d) denique, si quando erraverim, posse errorem detegere et plerumque corrigere.

Haec si praeteriero, cognitionem quamlibet, scientiam, ordinem quemcumque eo ipso subvertero: stet igitur cognitio synthetica, obiectiva simul et subiectiva, stet intellectus ac res; stenus *Antenna et Ego*.

SYLVIA ROMANI.

MARIA BERNARDA SOUBIROUS

Die VIII huius mensis Decembris a Summo Pontifice Pio XI Sanctorum honores decreti sunt Maria Bernardae Soubirous, virginis illi suavissimae, quam Deus delegit ut e specu ad *Massabiel*, prope saltum Pyrenaeum, Deiparae Immaculatae Virginis portenta universo orbi revealaret.

Cuius vitae summam in nostras paginas melius referre nequimus, quam ex *peroratione* eam desumentes, habita *coram Sanctissimo* a clarissimo viro Augusto MILANI, Advocatorum S. Consistorii Decano, qui nobis edendam, pro sua humilitate, ultro obtulit:

Bernarda Soubirous, blandulo nomine *Bernadette* gallice vocitata, ortum duxit La-purdi nonis Ianuarii anno MDCCXLIV ex

parentibus Francisco Soubirous et Aloisia Casterot, pauperrimis quidem, sed religionis studio ac morum honestate praestantibus, qui lustralibus aquis puellam quantocius regenerari curarunt.

Iam inde ab infantia Bernardula nostra adversis fuit obnoxia; nam sextum aetatis mensem nondum attingentem, mater partu proxima infantem tradere cogiturnutri, cui nomen Maria Arvant in pago *Bartres*. Vix trimula ad Suos reversa ob, magnam parentum qua tunc premebantur egestatem, curis et necessariis alimentis destituta, asthmatico morbo correpta, infirma valetudine laborare coepit. Interim vero aliquandiu etiam famulari adigitur prius penes amitam Bernardam, deinde penes nutricem, quae loco infantium, pro quorum custodia illam arcessiverat, agnorum gregem custodiendum illi commisit.

Atque ita ad annum decimum quartum pervenit prorsus sine ulla litterarum cognitione et fere christianaे religionis ignara. Verum tamen sive domi, sive penes nutricem, omnia sua aetatis munera virtutesque perfectissime exercuit. Indoles quidem erat ei prompta et vivida, sed oboedientia adeo praefulsit, ut nunquam in eam peccaverit. Modestia autem, ingenuitate, morum suavitate, vitaque innocencia ita excelluit, ut omnibus admirationi fuerit. Praeterea, quamvis illius institutio neglecta fuit, nihil tamen ipsa omisit ut dominicam precationem, salutationem angelicam, symbolum ac mariale Rosarium probe addisceret, iisque recitandis, Rosario praescerit, magnopere intentam se exhibuit.

Iam vero mirum non est si Deipara, simplicitatem puellae demirata, ingeminantis apparitionibus et colloquiis illam recreavit.

Quae apparitiones sunt eiusmodi, ut nemini dubium esse possit quin Caelestis Regina omnibus significare quasi studuerit et gavisam se Ecclesiae praeconio, et

quasi ratam habens huius Sanctae Sedis sententiam et definitionem velle se Immaculatae Conceptionis titulo prae ceteris et coli et exorari.

Quomodo autem illae acciderint, est notum compertumque omnibus.

Primo apparitionis die, qui sicut a. d. iii idus feb., Bernardula nostra cum sorore sua Antoniola et vicina domus Abbadie ad sinistram Gavi fluminis ripam ligna arida colligendi gratia se conferens, dum per prata *Massabielle* proxima iter facit, extemplo strepere circa se et permisceri omnia, quasi ventorum vi subito coorta sentiens, quem, contra id quod sentiebat, quieta omnia atque immota cerneret, hue illuc volvens oculos ac forte aciem in specum intendens, matronam conspicit, humana specie longe nobiliorem, albo velamine frontem redimitam, utrinque circa humeros defluente, veste indutam nive candidiore, una cum caeruleo circa latera cingulo in simplicis nodi modum religato, bipartito ad pedes descendente. Obstupuit puella tanta perculta mentem imagine, et allucinationibus se credens obnoxiam, illioco ad signum crucis, firmissimum adversus fraudes omnes munimentum, confugit. Verum non ante id efficere potuit Bernardula quam pia mater ipsa se signo crucis signavit atque ad sacri Rosarii recitationem exemplo suo, coronam quae prius ex brachio demissa pendebat, manu advolvens, puellam excitavit. Quod in ceteris etiam apparitionibus praestitit. Altero autem apparitionis die puella, in cordis sui simplicitate, diabolicam fraudem timens, lustralem aquam in Virginem effudit: sed Beata Virgo, leniter arridens, benignorem illi vultum ostendit. Quum vero tertium apparuisset puellam per xv dies ad specum invitavit. Exinde eam saepius est allocuta ac pro peccatoribus orare, terram deosculari, poenitentiamque agere est horrita. Deinde imperavit ut sacerdotibus ediceret, aedificandum ibi esse Sacellum

solemnisque supplicationis more illuc accendum.

Mandavit insuper ut e fonte, qui sub terra latebat, sed mox erat erupturus, aquam biberet, eaque se abstergeret. Denique festo die Mariae ab Angelo salutatae sciscitanti enixe puellae illius nomen, quae se adspectu atque adloquio toties dignata fuerat, tum beatissima Virgo, palmis iunctis pectori admotis sublatisque in caelum oculis ac paululum erga puellam acclinis, quasi se humilans coram Eo qui potens est et tam magna in ea fecerat: «Ego sum, — inquit — Immaculata Conceptio».

Apparitionum vero causa et ob frequenter populum ad specum confluentem plura incommoda ac molestias perferre coacta est, tum a civili magistratu ratione publicae securitatis, tum ab ecclesiastico, qui ad veritatem eruendam circa apparitiones et locutiones beatae Mariae Virginis a puella relatas iterum atque iterum eam exquisierunt, impavide semper ac constanter in veritate visionum asserenda persistente puella.

Anno MDCCCLVIII in Lapurdense Nivernensium sororum hospitium, cura Parochi Peyramale recepta, deinde anno MDCCCLIV consilio et auctoritate episcopi Nivernensis inter sorores ipsas admissa, suscepto habitu magnoque cum fervore tyrocinio inito, in lethalem morbum incidit: ea de re professionem religiosam in extremis emisit, quam postea, sanitate recuperata et absoluto novitatus anno, rite absolvit perfecitque a. d. iii Kal. nov. anno MDCCCLXVII.

Ingenuitate, modestia, morum innocencia atque humilitate supra modum emicuit dum inter molestos morborum cruciatus solatium ac vires sumit ex intensissimo, quo flagrabat, amore erga passionem Domini, Ss̄mam Eucharistiam et Virginem Immaculatam.

In his, aliisque virtutibus heroicē exercitis, pervenit ad annum MDCCCLXXVIII,

quo anno a. d. x Kal. octobres perpetua vota nuncupavit.

Anno MDCCCLXXIX aprilī mense morbo, quo excruciatatur magis ac magis convalescente, xvi Kal. maias, Sacramentis munita, animam piissime Deo reddidit, annos nata quinque supra triginta.

Late post eius obitum prodigiorum famā succrescente, causa de caelitum honoribus Nunciae Virginis decernendis agitari coepit, eaque introducta, virtutibus ac miraculis rite probatis, beatificationis solemnia, in Vaticana Basilica, die xvi mens. iunii MCMXXV, locum habuerunt.

Non multo post quum aliae duae prodigiosae sanationes, intercedente Beata Bernarda a Deo patratae dicentur, resumptā causa et rite peractis ad effectum canonizationis de iure peragendis, Sanctitas Sua feria IV^a infra VIII^{am} Ascensionis decrevit: «constare de duobus miraculis Beata Maria Bernarda intercedente a Deo patratis, id est de instantanea perfectaque sanatione tum R. P. D. Alexii Lemaitre Archiepiscopi Carthaginensis e diurna gravi amoebiasi, tum sororis Mariae a Sancto Fidelio a tuberculari affectione dexteri genu et dorsalis spinae. Et postridie Kal. iulias vertentis anni, idem Sanctissimus Pontifex pronuntiavit: «Tuto procedi posse ad sollemnam Beatae Mariae Bernardae Soubirous canonizationem» ...

Sancti viri, quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt, quia dum proximi luci fiunt, quicquid se ipsis latebat, inveniunt.

S. GREGORIUS (*Moral.*).

Quemadmodum si quis margaritam in luto conculcat, eius amplius demonstrat pulchritudinem, sic virtus quocunque eam proieceris, declarat suam virtutem, in servitute, in carcere, in prosperitate. CHRYSTOMUS.

Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum: quocunque accesserit, sua omnia: totus ei mundus possessio est, quoniam toto eo quasi suo utitur.

S. AMBROSIUS.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De quibusdam adverbii eleganter usurpandis.

A) - *Regulae magis peculiares.*

§ I. - *Adverbia affirmationis et negationis.*

I. - « *Quidem* »² eleganter iungitur praesertim

1º) nominibus propriis, in principio sententiae; v. g.: *Theophrastus quidem Tauriscum quemdam dixit* (Cic., *de Orat.*, 3, 59).

Aristoteles quidem ait (Cic., *Tusc.*, I, 33, 80).

Cyrus quidem apud Xenophontem (Cic.).

Appium quidem veterem illum (Cic., *Tusc.*, 5, 38).

2º) pronominibus,³ sed in fine ma-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Quoad genuinum sensum, adverbium *quidem* a) proprie significat *affirmationem* (gallice: *certes, assurément, à coup sûr*);

b) eo quod *affirmationem* significat, denotat etiam *concessionem* (gallice: *à la vérité, il est vrai, sans doute*).

c) indicare potest *oppositionem* (gallice: *du moins, au moins, toutefois, cependant*);

d) *sententiam corroborat*; v. g.: Rogo te, et *quidem* vehementer - Hinc saepe exprimit *gradatorem* (gallice: *même, et même, et encore, précisément*);

e) saepe etiam usurpatur *ad explicandum*; v. g.: In praelio decidit, quum *quidem* pugnaret. — Aut *ad definitum seu determinandum* (gallice: *par exemple, à savoir, en effet*);

f) potest etiam esse *vox expletiva*, videlicet superflua, quia, quum sententiae parum sensus adiiciat, videtur colligare phrases potiusquam *« ideas »*. Hoc fit praesertim in periodo latina. Tunc est potius *transitionis particula*.

3 a) Latini particulam « *quidem* » potius pronomini personali postponunt, quam voci quea hac particula definitur; v. g.: Tibique persuade esse *te qui-dem mihi carissimum* (Cic., *De Off.*, III, 33, 121). — Oratorias exercitationes non *tu quidem*, ut spero, *reliquisti* (Cic., *De Fato*, 2, 3),

gis, aut in medio, quam in principio;⁴ v. g.:

Fortius tu quidem quam nonnulli (Cic., *Planc.*, 32).

Mihi quidem eae verae videntur opiniones (Cic., *Fin.*, II, 24, 77).

Nimis iracunde *hoc quidem*, et valde intemperanter (Cic., *Phil.*, 1, 5).

Quaedam de morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter *illa quidem* constituta (Cic., *Phil.*, II, 9).

II. - « *Non* » solita negandi particula est; « *ne* » consueta negatio est in certis quibusdam propositionibus, ut quum prohibemus, optamus (aut rectius non optamus);⁵ « *haud* » vocem negat;⁶ v. g.:

Non legimus.

Ne legamus.

b) quo magis perspicue concedat *quidem*, verbo subiiciunt pronomen personale, substantivo pronomen « *ille* »; v. g.: *Facis amice tu quidem*, sed... (Cic., *Ad Attic.*, VIII, 2, 2). — Ea vitia habent aliquid *excusationis*, non *illius quidem* iustae, sed quae probari posse videatur (Cic., *Tusc.*, I, 3, 6).

NB. - *Equidem*, quod ex *ego* et *quidem* conflatum dicunt, a Cicerone non nisi cum prima persona singularis usurpatur; ab aliis interdum cum ceteris personis pro. *quidem*; v. g.: Reliqua non *equidem contemno*, sed plus habent tamen spei quam timoris (Cic., *Ad Quint. fratrem*, II, 16, 4). - *Experiar equidem*, sed magna res est... (Cic., *Tusc.*, I, 5, 15). - *Credo equidem* etiam alios tot saeculis, sed..., (Cic., *Tusc.*, I, 16, 38). - Quare vanum *equidem* hoc consilium es (SALL., *Cat.*, 52). - *Equidem* (= ego quidem) credibile non est quantum scribam die, quin etiam noctibus (Cic., *Att.*, XIII, 26).

Quum ei sensus concessivus subiacet, solet a Cicero post verbum aliquam orationis partem ponere.

¹ Habet et alias usus, qui quum vix designari possint, lectione tamen deprehendi possunt. Sicut Latini utiuntur particula *quidem*, ita graeci particula *μεν*.

² Cicero tamen dixit: A legibus non recedamus (Cic., *De Leg.*, II, 17, 43).

NB. - Post *ne* non adhibent imperativum, nisi in legibus.

³ *Haud raro negat verbum, praeter « scio » et « ignoro »* - Additur adiectivis; v. g.: *Haud inficitus Canius* (Cic.), et adverbii, v. g.: *Haud aegre, haud quaquam.*

Haud bene legimus. - *Haud heres* est Cluentius (Cic., *Cluent.*, 60).

Haud magnus.

Nae tu haud paulo plus delectationis habuisti (Cic., *Fam.*, VII, 1).

III. - Duae negationes altera alteram elidunt et affirmationi aequivalent;⁴ v. g.;

Neque ego non possum (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 32).

Neque meam mentem non domum saepe revocat (Cic., *Cat.*, IV, 2).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

applicatio rationis ad aliquid factibile pertinet ad artem. Ita applicatio rationis in actibus ipsius rationis ad faciliter et ordinate procedendum in acquisitione veritatis *Ars Logica* dicitur. Unde disciplinae ad aliquod opus ordinatae vocantur etiam artes, dum quae ad nullum opus ordinatae sunt, dicuntur simpliciter disciplinae.

Sed proprie ars est applicatio rationis circa actiones, quae cadunt in materiam externam et sensibilem. Hinc discrimen notissimum inter *agere* et *facere*, inter *actionem* et *factionem*: nam operatio manens in ipso agente dicitur *agere* et *actio*, ut intelligere et velle; sed *facere* et *factio* est operatio transiens in exteriorem materiam ad aliquid ex ea formandum.¹

Ars igitur, stricte sumpta, optime definitur a S. Thoma: *Recta ratio factibilium*.²

Dicitur *ratio*, quia ars est virtus intellectualis, dexteritas ingenii, ordinatio mediorum ad finem quem vis...; ideoque belluae et omnia agentia naturalia inferiora artem proprie non possident.

Recta, quia ratio secundum exactam normam et ordinationem ad certum effectum (opus) obtainendum procedit per media opportuna; est etiam moraliter *recta*, quia ars per se tendit in bonum; unde id, quod de se ordinatur ad malum, non pertinet ad artem.

significat struo, paro. Probabilis ab *ἀρετή* virtus, fortitudo, ars dicta est per syncopam: quod etymon ISIDORO (Lib. I, Cap. I) magis probatur. AUGUSTINUS (*De Civ. Dei*, lib. 20): « Unde ab eo quod græce *ἀρετή* dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxisse putaverunt ». *Ἀρετή* vero est ab *Ἄρης*, quod Martem notat, quia proprie virtus et fortitudo est bellica, unde *mores* dicti sunt. Voci *Ἄρης* videtur respondere vocabulum hebraicum - *arjé* - quod leonem denotat, et metaphorice dicitur de viris se leonum ad instar gerentibus, ut Lib. II Sam. C. X — Cfr. Vossii *Ety-mologicum*.

¹ S. THOMAS, *Ethic.*, lib. 6, lect. 3.

² S. *Theol.*, I-2, q. 57, a. 5 ad I.

AESTHETICA NOTAE

De arte.

Ars generatim sumpta, quidquid est de huius vocis etymo,² virtus est intellectiva, qua Agens facile et ordinate actiones suas liberas ad aliquod opus perficiendum disponit et exercet. Omnis igitur

¹ At « *neque...* *neque* » et « *ne...* *quidem* » negationem praecedentem confirmant ac roborant, nedium elidunt; v. g.: *Nemo unquam neque poëta neque orator fuit, qui quemquam meliore quam se arbitrarentur* (Cic., *Ad Attic.*, XIV, 20, 3). - *Nihil cuiusquam nec proficit nec valet oratio* (Cic., *Phil.*, I, 15, 35). - *Non enim praeterendum est, ne illud quidem* (Cic., *Verr.*, III, 60). - *Nihil, ne hostibus quidem, tentantibus* (Tir. LIV., XXI, 35 in fine). - *Me vero nihil istorum, ne iuvenem quidem, movit unquam, ne nunc senem* (Cic., *Ad Fam.*, IX, 26, 2).

NB. - Interdum auctores, praesertim poëtae, Graeci imitati, duplē negationem ad expressius negandum adhibent; v. g.: *Non me carminibus vincet nec Thracus Orpheus, nec Linus* (VERG., *Eclog.*, IV).

² Ut a *ἥνεος*, mens; a *γένεος* gens; sic ab *ἀρετή* ars. *Ἄρεσ* ab *ἀρετή* vel *ἀρετός*, quod idem sonat ac aptare, apte connectere: artis autem est cuncta apte et congrue reddere. Nomen ars potest aequae desumti ab *ἀρτέω* seu paro, struo. Consonat vox graeca *τέχνη* (ars) a verbo *τεκτίω* cuius radix *τεκτ-*, quod verbum

Factibilium, quia artis opera materiam transmutabilem exigunt; atque externo ministerio, ut dictum est, elaborantur. *Factibia* igitur se habent ad artem tamquam materia propria. In hoc enim ratio peculiaris artis ponitur, quod ipsa sit non mera cognitio theoretica, sed habilitas et dexteritas operosa infundendi in materiam exteriorem formam seu mentis conceptum. Ars insuper, ut sit perfecta, requirit roboretam in artifice consuetudinem, seu *habitum*, unde ars definitur etiam a S. Thoma: *Quidam habitus factivus cum vera ratione.*¹

Ars, ratione principii seu originis, vulgo dividitur in *divinam, naturalem, humana*.

«Omnes res naturales productae sunt ab Arte divina: unde sunt quodammodo «artificata ipsius Dei». ² «Terram vides, est in arte terra; caelum vides, est in arte caelum; solem et lunam vides, sunt et ista in arte; sed foris corpora sunt». ³ Ars autem divina sequitur esse divinum, seu excedit perfectione infinita quamlibet artem creaturarum.

Unde Artifex divinus *ex penitus non ente, de omnino nihil* producit materiam et formam, atque insuper excellentiori modo potest facere quidquid facit finitus artifex, educere nempe vel inducere in materiam novam formam et quidem nullo medio instrumento, sed per suum intelligere et suum velle.

Ars naturalis est administra artis divinae. «Natura nihil est aliud quam ratio cuiusdam artis, scilicet divinae, indita rebus». ⁴

Quia vero natura non agit per *ideas exemplares* sibi proprias, neque per liber-

tatem, sed necessario in suis operationibus subditur Arti divinae, et impossibile est quod faciat contraria, proprie nomen artis nec ipsa meretur.

Homo principium activum, intelligens, liberum, agit circa id, quod a natura constitutum est, et materia praesupposita, novam formam creat per similitudinem divini Artificis. Igitur *recta ratio factibilium* proprie invenitur in arte humana, de qua unice loquemur.

* * *

Vulgata est humanarum artium partitio in *mechanicas et liberales*.

Mechanicae dicuntur artes quae maiorem physicarum virium usum exquirunt, et ordinantur ad bonum corporis; liberales vero, quae maiorem mentis quam corporis conatum exigunt et ordinantur ad bonum animae.

Mediae aetatis doctores cum Martiano Capella (*De nuptiis philologiae et Mercurii*) liberales artes ad Trivium (Grammaticam, Rhetoricen, Dialecticam) et Quadrivium (Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam) reduxere, quas una cum mechanicis artibus hoc mnemonicō disticho complexi sunt:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, [astra: Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Nunc autem artes liberales vulgo illae appellantur, quae alias *pulchrae et amoenae* dicuntur, quaeque directe ad pulchritudinem exprimendam ordinatae sunt.

Itaque pulchra ars definiri potest: *Recta ratio productiva pulchrorum operum*. Pulchrum igitur artefactum ab hominum ingenio atque arbitrio tamquam a causa efficienti procedit.

Quo plenior notitia artis pulchrae apparet, considerare oportet prima elementa, quibus ipsa ars constituitur. Suprema prin-

cipia dicuntur etiam causae, et sunt materia, forma, agens et finis.¹

Materia est principium indifferens ad quodlibet constituendum, et dicitur *prima* si in transmutatione recipit formas substantiales; dicitur *secunda*, si recipit formas accidentales. Materia propria humanae artis est materia secunda, quae, quamvis habeat determinatam formam substantialem, est indifferens (in potentia) ad formas accidentales, unde artefactum quodammodo *ex non ente* (ex non praexistenti tali subiecto) fit. Indifferentia materiae secundae non est ad omnes formas accidentales suscipiens, ideoque «non quodlibet ex quocumque, sed diversa fiunt ex diversis materiis». Etenim: «Unumquodque generabilium habet materiam determinatam, ex qua fit, quia formam oportet esse proportionatam materiae».²

«Excellentior dispositio materiae est principium generationis excellentioris formae».³

«Bona preparatio materiae ad formam est principium educendi formam illam in esse et conservandi eductam».⁴

Forma itaque est principium determinans subiectum per se indifferens ad hoc vel illud esse. Cum materia sit indifferens ad quodlibet compositum, a forma sibi unita determinatur, ut sit lignum vel aurum; ut lignum sit statua vel scaminum. Forma dicitur «substantialis» si cum materia prima constitut corpus naturale tamquam potissima et ultima differentia physica. Formae substantiales tot sunt, quot diversa corpora. E contra, forma accidentalis dicitur, si advenit subiecto iam completo in ratione substantiae.

Forma propria artis pulchrae, igitur,

est forma accidentalis. «Omnis enim formae artificiales sunt accidentales: ars enim non operatur nisi circa id, quod iam constitutum est in esse perfectum a natura».¹

Quum forma sit per quam res quaelibet habeat *tale esse*, sequitur ex forma potissimum desumendam esse rationem pulchritudinis in arte. Eximia forma in arte vulgo appellatur *Ideale*. Pariter quia nihil agit, nisi quatenus est in actu, et quia forma est primum, quo aliquid est in actu, sequitur formam in arte esse illud, quo primo generatur suavitas et delectatio in subiecto contemplante.

Denique quia partes uniri non possunt ad compositum efformandum, nisi proportionem inter se habeant, sequitur formam recipi debere in materiam aptam et proportionatam.

At «Materia non sequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente».² Agens, seu Causa efficiens pulchrorum operum non est materia nec forma, sed utique principium externum, seu virtus et dexteritas humanae mentis, quae proprie Ingenium, et vulgo *Genius* appellatur.

Artifex autem, seu vir ingenii, est principium activitate et libertate praeditum, ideoque non determinatur ad unum opus, sed diversa et diversis modis operari potest ac proinde «agens unus» vocatur.

Unde agentia naturalia non sunt artifices, quia libertate carent: sunt agentia secundaria, seu instrumentalia, relate ad sua opera pulchra, ac semper et ubique constanter sub divina motione operantur.

Insuper artifex gerit in mente visionem (*ideam*), exemplar, ad cuius similitudinem opera pulchra conficit: et ita Aedificator

¹ *Ethic.*, lib. 6, lect. 3.

² S. THOMAS, *S. Theol.*, p. I, q. 91, a. 3.

³ S. AUG., *In Ioan.*, tract. 1, n. 17.

⁴ S. THOMAS, *Physic.*, lib. 2, lect. 14.

¹ Huiusmodi inquisitio strictiori sensu *philosophica* dicenda est.

² S. THOMAS, *Metaph.*, lib. 12, lect. 2.

³ IDEM, *Polit.*, lib. 8, lect. 1.

⁴ IDEM, *Ibidem*.

per visionem domus, quam habet in mente, facit domum quae est in materia. Et ita effectus artificialis ex sibi simili fit: non quidem ex sibi simili in ratione naturae, sed in ratione visionis seu exemplaris.

Ratio est quia artifex, ut causa secunda, est causa «analogia» et non «univoca»; quapropter effectus eius est *secundum fieri* et non *secundum esse eius*.

* * *

Sed a quanam exteriori causa excitata est ingenii dexteritas ad artes procreandas atque excolendas?

Concors est doctorum hominum sententia artes pulchras ex naturae animadversione et imitatione exortas fuisse. Ut enim homo, ducente propriae conservationis instinctu, consuluit vitae necessitatibus per artes serviles, per agriculturam nempe, per pecuariam, venatoriam, vestiarium, etc..., ita ducente nobiliori instinctu, insciendo res naturales, quibus semper circumdatur, adnusus est supremum Artificem imitari, et exprimere in sensibili materia suas *ideas* et suos effectus, non propter indigentiam, sed propter iucunditatem. «Repraesentatio enim naturaliter homini delectabilis est». ¹ Sane hominem vel rudem ita a natura comparatum conspicimus, ut maxima afficiatur delectatione erga imagines, signa et vestigia rerum: unde propensio suas universales significandi *ideas* mirabili signorum, imaginumque singularium varietate.

Quapropter circumspiciens universum caelum astris distinctum et ornatum, terram et mare cum innumerabilibus viventium speciebus, plurimarum rerum mutationes generationesque, in seipso, veluti in microcosmo, ampliores et excellentiores mundi externi perfectiones reperiens, cuncta intelligens, notans et admirans,

¹ S. THOMAS, *S. Theol.*, p. 1, q. 1, a. 9, ad 1.

allectus voluit artem supremi Conditoris imitari et sua virtute *novum quid* gignere et creare.

Hinc pulchrarum artium prima initia. «Notatio naturae et animadversio peperit artem» ait Cicero. ² Et Seneca: «Omnis ars naturae imitatio est». ³

* * *

Agens vero non operatur nisi aliquo fine motus et ductus: finis igitur est causa humanum artificem ad opera pulchra movens.

Quinam igitur artis pulchrae est finis? Ars pulchra ex sua natura atque immediate ordinatur ad productionem operum pulchrorum: ideoque artifex semper intendit in materiam inducere pulchritudinis formam. Sed ipse poterit insuper sibi ex arbitrio suo alium finem mediatum propnere, ad quem dirigat artificata, (puta honorem, pecuniam...). Hic finis, quia operi ex sola artificis intentione sociatur, *finis operantis* vocatur; dum finis ex natura rei dimanans *finis operis* dicitur.

Sed quia quidquid homo operatur ad suam perfectionem ordinatum est, sequitur finem adaequatum bonarum artium esse maiorem humani generis perfectionem physicam, intellectualem, moralem promovere, accessorie tamen et mediate. ⁴

Ars, alias verbis, est ad pulchrum opus; pulchrum opus ad delectationem, delectatio ad profectum hominis, praesertim moralis: recte igitur Aquinas: «Omnis scientiae et artes ordinantur ad unum, scilicet ad hominis perfectionem». ⁵ «Nos

¹ *Orat.*, Cap. LV, n. 183.

² *Epist.*, LXIV, 8.

³ Homo suae perfectioni physicae per artes mechanicas; suae perfectioni intellectuali per artem bene ratiocinandi, idest per Logicam; suae perfectioni morali per artem ethicam directe providet.

⁴ S. THOM., *Prooemium in Metaphys.*

sumus quodammodo finis omnium artificialium». ⁶

Ex dictis eruitur quid recte dijudicandum sit de *libertate et moralitate* artium. Artes nempe liberae vere sunt, sed non exinde impudicae et obscenae: artes non sunt ad morum integritatem directe ordinatae; sed a bonitate morum abscedere non possunt. Aliis verbis, ad bonum usum artis requiritur aliqua virtus moralis. ⁷ Igitur principium illud: *Ars propter artem* ita emendari debet: *Ars propter vitam*, vel: *Ars propter hominem*.

G. LEPORE.

IN HOC SIGNO...

Audax est mihi cor, quod flammae et fulgura et enses undique versa citant,

Immodice et venti contorta per aequora volvunt, arida perque iuga.

Est tamen omne tuum, quae cunctis una potiris, aurea Crux, aquilis,

Gestans et gemmis scriptum diadema Iesum nomine Romuleo.

Te sed pertimui, iuvenili aetate, labantem cur tenebris operi

Quando procella diem demersit forte nivalis vespere et unda tumens?

At iam sol reddit, supremo ducta triumpho, labara Regis ovans.

Ecce urbesque tuas Tu iam dominaris et altis arcibus Ipsa sedes.

Ecce freta Hellesponti ardent qua, Xerse necato, gloria prisca fuit,

Ac renovatae Urbi subdunt Capitolia rursus dicere: «Caesar adest».

Quid? Nonne resonant Antoni e turre retusa ultima fata Sion,

Quae trepidante tuba nebulisque fremente equitatu clangit adesse Deum?

Romae, Id. decembr. A. A. S. MCCCCXXXIII.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

¹ S. THOM., *Phys.*, lib. 2, lect. 4.

² IDEM, 1-2, q. 57, 3 ad 2.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE UNITATIBUS IN MENSURIS ELECTRICIS.

Quaestio de unitatibus adhibendis in mensuris electricis, ultimis his temporibus, intensius agitatur.

Omnibus enim patet necessitas perverniendi ad systhema unicum, vere practicum et rationale.

Quod enim in usu habemus, et ex centimetro-grammate-secondo derivatur, nec unicum est (duplicem enim praebet unitatum seriem, electrostaticam scilicet et electromagneticam); nec practicum; sunt enim unitates ipsae vel perparvae vel praegrandes ita ut tertiam adhuc seriem inducere necesse sit, quae «unitatum practicarum» dicitur.

Constanter insuper includit multiplicatorem 4π etiam quando nulla adest cyclica ratio, dum e contra deficit in assignatione cuiusdam electricae unitatis, quae ex rerum natura inducenda videtur.

Plura a pluribus proposita fuerunt ut practicum quoddam systhema adstrueretur, quod iis proprietatibus gauderet quae in eo quod actu exstat desiderantur.

Inter ea tamen feliciter eminere videntur quae ab academico nostro Lyncae I. Giorgi iam triginta abhinc annis exposita sunt; eiusque systhema a multis iam in proxim inductum novimus.

Opportunum igitur putavimus illud breviter exponere, et quidem hoc tempore quando et in America Conventus peritorum chicagensis de eodem systhematice agere proposuit.

Praecipuas et potissimas unitates quas Giorgi inducit ad novum systhema instruendum ea sunt quae ut unitates typi-

cae Parisiis asservantur: «kilogramma» nempe pro mensura massae, et «metrum» pro mensura longitudinis. His additur «secundum» (momentum, pro mensura temporis, ut in sistheme centimetrogrammate-secundo).

His positis, facile erit deducere unitatem pro mensura vis, et erit ea ipsa quae nomine «joule» novimus, et unitatem pro mensura potentiae erit et ipsum «watt».

Ceterae machinales unitates quae hinc deducuntur eadem sunt quae iam in praxi exstant.

Sed ut unitates electricae definiri possint, necesse est ut praeter tres illas machinales, unitas quaedam electrica definitur et assumatur ut fundamentum.

Quarta haec unitas a Giorgi proposita est unitas pro mensura resistentiae electricae, quae assumenda est ut primitiva, hoc est non deducta a tribus illis prioribus, et proinde per modulum typicum definienda.

Quatuor istis unitatibus positis, unitates ceterae pro mensura currentis electricae, et pro campi electrici intensitate, et pro corpore vel condensatorum capacitatem, definitae exstant, et erunt eae ipsae quae ut «ampère», «volt», «farad» nobis notescunt.

Pro mensuris autem magneticis, pro quibus, ut alias diximus, definitiones adhuc in disceptationem veniunt inter peritos, quae a Giorgi proponuntur sunt unitas pro fluxu magnetico «volt secundum», et unitas pro vi magnetica «ampère-spyra», quae pariter deducuntur ex quatuor ut supra propositis.

Integrum itaque unitatum aedificium commode et rationabiliter construere fas est, nec est amplius recurrentum ad dimensionales formulas, quae nemo non novit quam complexae et fastidiosae saepe sint.

Haec autem huiusmodi aedificii proprietates ita illud commendant, ut iam a prima

explanacione ab Auctore facta defensores invenerit illustres, ut Sylvanus P. Thomson in Anglia, G. Campbell in Statibus Foederatis Americae, F. Emde in Germania.

Nec desunt libri et tractatus de rebus physicis et electrotheocnicis, qui systema hoc, quod nonnulli literis M S K Ω designant, unice inducant.

Illud ergo ignorare non licet, sed et eius usum magis ac magis in praxim induci optandum videtur.

I. GIANFRANCESCHI.

DE AËRIS TEMPERIE DEQUE MENTIS MOTIBUS

Inter aëris temperiem animique condiciones nexus quedam interesse omnes propria sua experientia compertum habuere. Aestuante enim paulatim torrida canicula, quis est qui nervos sibi ad quemvis laborem veluti praecisos questus non sit, mentisque aciem inertem, obtusam?

Rem medicae artis studiosi viri attenta consideratione expenderunt, quorum placet responsa nonnulla referre, mali causam aperientia et praebentia fortasse iuvamina et, quamvis levia ac lenientia, remedia.

Atqui hodierna nervorum infirmitate, qua plurimi laborant, affectos quosdam reperiri constat, qui novo hoc malo certis temporibus vehementius corripiantur. Gallicae disciplinarum Academiae, qui a secretis est, scripsit, ineunte caniculae diebus, literas innumeratas recipere solitum verbis adeo amentes, ut cistella harum fragmentis cito compleatur. Apud Germanos, Anglos, Americanos eadem occurunt, quae quum quotannis redeunte ad amussim solis statione ubique simul evenire videantur, tot amentium litterarum concordem veluti copiam sub torrido dio erumpentem

non sine communi causa conflari suadeant.

— Nec ad ea quidem opponere licet exiguae huiusmodi epistolae esse et plerumque non iteratas, ut mentis vitium dengari possit; facta enim et specie et numero contra loquuntur. Mercier, in Tigurino pago eximius medicus, abhinc annos nonnullos, uberi messe ex Helvetia exque America ea collegit, delineatisque tabulis aëris temperiem cum animorum motibus arcto vinculo nexas ostendit. Quae autem ille phoenomena enucleavit, per quindecim usque annorum spatium examinata atque adnotata feruntur atque ex nosocomiis oblata Burghölzli (Tiguri in regione), Wa Bau (in Bernensi), Koenigsfelden (in Argoviensi), Saint-Pirminsberg (in Saint-Gall), Cery (in Valdensi). Haec autem loca montibus et agris distinguuntur, ad orientem vel ad occasum prospiciunt, montana pariter sunt ac in planitiem deducta. His itaque in nosocomiis quinque per annos adnotatum est uno semper eodemque mense mentis aegrotos numero maximos exceptos esse, eorumque gravissimas stultias effebuisse.

Quando immo ceteri morbi, ut solet aestivo tempore fieri, exiguae plerumque victimas mactant, tunc animae contra amentes motus et stulti fervores maxime erumpunt. Atqui si locorum meteorologia, vel aëris condiciones examinentur, ipsius aëris udorem maxime ad haec efficienda conferre patebit. Quem quum altius suaे fistulae dimetiuntur, quumque caloris et tempestatum mensurae magis incertae videntur et quodammodo solutae vagare, amentium ingressus in hospitia constanter augentur.

Idem de miseris, qui sibi mortem comparant, praedicant, quos Mercier suppeditat Decembri et Ianuario mensibus per paucos esse, at Maio mense et Iunio plerosque semper dinumerari.

Sed et scelestia cruenta clade crimina iisdem legibus subiecta videntur, si Carolo

Linney credamus, qui pleraque tunc patrari animadvertisit quum aëris udor ordinariam condicionem exsuperat. Ianuarius, Februarius, Maius menses decem et octo pro unaquaque centuria ex totius anni criminibus sibi avocant (18 %), Aprilis contra, Maius, Iunius menses viginti duo (22 %), Iulius, Augustus, September menses tringita et unum (31 %), October, November, December menses viginti sex (26 %).

Qui inter nordica Americarum civitatum foedera publicae valetudini prospiciunt, eadem inquirentes, similia de mentium praecipue et nervorum morbis arguerunt et docuere. Tradidit enim, qui maxime in rem impedit, Becker doctor, huiusmodi aegrotorum, pariterque scelerorum hominum maximum numerum serventioribus Iulii et Augusti mensibus excrescere.

Quae quidem omnia multa ferme sunt ad disciplinam ditandam, verum ad conclusiones enucleandas pauca.

Existimare tamen licet aliquid saltem, haud levis forte ponderis, in huiusmodi observationibus latere, atque inter animi cerebrique motus aërisque temperiem, causae atque effectus ad instar, quoddam vinculum intercedere.

Dr. R. S.

ANNALES

Genevenses res.

Genevae, curatores ad varias quaestiones perpendendas delecti ut internationale foedus de deponendis armis constitui possit, colloquia sua resumpsere, quorum exitus nemo est quin felices fuerit autematurus, donec Germania in suo consilio a societate facessendi perseveret. Atque tamen vident

omnes necessitatem ad satis facientem conclusionem pervenienti, damnumque ex adverso universorum paci futurum. Hoc equidem sensu in Anglia loquuti sunt tum rei publicae administer primus Mac Donald, tum exteris negotiis praefectus Simon; dum in publico Gallorum coetu legibus ferendis hinc obstinatio confirmatur ne minimum quidem gradum recedendi circa subtilem Versaliensis foederis observantiam, ad sanctiones usque productam; inde Germania invitatur ad petitiones suas distincte designandas sive apud Geneva sem coetum, sive, recto tramite, per litteras et legatos. Ad hanc viam sequendam impulit etiam auctoritate sua Conventus praeses summus Henderson, minatus etiam a munere suo se abdicaturum; qui itaque cuiusque curatorum globi sessiones ad duos menses distulit, eousque nempe Nationum Societas iterum congetetur.

* * *

Civiles per Europam eventus.

In Germania interim, Hispania et Gallia, peculiari nota digni civiles eventus facti sunt.

Hitlerus ex indictis comitiis amplissimos triumphos reportavit, a quibus non pauci timuerunt ne nimis efferretur, praesertim quum ad probandum eius consilium a Societate nationum recedendi examussem comitia ipsa indicta fuerint. Ille, ex adverso, iterum iterumque declaravit sua de pace proposita, de Germanica vita in ipsa renovanda, profecto pari ceterarum nationum cum dignitate.

In Hispania, contra, populi suffragia gubernio negata sunt, iisque viris translata, qui pignus remissoris animi, in Christianam Religionem praesertim, tute offerent. Inde socialistarum, eoque magis «communistarum» irae, quae acerrimae exarserunt, incendia, strages, ruinas perpetrantes.

In Gallia denique rursus ex oeconomis latis legibus, iisque a populi legis reactis, administratorum collegium a rei publicae administratione recedere coactum est. Novum fuit suffectum, praeside Chau-temps, paucisque ex praecedentibus administris mutatis. Longiorumne vitam habebit? Sperandum est Galliam tandem aliquando percepturam et sibi sacrificia his diebus perferenda esse.

* * *

Commercii foedera.

Inter Civitates Foederatas Septentrionalis Americae et Russicam commercii foedus institutum est, Roosevelt praesidis inde, hinc Litwinoff, russici populi procuratoris, opera. Eventus eo maioris momenti exstitit, quod recognitum per ipsum et ab Americanis est «Sovietarum», quod nuncupant, gubernium.

Qui quidem Litwinoff ab America redux Romam venit et cum Mussolinio, Italicarum rerum duce, colloquia habuit.

Bellogradi pactum sanctum est inter Turcarum gentem et Iugoslavicam, dum de altero cum Albanorum pupulo argumentum agitatur.

* * *

Scelus nefandum.

Die viii mens. Novembbris in aedibus suis nefarie interemptus est Nadir Scia, Afganistani populi rex. Sceleris causa factionum civilibus religiosisque contentiobibus, nondum illuc remissis, tribuitur.

Vita functo Mohamed Zahir, eius filius, adolescens adhuc, successit.

POPICOLA.

*Nil melius lingua, lingua nil peius eadem;
Tristia cum dulci toxica melle gerit.*

SENECA.

VARIA**Laude digni qui aut Regni aut Reipublicae alicuius iusta fundamenta ponunt; vituperandi omnes qui Tyrannidem instituunt.¹**

Inter viros excellentes illustresque summa laude digni sunt, qui Religionis cultum recte constituerunt. Secundum locum tenent quicunque Reipublicae aut regni alicuius fundamenta posuerunt. Tertium exercituum duces qui sua virtute vel suum ipsum, vel patriae imperium auxerunt. Quartum locum obtinent viri literati omnis generis, secundum studiorum diversitatem, singuli sua laude celebrandi. Denique ex infinita reliquorum hominum multitudine, quibuscumque artis quam exercent praestantia aut longus usus aliquam nominis celebritatem comparavit. Excellentibus hisce atque illustribus viris ex adverso respondent obscuri, aut etiam infames, inter quos summopere vituperandi sunt Religionis contemptores, et corruptores, deinde qui Regna atque Respublicas destruxerunt; denique qui virtuti, literarum studiis, ceteris ingenuis artibus, quae humano generi utiles honestaeque sunt, inimici fuerunt, in quorum numero sunt impii, seditionis, ignorantes, inertes, desides, otiosi et inutiles. Et quamvis ita natura comparatum sit, ut ex universo hominum genere, nullus sit sive stultus, sive sapiens, sive bonus, sive malus, qui ex iam propositis bonis excellentium atque obscurorum hominum differentiis, non laudet excellentes et obscuros vituperet, nihilominus tamen plerique, nescio qua falsa boni specie aut inanis gloria decepti, relicto excellentium viro-

rum ordine, ad eos descendunt, qui virtus vel digni sunt; quumque in instituenda Republica iis, magno cum honore ac gloria vel regnum, vel liberam aliquam Reipublicae formam instituere licet, Tyrannidem efformant; nec animadverunt interim quantam gloriam, honorem, tranquillitatem, atque quietem amittentes, in pericula, vituperia, infamiamque incurvant. Nec dubium est quin omnes homines, quicunque vel privatam vitam degunt, aut quos fortuna principes fecit, siquidem historiae rerum antiquarum cognitionem haberent, non malint privati quidam in sua Republica Scipiones esse, quam Cæsares, aut principes; Agesilai, Timoleontes ac Diones haberi potius, quam vel Nabides, vel Phalares aut Dionysii, quem cernere sit illos cum laude celebrari; hos vero summopere vituperari. Praeterea constat etiam Timoleontem, et ceteros illi similes, in sua quemque Rempublicam non minus potuisse, quam vel Phalaris vel Dionysius, sed interim tamen quiete et sine omni metu vitam traduxisse...

* * *

Piscatores.

Dum extrahunt nassam de aquis piscatores, gravissimum pondus esse illius sentiunt. Quare laetitia exsultare et felici eventu immodice gaudere, quod opera praeclare posita videretur. Sed nassa subducta in terram, conspicantur ingens saum, quo illa depressa fuerat. Ergo mutatis animis, contristari atque moerere, neque minus doloris capere ob falsitatem opinionis et ludibrium fortunae, quam incommode suum. Tum unus inter eos senior obiurgare eos et dicere, non nimis indigne ferendum casum illum quod consanguineam habere gaudium videretur tristitiam. Itaque vix aliter potuisse fieri, quam ut illius tanto complexu etiam hanc assumerent.

¹ Ex N. MACHIAVELLI *De republica disputationibus* (lib. I, cap. X) latine vertit ERMENEGILDUS BINDI.

Fabula monet non prius laetandum quam explorata fortuna, neque tamen tristiores exitus non etiam moderate ferendos esse.

Lupus et Canis.

Admirans Lupus nitorem corpulentum Canis: - « Quanta » - inquit - felicitas est vita tuae! » - « Mecum - respondit Canis - in urbem venias, licebitque et tibi eadem felicitate frui ». Dum una pergunt, animadvertisit Lupus in Canis collo attritos pilos. Tum: - « Iugum ne etiam tibi sustinendum est? - inquit - ; cervix enim id glabra indicare videtur ». - « Die - inquit Canis - alligor, quo noctu sim acrior et vigilanter; atque haec vestigia sunt collaris, quod circumdari solet cervici ». His auditis, Lupus: - « Vale, - inquit -, amice; iam nihil moror servilem felicitatem tuam ».

Ostendit fabula nihil esse libertate melius, neque praestantius.

Pro iudicibus mensarum elegantesibus.

ESCARUM ORDO:

Ius pulli gallinacei in scyphis ministratum.

Pileoli, fungis conditi, Ianuensium more.

*Exta varia cynaraeque scolymi fricta.
Pisa ad butyrum acta.*

Capo assus cum acetariis nasturtii officinalis.

Crustula mellita aliaque dulciaria naturalitia.

locosa.

Magister Tuccio:

— Quanam anni tempestate natura tibi pulcherrima videtur?
— Feriarum tempore.

Magister naturae historiam explicans, affirmat animantium instrumenta esse textus, sanguinem, viscera...

Tuccius: - Si tot instrumenta nobis insunt, ecquid iis non canimus?

Aenigmata.

I.

(Vulgo *Rebus monoverbum*)

A OM A!

II.

Sum verbum? Virgo suffusa rubore pudico
Audit me, sponsi fit subitoque memor.
Sum nomen? Caelum densa caligine velo
Perniciemque tibi, navita, saepe minor!

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1). *Dolo-Dolor*;
2). *T-aurum*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. FRID. OBERN..., *Passau*. — A mense Ianuario MCMXXXI; pretium igitur subnotationis solvisti ad integrum hunc a. MCMXXXIII.

Cl. v. IOAN. OSWIE..., *Lodz*. — Post acceptas tuas litteras superioris mensis Iulii fasciculos singulos istuc ad novum domicilium, quod indicabas, regulariter misimus.

Cl. v. VINC. POLVD..., *Arretii*. — Evidem dilapsus tuus præter exspectationem nobis contigit! — Filiæ tuæ dulcissimæ gratulamus ex animo. — Quando nova carmina ad nos mittes?

Cl. v. PETR. CAS..., *Consentiae*. — Per nummariam chartulam nuper a te missam pretium subnotationis exaequisti usque ad expletum annum MCMXXXII. — Iacobelli opus post auctoris mortem inveniri desiit.

INDEX RERUM VOL. XX

(AN. XX — FASC. I-XII)

PAG.		PAG.
	Alloquia sociis et lectoribus. 1, 121, 178, 181	
	Annales. 16, 32, 48, 69, 88, 105, 123, 140, 159, 176, 193	
	Archæologica.	
	De fabribus industriis et de mercatoriis originibus Urbis (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)	25
	De Crucis figura in veterum Christianorum sepulchrinis (<i>S. S.</i>)	41
	Veterum navigia (<i>A. C.</i>)	96
	De locis Deorum cultui mancipatis (<i>S. A.</i>)	112, 133, 147
	Templum Pantheon Romae (<i>Gallutius</i>)	123
	Aestheticae notæ.	
	De arte (<i>G. Lepore</i>)	187
	Carmina.	
	Novo anno ineunte (<i>A. Trazzi</i>)	4
	Pio Pp. XI annum XI Pontificatus explicant (<i>A. Trazzi</i>)	19
	Procul (<i>V. Polydori</i>)	45
	In Crucem Victricem carmen saeculare (<i>V. Genovesi</i>)	64
	Hirundini redeunti (<i>A. Trazzi</i>)	82
	Periculum (<i>J. Garavanti</i>)	97
	Ascensus in Alpes (<i>C. Mambretti</i>)	114
	Ruris facies vespere (<i>A. Trazzi</i>)	127
	Episistolium (<i>V. Polydori</i>)	154
	Christus in iugo Alpium superno (<i>I. Andreetta</i>)	169
	In hoc signo... (<i>I. Antonelli Costaggini</i>)	191
	Colloquia latina.	
	<i>I. L. Vives colloquia.</i> (Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i>):	
XIV.	- Iter et equus	13
XV.	- Agrestis popina	47
XVI.	- Triclinium	66
XVII.	- Convivium	84
XVIII.	- Narratio convivii - Ebrietas	101
XIX.	- Ludus chartarum seu foliorum	117
XX.	- Educatio	137
XXI.	- Praecepta educationis	155
	Epistolare sociorum commercium.	
	« Lenticula » an « Obiectivum »? — « Rotula dentata » an « Pinnula »? (<i>I. F., Ildephon-sus Gonzales</i>)	27
	« Tank », Testudo, Essendum (<i>I. Fornari</i>)	42
	De bellica machina « Tank » iterum (<i>A. Avellanari</i>)	65
	Litterae (<i>I. Tasset</i>)	140
	Fabulae.	
	Cerva et Vitis	34
	Canis, Gallus gallinaceus, et Vulpes	52
	Leo, Lupus et Vulpes	89
	Invitus	106
	Oltor et Canis	124
	Philosophica.	
	De hodierna vitae ratione renovanda meditationes: (<i>S. Romani</i>) - Exordium	131
	Mystica Antenna	163
	Antenna et Ego	182

PAG.	PAG.
Roma sacra.	
De hodierna universi orbis lamentabili rerum condicione (Ex allocutione habita a Ss. D. N. Pio Pp. XI in S. Consist. d. xiii mens. Martii MCMXXXIII).	49
Ex Suprema S. Congregatione S. Officii	141
Sapientum pervestigationes a radio-phonica Vaticana statione latine vulgatae.	
NOTAE:	
De recentiore biologica curatione, qua tuberculosis praemunitur (<i>P. Garofoli</i>)	11
De novo perpendiculum ad gravitatem dimensionam (<i>P. Letay</i>)	45
De «nigra lis» in colle Vaticano (<i>I. Gianfranceschi</i>)	68
De Synthesis et de radiis mitogeneticis (<i>I. Zirpolo</i>)	99
De propagazione breviorum undarum (<i>I. Gianfranceschi</i>)	115
De positronum existentia (<i>I. Gianfranceschi</i>)	152
De propagatione microundarum electricarum (<i>I. Gianfranceschi</i>)	171
De unitatibus in mensuris electricis (<i>F. Gianfranceschi</i>)	191
NOTIFICATIO	211
NOTITIAE:	
De recenti editione geographica Ptolomaei	12
De radiis cosmicis	30
De radiodiffusione	30
De atmosphericis	31
De telescopio giganti construendo	31
Circa solutionem aequationis Kepieri	31
De transferenda et amplificanda specula Vaticana	31
De nova serie insectorum Orientalium	32
De nova specie <i>Crysocloea</i>	32
De novo parasita in Camaleonte	32
De galaxis noviter repertis	46
De effectu lucis super condensatorem variabilem	46
De «electrete» permanente	82
De «constante gravitationali»	83
De generatore altissimae tensionis	83
Nova officina de scientiae pervestigationibus in urbe Cambridge	83
De «crystallizatione»	83
De nova specie coleopteri	83
De atmosphericis durante solis defectu	83
De rhenio	84
De ferro nativo invento	84
De ecologia agraria	84
De planetoidis	99
De lucis haustu in spatio galactico, quae in colore cumulorum spheroidalium prodit	100
Nova Geminorum	100
Cometa Winneke	100
De polarizatione electrica in vaporibus	101
De exploratione campi magnetici per radios electronicos	101
De radificatione cosmica	173
Simius in Etruria	101
Quaedam de nundinis Lipsiensibus	115
De electricitate in liquidis segregantibus	116
De fauna et de flora in Dancalia italica meridionali	116
De calvarii foxilibus	116
De cyclica distributione affl. ixium meteororum	117
De motibus propriis nebularum planetarium	135
De existentia electronum positivorum	136
De altissimis tensionibus electricis	136
De excitandis radiis penetrantibus	136
De novo «invar»	136
De distributione radiorum cosmicorum iuxta latitudinem	153
De quadam novo effectu photoelectrico	153
De novis pervestigationibus in magnetron	153
De profundissimo temperaturae gradu	173
De anhydride carbonica ad incendiarios cuniculos extruendos	154
De spinis coronae D. N. Iesu Christi	154
De pendulo electrico	173
De isotopis plumbi	173
De velocissimis velivolis	174
Sententiae , 15, 16, 70, 81, 87, 107, 151, 174, 185, 194	
Vacui temporis hora.	
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines (<i>I. F.</i>): 17, 34, 53, 71, 106, 142, 178, 196	
Iocosa (<i>I. F.</i>): 17, 34, 53, 71, 89, 106, 124, 142, 160, 178, 196	
Aenigmata: 17, 34, 53, 71, 89, 106, 124, 142, 160, 178, 196	
Varia.	
De Iaponia (<i>Maffei</i>)	17
De annulis (<i>Macrobius</i>)	33
Vita rustica (<i>I. Boccaccio</i>)	52
De alchymia (<i>D. L.</i>)	93
De Eucharistico Oecumenico Coetu in Argentina Republica celebrando	150
Quanta esse soleat gravis viri auctoritas in sedendas tumultibus (<i>N. Machiavelli</i>)	177
Laude digni qui aut Regni aut Reipublicae alicuius iusta fundamenta ponunt; vituperandi omnes qui Tyrannidem insti-tuent (<i>N. Machiavelli</i>)	195
Vetera et Nova.	
De mulierum ambitione (<i>Her.</i>)	170
IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreoneum, Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.	
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.	
<i>TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.</i>	

RIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae

JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor*

...and the other two were the same as the first.

TYPI POLYGLOTTIS VATICANIS